BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Vives, Juan Luis

Ioannis Lodovici Vivis Valentini De Anima Et Vita Libri Tres Opus insigne, nuncq[ue] denuo quàm diligentißimè excusum

Basileae 1543

Ph.sp. 899
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00032926-5
VD16 V 1803


Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.



Constat 36 Re. 1. 5. 48.

De lumine naturali ex L. V. lib: de corruptis artibus 4 5.


Dedit Natura hoc sensui in corpore, in animo vero acumen, quo vernat, speculetur, intelligat, apprehendat. Tum studium, quo sparga ad eę disciplinas velut indagine quadam rolligat, ad naviscendum, verum: quod sinum se putat esse. cutum, arrexerit ei, quod verum indicat, retinet, rejicit, q sunt Assensio et dissensio. Hinc elicuntur experimentis ac usu rerum, intentione animi, studio, sedulitate, memoria, exercitatione: q quę sua cuique natura suppeditat, accedunt aliena p doctrinam hoc ab hoc tradi-tum. Hæc sunt communis materialibus in re ad propositam q quę nos natura benefijo habemus ideirco naturale lumen nuncupamus: et q p hoc assequimur, natura lu-mine dicimur assequi: q vero p hoc, alio quopiam lumine, nempe disciplina, tangendo, cognoscendo datum: Vt intelligamus ea lumen naturæ ea natura munera, q rectæ rationibus sunt ortus q apposita ad inquirendum verum: sicut lumen naturæ in oculo sunt ea ocu-li hoc naturæ opificijo parata sunt ut oculus possit videre: in ipso oculo constituto corpore unde aijunt duos, externus aperiens medium, lux diffusa, obiectij rationis interstitij-um. Jam in his q cognoscuntur, alia p hiatus ad sensus, ut sensilia et sensata: alia ad acumen, q ut intelligentia rectæ a sensibus remotæ, sine correctionem habeant aliquam, sine nullam: alia ad inuestigationem rationis q rationes q et abstractæ cum sine dij q sunt ex in-quisitione veri: ad quam idio recurrat regulæ et a-sensus sensus ac dissensio apparentis veri ac falsi: quorum nullis rationibus abintelligentia q scientiam, aliisque q indagatione. Hæc de.

Acta der Dissentation zu Bern in Oestland.

BSB

Lúdo: Viues de tradend: disc: li. 4.

Speculatio de hoīs Anima disciplinis omnib9




Virtutem Varro definit artem viuendi; & agenda vite.
qa non est vita, sed sapiens Vita Virtus &.
Probē se monuit ipsa Virtus, nec arrogantia huic & eius, sed sapi-
entie, qa Videt id, quod &, nihil se p̄ sententiis recipere.
Unde Socrates neminem malum se dixit, nisi in qa ignorantia
deprehēd. & cū ap tonitū sapientem &.

BSB

Lúdo: Viues de tradend: disc: li. 4.

Speculatio de hoc Animo disciplinis omnibus maxima adfert adiumenta, propterea, q, ex aliqua intelligentia [illegible]



[illegible] vita.

qa non est vita, sed sapiens vita virtus &c.

Probé se novit ipsa Virtus, nec arrogantia habet &c eius, sed sapiens, qia videt id, quod &c, nihil se postremis repugnare.

Unde Socrates neminem malum &c dixit, nisi in qua ignorantia duceret. & cum optimum sapientem &c.

Lúdo: Viues de tradend: disc: li. 4.

Speculatio de hoc Anima disciplinis omnibus maxima adfert adimenta, propterea, q, ex aliena intelligentia & rapto de omnibus fere statuimus, non ex rebus ipsis. Eius Tractatio cum natura ipsius ordine pariter procedet, ut primum de vita disputetur in qua, hinc de Vegetatione, tum de Sensu, de affectionibus, de mente: in qua de intelligentia, de memoria, de ratione, de iudicio. Haec doctor potissimum decerpet ex sanctis auctoribus, tum Aristotele, Alexandro Aphrodisaeo, Themistio, Platone, Timaeo ac Plotino. Quod si velit Aristotelem, ut more receptum, enarrare, hic cum libros de anima tres: omittat primum, exhibeat alteros: de sensu ac sensili, de recordatione, de somno ac vigilia, de iuuentute & senectute, de insomniis, de diuinatione per somnum: pronunciat generalitates, & periculum, ut vitentur, indicet, opponatq; remediis illis paria antidota. Ipse p se Alexandrum, Themistium & Platonis Timaeum legat. Vnum Timaeum ipsum Laurentium, Platonicos numeros Proclus, Chalcidius; & Marsilius Ficinus exponent. Plotinum ejam obscurum & inexplicabilem Marsilius idem elucidat. Hactenus ille.

Virtutem Varro definit artem viuendi, & regendae vitae. ga non est vita, sed sapiens Vita virtus &c.

Probe se monuit ipsa Virtus, nec arrogantia huic & eius, sed sapientiae, quia videt id, quod est, nihil se posse impune repugnare. Vnde Socrates neminem malum esse dixit, nisi in qua ignorantia duceret. & tam bonum sapientem &c.

BSB

Ph Lo 099

Vives

Philos. Anthr. Instit. 1524.

R

<366198359100 13

<366198359100 13

S

Bayer. Staatsbibliothek

33

BSB

Hb. 17.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI DE ANIMA ET VITA LIBRI TRES,

Opus insigne, nunc q; denuo quàm diligentissimè excusum.

Accesserunt eiusdem argumenti de Anima, PHILIPPI MELANCHTHONIS Commentarius, & MAGNI AVRELII CASSIODORI Senatoris Liber unus.

Rerum & Verborum in ijsdem memorabilium copiosissimus Index.

Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad quinquennium.

BASILEAE, APVD ROBERTVM VVINTER, ANNO M D XLIII.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

IO. LODOVICI VIVIS
IN SVOS LIBROS DE ANIMA ET VITA, AD FRANCISCVM DVCEM Beiaris, comitem Belalcazaris, &c.
PRAEFATIO.

Animæ descriptio.

NVLLA est rei alicuius uel præstabilior cognitio, q̃ de Anima, uel iucundior uel admirabilior, quæq̃ tantum adferat ad res maximas utilitatis. Nam quòd Anima excellentissima sit omnium, quæ sub cœlo sunt condita, atq̃ adeò cœlis quoq̃ ipsis potior atq̃ excellentior, fit, ut quæcunq̃ de illa possimus assequi, permagni æstimentur. Accedit tanta in illa uarietas, is concentus ornatusq̃, ut nec terræ ipsæ, nec cœli adeò sint depicti & descripti. Est quoq̃ ipsa tam admirabiliũ uitæ totius operum inuentrix & artifex, ut spectari nec sine ingenti uoluptate possit, nec sine grandi admiratione. Iam uerò quod illic fons est atq̃ origo bonorum omnium

omnium noſtrorum, & malorum, nihil eſt conducibilius, quàm probè noſci: ut purgato fonte, puri dimanẽt riuuli omnium actionum. Necꝙ enim poterit animum gubernare, & ſemetipſum ad rectè agẽdum habere in ſua poteſtate, qui ſe non explorarit. Artifex uidelicet eſt noſcendus ante omnia, ut ſciamus quæ ſimus ab illo expectaturi opera, quibus rebus ſiue agendis, ſiue patiendis ſit idoneus, quibus contrà. Idcirco uetuſtum illud oraculũ toto orbe celebratiſsimũ, in progreſſu ſapientiæ primũ poni gradum illum iubebat, ut quiſque ſeſe noſſet: haud utique oſſa & carnem, & neruos, & ſanguinem, quanquam & hæc quoꝙ: ſed animi naturam, qualitatem, ingenium, uires, affectiones præcipiebat inſpici, & tam uarios & longos receſſus ambagesꝙ. quantum fieri poſsit, explorari. Quibus de cauſis uiſum eſt mihi, tanta de re commentari nonnulla: atque eo magis, quòd recentes Philoſophi, ut in cæteris diſciplinarũ argumentis, ita & in iſto ſegniter ſunt uerſati, cõ-

tenti-

tenti ijs quæ essent à ueteribus relicta, ipsi uerò ne nihil omnino agerent, eas addiderunt quæstiones, quas tum explicare esset propè impossibile, tum explicatæ nihil adferrent fructus: tanta erat libido in rebus prorsum inanibus se defatigare. Porrò antiqui in rebus tam reconditis statuendis, magnis se involuerunt atque intricarunt absurditatibus. Nec mirandum profectò est de anima illos prauè sensisse, quæ sub nullum corporis sensum cadit: qui ineptissima de ijs rebus affirmarint, quas sensibus usurpamus. Stoici molestissima loquacitate infinita deblaterarunt, dum omnia cupiunt definire, & ad subtiles redigere captiunculas. Aristoteles more suo tectus est, & uafer. Ego, quæ sentiam, tradam explicatius, ad normam nõ luminis naturalis, quod imperiti somniant: sed ueritatis, quæ & in natura, & supra naturam unica est, non duæ. De quo errore & loquutus sum de Corruptis artibus disputãs diffuse satis, & loquar in libris de Veritate fidei Christianæ. Itaque nec

Stoici.

Aristoteles.

in

in refellendis falſis de Anima opinationibus, quę plures ſunt quàm in alia qua cunq; quæſtione, operam ſumam: quod eſſet laborioſum admodum, & immenſum, plusq; adferret ſpinarum, quàm fructus. Cum uerbis autem non ſolum à populo inuentis receptisq;, ſed uſu etiam doctorum tritis, multum fuit nobis negocij: dum parum congruentia, aptare tamen conamur noſtræ ſtructuræ. Nam ut nihil eſt magis quàm anima reconditum, magisq; ad omnes obſcurum atq; ignoratum: minimè omnium quæ res ad illam pertinerent, accommodis potuerũt uocabulis exprimi, ac conſignari. Nos tamen quædam toleraui-mus, alia expoluimus, & adaptauimus, nonnulla ſuſtulimus, ut maximè diſcentium uidebatur referre. Opus hoc tribus uoluminibus explicatum, de Anima brutorum, de Rationali, & de Affectionibus, nomini tuo dicare conſtitui FRANCISCE, Dux præclariſsime, me, non tam ob tua in me beneficia, magna alioqui, & (quod ego pluris facio)

Dedicatio operis.

pleniſsima egregiæ tuæ in me uoluntatis: quàm quod excellens ingeniũ tuum huiuſmodi tractatione admirabiliter delectari ſolere noui. Adde, quod eſt de Affectibus ſpeculatio, quæ tertio libro continetur, fundamentũ uniuerſæ moralis diſciplinæ, ſiue priuatæ, ſiue publicæ, qua tu una diſciplina, quod ex te ipſo, quum Bruxellæ unà eſſemus, intellexi, præter cæteras caperis, ac teneris: iure id quidem optimo. nam nec alia ulla eſt æquè uiro Principi conueniens, ad ſe ac ſuos, totamq; rempublicam ritè gubernandam.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI, DE ANIMA ET VITA LIBER PRIMVS.

QVAE NEC SVNT adhærentia cognitioni ſenſuũ expoſita, neq; ijs ipſis adhærentibus teguntur, cognoſci à nobis poſſunt ex ſolis operationibus. Cernere eſt in rerũ Rerum diuiſio.
1 natura quædam torpida, motus ſui penitus expertia, non ali, aut creſcere, non loco ſua ſponte cedere, ſed perpetuum in ſuo ueſtigio fixa, quomodo à prima ſua origine ſunt ab autore ſuo condita, niſi quod extrinſecus uel acceſsione aliorum fiunt maiora, uel detractione minuuntur, ſicuti eſt à nobis in
2 Prima philoſophia explicatũ. Alia uidemus nutriri,
3 augeri, decreſcere intrinſecus. Sunt quæ ui ſua atq;
4 impete mouentur. ſunt quæ præter hæc ſenſus ha-
5 bent externos & internos. poſtremo quæ ratione utũtur, ac mẽte ualent. Prima illa, quia ui & uigore

Vide i. fo: 69.
Quatuor Vitæ gradus.

prorsum carent, non dicuntur uiuere. reliqua propter internam illam uim censentur uiuere: quorum gradus quatuor annotantur. Nam quæ solum nutrimentum recipiunt, idq; ad uitam propagãdam & augendam molem in corpus diffundunt, uitam siue facultatẽ altricem nutrientemq; dicuntur sortita: quo in genere stirpes omnes continentur. Quæ uerò præter eam sensus quoq; sunt nacta, hæc ad uitam referuntur sensilem siue sentiẽtem. huiusmodi sunt spongiæ marinæ, conchæ, & quæ stirpanimantia dicuntur, Græcè ζωόφυτα. Alia porrò uitam cogitatiuam habent, quæ præter externos sensus ui quadam animi sunt prædita ad memoriam & cogitationem, sicut aues & quadrupedes. Vita rationalis seu humana summa est inter uitas, media inter spirituales naturas & corporales, qua solus est donatus homo. quo autem nomine insignitur uita, eodem & anima, ut sit in alijs anima alens, in alijs sentiens, in alijs cogitans, in homine rationabilis. Dicamus sigillatim de unaquaq;. Nutritio est conuersio nutrimenti, qua est potestate corpus animatum, in corpus iam re ipsa animatum. Potestas hæc facilis & propinqua debet intelligi, quæ ex effectione & qualitatibus consideratur materiæ: quæ aptæ sunt, ut ad eam mutationem utatur illis facultas ea, quæ

Primus

Secundus

Tertius.

Quartus.

Animæ diuisio.

Nutritio.

est

est uiuenti indita ad se alendum. neque enim aridum lignum uel cineres eius sunt rationis, tametsi per transitus actionum Naturæ aliquando in herbam & fruges possint conuerti: sed eiusmodi potestas procul est sita, et iam alia prorsum res essent, quàm prius. Vitæ huius seu animæ altricis duo sunt instrumenta præcipua in corpore, calor & humor: tametsi ex his duobus calor propriè ad uim altricem pertinet, humor ad calorem. Anima omnis conseruatur in corpore per calorem: hoc est illius instrumentum potissimum. sicut uita nostrorum animorum calore quoquè propagatur, nempe charitate Dei. Torpent scilicet omnia, & emoriuntur, calore semoto. & quoniam hic uelut alimento quopiam indiget, ne euanescat subitò, & restinguatur, idcirco additus est humor uiuentibus corporibus, uelut frenum caloris ad prorogationem uitæ. Arripit humorem calor, & exugit: uicissim humor refrigerat calorem, & rapiditatem eius retardat, ac cohibet. nec alia est reductio aquæ ad frigiditatem, quam Philosophi aliqui comminiscuntur, qua dicunt aquam excalfactam referre sensim se ad qualitatem suæ naturæ, hoc est ad frigorem, utique non magis aqua, si ab igne separetur, ad frigus sese recipit, quàm uinum & oleum, & quicunque humor

Duo instrumenta Nutritionis.

Calor. et Frigus humor

Reductio aquæ ad frigiditatem.

alius. humidum enim ui naturæ ſuæ calorem refrenat primùm: hinc, ſi nimius eſt, conſumit: unde humidum omne quamlibet facultate calidum, amoto extrinſecus calfaciente, refrigeſcit. Sed redeamus ad corpus animantis. Si in eo inualeſcat calor, naſcitur ſitis: quæ eſt humidi & frigidi appetentia, contrarij ſcilicet: tum confirmandus eſt humor, ad ſedandos ardores. Sin calor in humorem, & hic in illum agens delaſſentur, refocillatione utrique eſt opus, & ſumminiſtratione uirium. ea fames nominatur, appetitus calidi atque humidi: niſi quod humor, quem ſitis expetit, tenuior eſt, quàm quem fames. Sin uerò immodicè auctus ſit humor, flacceſcit calor, & deſiderium alimenti languet, reparandus eſt fomentis: tametſi nutrimentum omne quodammodo fotio eſt, ac medicina. ſed nutrimentum reparat animans, medicina autem inſtrumenta facultatis, quæ ſunt ulterioris contemplationis. Appetitus autem inditus eſt uiuentibus ad conſeruationem ſui, nempe ut ſequatur utilia, fugiat à noxijs. itaq; in libramento humidi & calidi conſeruatur, dum uel æqualitatem obtinent, uel eam inæqualitatem quæ facilè poßit æquari cibo indito aut potu: quæ profecto inæqualitas gratißima eſt, quippe naturalium uoluptatum, & incitamentum ad eas expetenda,

Sitis.

Fames.

tendas, & condimentum, ut uideantur ſuauiſſimæ. Ex his quæ diximus perſpicuum fit, familiaribus nos & ſimilibus nutriri, contrarijs curari. nam ſi quod poteſtate eſt hoc, facilè tranſit in reipſa hoc, quo poteſtas erit propinquior, eo etiam expeditior nutritio: ideoq; animantes recens natæ congruenter lacte nutriuntur, quod eſt ei moli quàm ſimillimum, unde habent coagmentata corpuſcula. Conſtant naturæ corpora ex elementis naturæ, quæ quatuor eſſe in confeſſo eſt: ignem, ſpiritum, aquam, terram. hiſce omnibus alimur, uel in eorum natura, uel in facultatum ratione. aqua & aere per ſe, in ſimilitudine autem rebus aqueis, ſpirituoſis, calidis, ſolidis, & duris: uelut cerauiſia, uino, oleo, carnibus, fructibus, aromatis. Et ſicut animantis corpus ſolidum eſſe oportet, ut quæ à facultate uitæ in eo exercentur contineat, ne diffugiant ilico, & dilabantur omnia: ita in cibis conuenit aliquid eſſe ſolidum, quaſiq; terreæ qualitatis, quod alia cohibeat liquida, & in quo hæreat uis caloris, tranſeatque in molem animantis: alioqui ſemper animans appeteret, nec finis eſſet edendi ullus. In mari piſces alij alijs ueſcuntur: & quæ marina aqua ſola putantur ſuſtentari, ut mænæ, craßiuſculum ex ea ſumunt

Fundamentum ciborũ

Pyſces marini.

munt. unde etiam est in conchis & ostreis feces deprehendere, quod acidulus sapor manifesto prodit.

Stirpes. Stirpes solo affixæ, terrenum succum per radicem sugunt: ex cuius parte subtiliore sunt frondes & flores, ex densiore fructus, ex densissima radix, truncus & brachia. Obseruatum est etiam, nationes omnes pane uti & obsonio, uel re aliqua quæ panis uicem impleat: nempe castaneis, glandibus, radicibus, piscibus exiccatis. Et inter animata, ut quæq; sunt crassissima, ualidioremq; habent in densa materie calorem: ita rudissimo est eis & crassissimo alimento opus. ut sub septentrione, & equi & asini. quin equus poturus aquam pede turbat, si fortè sit liquidior: scilicet non est conueniens ei alimentum adeò tenue. Asianorum quidam solis odoribus frugum dicuntur uiuere. & nostri Hispani frequentes moriuntur in insulis Noui orbis, & altera parte continentis, ob cœli & alimentorum subtilitatem: unde solida corpora, aere & cibis densioribus assueta, non queunt uitam producere. Eadem de causa aqua pura non dicitur alere, sed eluere. nec potus per se in rationem alimenti uenit, nisi ex adiuncto, quum alia immiscentur, quæ excogitauit partim necessitas, partim gula. & alia genera potionum sunt imŏta, succis uarijs è frugibus expressis: uelut uuis, pyris,

pyris, malis. Sed hic potus noster est. naturæ uerò est ille, quo promiscue animantes utuntur omnes, & homines, qui sine artibus solo naturæ nutu ac magisterio reguntur. idcirco uidemus eum in commune uitis uniuersis largissimè propositum. Et sicut humor calorem detinet, ita calor quoad potest efficere, carpit atq; exorbet humidum, coquens dissoluens q; ui atq; operatione naturæ suæ. Inter coquendum separat utile corpori à redundanti, ac proinde noxio. Vtile corpori est, succus corpori congruens, quia similis: noxium est, uel arida materia, uel succus alienus, & ideo saluti corporis officiens. Vtile distribuitur primum in membra, hinc conuertitur in corpus animantis, quod uis animæ complectitur, quasiq; agnoscit, ut partem iam sui corporis. Huiusce altricis facultatis multa sunt munia, & tanquam particulares functiones, quæ illi uniuersali subseruiunt: nempe uis attrahens alimentum ad se, quam etiam in stirpibus deprehendimus, quæ fibras radicum uelut digitos quosdam quoquò uersum porrigunt ad capiendum, quo se alant. ideoq; radix omnis uim habet quandam perrumpendi, atque aperiendi à natura insitam: ut quandoquidem humi est affixa, in duris & densis locis possit sibi locum facere, tum ad se dilatandum, tum ad sorbendum,

Potus.

Concoctio.

Vtile.

Noxium.

Partes animæ uegetatiuæ.

Vis attrahens.

bendum, si quid est alimenti in uicino. Sed facultas hæc arripiendi non multum prodesset, si quod admissum est, continuò effluueret. itaque retentrix additur, quæ continet alimentum, & cohibet, donec perfecta sit congruens eius mutatio per potentiam coctricem. Huic adiuncta est purgatrix, quæ purum ab impuro secernit, impurum uerò expultrici, ut foras eijciat, traditur: purum uerò distributiuæ, ut diffundat in membra. Postrema omnium est, quæ succum illum siue alimentum conuertit, & incorporat in ipsum uiuens: incorporatrix sanè nuncupetur. Hæ functiones mutuo expectant, & adiuuant. prius enim alimentum coquitur, quàm discernatur: & hoc, antequàm expellatur noxium: neque attrahens suo fungetur munere, ni euacuatum sit corpus: nec coctrix, nisi prioris cibi facta sit expurgatio, sed si qua earum cesset in officio, statim in alijs quoque sentitur segnities quædam & desidia: tanta est inter illas conuentio, & cuncto corpore diuinitus temperata proportio, quæ facile nos in admirationem duxerit tanti Artificis, cuius opus tale est, ut non dico imitari (id enim nulla potest alia uel uis, uel sapientia) sed uel mente & ratione assequi, magnum & pulcherrimum sit. Hæ facultates non cer

Vis retinens.

Vis purgans.

Incorporatrix

tas

tas habent ſedes in animato corpore, ut unaquæq; in aliquo uno ſit membro, non in alijs. fuſæ ſunt enim in omni parte & membro, tametſi in alijs maiores, & magis annotationi noſtræ expoſitæ: in alijs minores, & magis obſcuræ, adde etiam diuerſarum rationum. Cernere eſt in perfectis animantibus, in quorum uentriculo concoctio fit in modum ptiſanæ, in iecore uerò ſanguinis, in membris autem ſubſtantiæ animantis. Et primum quidem ſubſtantia eſt uniformis, ac ſui ſimilis: tum diuerſa ac diſſimilaris: nec eſt unquam coquendi, & purgandi, & pellendi finis, aut ocium aliquod. calor enim continenter feruefacit humidum: nec ullum eſt adeò purum, quin habeat feces, quæ ſeparentur. Idcirco uniuerſum animantis corpus meatibus eſt quaſi perforatum, & peruium expulſioni purgamentorum, quæ fit dies & noctes, primum per patentes illas cloacas ſuprà & infrà ore, naribus, auribus, oculis: dehinc ijs, quæ uocantur emunctoria ſub alis, & ad inguina. cuncto denique corpore exhalant ſubtiliores feces: quod declarant capitis furfures, & ſcabricies, ablutio quoque manuum, quæ ſemper inuenit quod eluat. ad eundem modum in pedibus, & in omni parte corporis. Hac de cauſa toties neceſſe habet animans cibū ſumere,

ut quod

ut quod perpetuò perit, instauretur. Hæc facultas nutriens prima est, & simplicissima omnium, ad sustentationem animantis à Deo tributa.

DE AVCTRICE FACVLTATE.

VIuentia omnia aliquousq; uidemus crescere, & plurima illorum gignere sibi simile. itaq; nutrici facultati addita est auctrix quidem in omnibus, generatrix in plerisque. Auctricem ut omnibus inesse diximus, ita non semper. nam & sistunt aucta, & relabuntur retrò. minuuntur enim, quasiq; contrahuntur, quemadmodum augendo sese exporrexerant. Generatrix certo aduenit tempore, adultis uiribus: quæ uicissim decremento potentiæ debilitatur omnino, ac perit. Altrix ergo potentia, perpetua est in uiuente: auctrix uerò, & quæ simile generat, temporaria. auctrix statim ab ortu, usque ad certum limitem: gignens uerò, posteaquam ad certam magnitudinem & uires peruenit.

Auctrix quid.

De augente dicamus prius. ea non est additio extrinsecus, ut quum lignorum & lapidum aggregatione surgit domus, & uestis assuendis pannis: sed eodem tacito atq; occulto artificio, quo nutrimur, nempe conuersione alimenti per intima extenditur quantitas extrinsecus. Itaque uis hæc ex nutriente manat, & cibus nutrit, qua est substantia congruis

qualitatibus

qualitatibus prædita: & auget, qua moles. ideo animantium corpora in ſpongiæ modum finxit Deus: & ſi alia denſiora alijs, minusq; perforata, omnia tamen poros habent, per quos alimentum ſe inſinuet, & moles ſe diffundat. Sunt qui metalla inter res numerẽt anima præditas, quod uideamus ea creſcere, & quidem intrinſecus, ut appareat non fieri abſque alimẽto. quæ opinio haud prorſum eſt abſurda. neq; eſt quod prohibeat, illa quoq; recipi inter uiuentia. nec ea ſuis carent meatibus, tametſi illorum auctus ad applicationẽ molis poſſunt magis referri, quàm ad actionem altricis. quemadmodum creſcunt fontes ac fluuij humore accedente: ſaxa itẽ in imis terræ, & ſcrupi ac lapides in ſuperficie. Ignem quoq; uiuentem eſſe exiſtimarunt olim quidam, unde religio eum extinguere apud ueteres Romanos (uti Plutarchus tradit) ſcilicet ali eum & creſcere autumabant. ſed profectò non tam eſt ignis animans, quàm quiddam altrici uirtuti, & augenti ſimillimum: nempe earum facultatum in corpore animato non cauſa utiq;, ſed inſtrumentum. nam cauſam non eſſe, probè Ariſtoteles colligit, quoniam quidem ignis incrementi non habet terminũ: extenditur, quantum ſuppetit, quod comburatur. animantis uerò meta, eſt aliqua ex ratione animæ: alijs autem citerior, alijs ulte-

Metalla animantia

Ignis uiuit.

Creſcendi terminus:

rior, pro ui & magnitudine caloris & humoris, tũ naturalium & primorum, quos in ipsa corporatione natura inseuit: tum eorũ quæ postea ex alimenti, & loci, & habitudinis qualitate accesserunt. hæc omnia intra certos limites Cõditori Deo cognitos, naturæ autẽ à Deo ipso præfinitos: de quibus facilius nobis fuerit statuere, qui non sint, q̃ qui sint. neq; enim ulmi aut quercus proceritatem homo unquam pertinget, nec formicæ exiguitate humana anima cõtinebitur, suis quidem facultatibus & instrumentis apta atq; adornata. Legi, qui statim in ortu pueri, quam sit habiturus staturam prædicãt. sed id magis in generibus quãtitatis, quàm in definito aliquo puncto: ut ex membrorum cõstitutione & ossibus, & totius proportione dicant, pusilla statura eum fore, aut media & iusta, aut longa atq; enormi, quadrato corpore, & bene compacto, aut è contrario. Quid, quod illa quæ deinceps accedunt, aliquid sæpenumero eam ad rem faciunt? ut nutriri aridis, an humidis: in calido & siticuloso loco, an frigido & humenti. humor enim auget corpora: eoq; maiores sunt marinæ beluæ, q̃ terrestres: & hæ, quàm uolucres: & in locis humidis ampliores homines, quàm in arentibus, ut ad septentrionem q̃ ad meridiem: & potus magis extendit corpora, quàm cibus. Hæc au-

Diuinatio staturæ

gendi

gendi functio ad perfectionem uniuscuiusq; uiuentis est tributa. Visum est enim autori omnium, eas leges operæ suæ naturæ imponere, ut quæ ex his elementis mundi inferioris in apertum edat, adolescãt paulatim ex paruis initijs, tum adulta iam & quasi plena sistant paulisper gradum, hinc recidant sensim in suam originem: quemadmodum bis per singulos dies animaduertere est in motu Oceani. Hæc productio rerum à natura facta, imago est mundi à primo conditi. Non potest natura, res è nihilo procreare: solus id potest Deus. producit autem tam tenui principio, ut iudicio nostro non ualde uideatur abesse à nihilo: tum productũ sustentat, atq; auget. in quo admiramur & bonitatem & potẽtiam Conditoris in ea, quæ est uelut secũda creatio. Tum exhaustis uiribus, quum iam sustinere se non potest, quod creuerat, diminuitur. est enim cuiusq; rei cursus & duratio uelut iactus quidã. sicut in Prima philosophia est declaratũ. Hàc uadunt omnia, quæ sub luna cernimus, & contrectamus, tũ Dei opera, tum hominum inuenta. Prima illa corporis animati constitutio, & contẽperatio caloris humorisq;, opificio naturæ indita, postquàm se totã ceu inuolutam euoluit, atq; explicauit, pugnantibus in eam loci & alimentorum qualitatibus deteritur indies, fitq; imbecillior

Oceani motus.

cillior, quousq; succumbit manibus aduersantium, hoc quidem naturaliter. Nam casus permulti intercurrunt, qui non sinunt eam constitutionem aliàs euolui, aliàs sistere, aliàs paulatim relabi: sed subitò, aut breuiter, certè uiolentia sua opprimũt. Fit etiam non rarò, ut ea constitutio imbecilla sit admodum, materia nõ satis obsequẽte actioni naturæ: uel quia parua & malignè suppeditata, uel quia infecta noxia qualitate. Instrumentum animæ altricis & augescentis est calor, pastus caloris humor. est autem calor quidem à natura ingenitus, est etiam humor ei additus: qui fusus quidem est per cunctum corpus, sed fundamentũ habet in neruis, in ossibus. Hic multus est initio. quæ causa est, ut infantes inualidi sint, nec sensibus & ingenio utãtur, tum somno indigeant diuturno. hunc calor paulatim carpit, & emendat. Sed ad uim caloris auertendam, ne breui tempore totũ humidum conficiat, tribuit Deus esculenta & poculenta. humidum tamen illud indies fit minus: calor autẽ ut in sicco acrior, quoad fatiscat deficiente alimonia, unde & uires corporis flaccescũt. ita relabitur deorsum paulatim corpus eisdem ferè gradibus, quibus ascenderat.

Instrumentum altricis.

DE GENERATIONE.

POstea quàm adoleuit corpus uiuens, incipitq; interitus

interitus appetere, ne genus rei pereat, conceßit Deus Naturæ, ut uim generandi ſibi ſimile, & propagandi genus uiuentibus poßit indere. Primum natura initijs rei, unde eſt officium nutriendi, tum incrementis augẽdi, poſtremò conſeruandi ſingula, quamdiu poteſt, certæ ſpeciei per procreationẽ ſimilis: ita generationẽ uidemus eſſe opus animantis, iam pleni & adulti. hoc non ſolum in animalibus eſt annotare, ſed etiam in ſtirpibus. Veris enim tempore tota uis eſt in radice, hinc in folijs & ramis, poſt ea in flore & fructu, ad poſtremum in ſemine, ex quo ſato prodit planta priori ſimilis. Itaq; generatio eſt conuerſio animati corporis, quod re ipſa eſt ſemen, in aliud ſimile illi, ex quo fuit deſumptum, & quoniam nutriri, adoleſcere, gignere, ex alimento ſunt: idcirco ſub animæ uegetãtis nomine claudunt, eamq; Ariſtoteles definiuit facultatem, quæ alimentum in corpus animatum conuertit ad eius ſalutem, & ex eo auget ad complendam iuſtam eius molem: & generat corpus animatum ſuæ formæ ac rationis. Semen in parua molis portione uim effectionis ſuæ cõtinet: quæ nacta congruẽtem materiam, profert ſe atq; explicat. Itaq; magis id ad rationem effectionis pertinet, quàm molis. Ideoq; poſtremum accedit, uidelicet poſteaquàm uis uegetatiua functa

Generatio.

Vnum Anima uegetatiua.

Semen

A'ustion augeri ſolet ſpem & ſubſtantiam, non materiam.

eſt ſuo munere in augẽdo corpore, tunc enim uacat ei de ijs qualitatibus, quæ animã in corporis admini ſtratione cõtinent, multũ exiguo in loco colligere, unde mox ſimilis effectio arceſſatur, quantũ quidẽ materiæ qualitates patiuntur. nam quum hæ repugnãtes ſunt ijs qualitatibus, quæ effectioni congruunt, degenerat quod producitur: ut in terra, quũ diuerſi generis ſtirpes edit ab ijs, unde erat ſemen deſumptum: & in monſtris animantiũ, & in muliere, quum pro puero edit beluam nõ unius formæ. quod frequens eſt Neapoli Italiæ, & in Flandria Belgica: in quarum mulierũ locis gignuntur beluæ multiformes, ſæpe ſolæ, aliàs cum infante, interdum puero à belua uel ſemeſo uel exucto. Craſſiſſimo uidelicet, maximeq; putri humore eiuſmodi mulieres abũdant ex alimentis braſſicarum, & ceruiſiarũ potu. nec ſe cus eiuſmodi procreantur in illis beluæ, q̃ lumbrices in utero pueri ex crudis fructibus. prauitas enim receptaculi adfert uim facultati ſpecificæ ſeminis, & cogit uel non producere rem ſuæ ſpeciei, uel aliquid aliud cum ea. Mola quoq; ab eadem eſt cauſa. Ex ſemine non raro prouenit degeneratio, quum eſt corruptũ deprauatione interna, in ſua productione: uel externa, à loco, tempore, uel adiecto aliquo. De uentibus alia generationem habent ſpontaneam, ut muſcæ

Monſtra animantiũ gignuntur

Lumbrices. Plinius appellat aliquando uiuentia ventris.

Mola.

Varia generatio.

muſcæ, culices, formicæ, apes: quæ nec ſexũ ullum habent. Alia ex cõmixtione ſexuum prodeũt: ut ho- 2
mo, equus, canis, leo. Sunt quæ ambiguã habẽt pro- 3
creationem, ut mures. nam eorum alij ex ſordibus ſi Mures.
ne concubitu, alij ex concubitu proueniunt. Stirpes 1
omnes ſponteam habent originem: primũ ex ſuo
ipſarũ ſemine, deinde etiam ui terræ, in quam ſpar-
ſit mundi Conditor ſemina herbarum omnium, fru
ticum, arborum, alia alijs locis, nam frumenta & ui
neta, quæ tanta noſtra cura excoluntur, naturalia
ſunt, & à primo ſponte ex terra orta. neq; enim ipſi
fecimus. Ferunt in Sicilia triticum ultrò prouenire,
abſq; hominum cura, nos tamen induſtriam adhibui
mus, ut uſui noſtro aptiora fiãt. Idcirco qui cultum
hunc uel excogitarũt, uel alios docuerũt, pro inuen
toribus eiuſce rei celebrãtur: uelut Ceres tritici, ui
ni Noe, oleæ Minerua. Sunt quædã arborũ, nec fru
ctum ferẽtes, nec ſemẽ, ut tamarix et populus: quæ
ideo infelices appellãtur. ſed quæ nõ propagãtur ſe
mine, ijs pro ſemine eſt ſurculus ex ipſis decerptus,
aut terræ natura ac uis. Quæ cõmixtione ſexuum 2
procreãt, in ijs eſt mas, unde ſemẽ deciditur: & fœ Mas.
mina, quæ illud in ſe recipit, ideo generatio pfecto Fœmina.
iam animãte aduenit, ut ſit unde ex mare ſine dãno
poſſit ſubtrahi, & fœmina ſine incõmodo ſuo ex-

cipere, deq; ſua ſubſtantia alere atq; augere. Quod eſt in uiuente corpore præcipuum, quaſiq; animæ proximum, ex ſemine patris ſuboritur: quod autem craßius, ex materia matris. eamq; ob cauſam mas calore præſtat, tum ad expellendum ex ſe ſemen, tum illis ſpiritibus communicandis: fœmina autem frigidior eſt & humidior, ad continendum ſemen, alendumq; fœtum. nec aliter uiri ſemen, & materia fœminæ ſe habent, quàm granum ſeminis ſtirpis alicuius, & terræ ſubſtantia. uis enim procreãdi hoc genus arboris, eſt in ſemine: moles autẽ, qua arbor alitur augeturq;, ex facultate terræ. itaq; expromit ſe atq; explicat uis & natura ſeminis in materia, quam terra ſuggerit. Differentia autem inter ſexus parua eſt. nihil enim aliud eſt fœmina, quàm mas imperfectus: nempe cui iuſta defuit caloris mẽſura. itaq; ex inopia uidetur naſci fœmina. Sed ea eſt tamen principis naturæ inſtitutio, ut utroq; ſexu ſit opus in animãtibus, alter ex uiribus naſcatur, alter ex imbecillitate: nec deſit unquam utraq; cauſa ad utrũq; procreandum. & qui ex malis nouit bona elicere, idem profectò ex infirmitate educit robur: tãta eſt huius Conditoris ſapientia. Quæ animalia proportione ſuæ corporationis multum de paterno acceperũt ſemine, ualent ſpiritibus, agilitate, uiribus, ſubtilitate

Differentia inter ſexus parua.

animi

animi: quæ cõtrà plus de matris materia, tarda ſunt, & laxa. In ſtirpium propagine magna eſt inter genitum & gignẽs ſimilitudo figuræ atq; ingenij, minor in animalibus, ſed maior in brutis q̃ in hominibus: propterea quod in illis ſtabilior eſt imaginatio, q̃ in nobis. nos enim magis uagamur animo. Genitricis facultatis hæ ſunt uires particulares. Expultrix in mare, qua ſemen effunditur, & in fœminã immittitur: in fœmina autẽ, continens & aſſeruans. tum immutatrix, quæ ſemẽ maris cum materia matris commiſcet & tẽperat, quatenus & corporis & cuiuſq; membri contemperationi conducit. formatrix, quæ mẽbra format & ſignat: poſtremò, quæ ſtato naturæ legibus tempore fœtum excudit. Hæc eſt anima uegetatrix, cum ſuis functionibus: quæ quoniã ſunt tot, tam uariæ, par eſt ut uaria ſint ei inſtrumẽta & loci, quibus exerceãtur: unde partes in animãte exiſtunt, & mẽbra, nõ uniuſmodi, & ſimiliaria, ſed facie et qualitatibus uariè atq; admirabiliter diſtincta.

Expultrix.

Partes animæ generatiuæ.

DE SENSIBVS.

HAec uitæ ratio, & plantæ & animalibus eſt cõmunis. ſed in animalibus quiddã uidemus ineſſe, cuius plantæ ſunt expertes: nempe cognitionem, intueri, audire, tangere, guſtare, odorari, quæ ad externa pertinent: quum tota plantæ uita intror

Cognitionis genera.

ſum ſpectet, exterorum orba & ignara. Cognitionis tria ſunt genera: unum, quod nouit corpora tantummodo præſentia: alterum, quod etiam abſentia: tertium, quod res incorporeas. Primi generis cognitio, ſenſio uel ſenſus nuncupatur, & ſi nomine parum apto, quippe quod non minus patet latè, q̃ ipſa cognitio. Sed utendũ erit receptis uerbis, niſi fortè planius fiat, ſi quis corporalem ſenſionem dixerit: quod equidem nõ impedio. Ea uerò eſt cognitio animæ, per externũ corporis inſtrumentum. Animaduertimus in animali oculos, per quos cernit: aures, per quas audit: nares, per quas odoratur: palatum, quo ſapores dijudicat: & totũ corpore ſenſum quendam diffuſum calidi & frigidi, humidi et aridi. hæc ſenſoria uocantur, quaſi organa & inſtrumẽta ſentiẽdi, uel ſenſionũ receptacula: in quibus uis illa ſentiendi artifex, & effectrix ſenſus nominetur. quod uerò ſentitur, ſenſile dicitur. Ita ſunt in ſenſiõe duo prima, uigor & ſenſoriũ, hæc utiq; naturæ poteſtate. ut uerò ea poteſtas ſe exerat, additur aliquid in quod, obiectum ſcilicet, ac uelut ſenſionis materia. Iungũtur ergo ſenſus & ſenſile, ad ſenſionẽ. Quæ porrò in natura iunguntur diuerſa, medio aliquo utriq; conſentaneo applicãtur: ut quum os carni annectitur per cartilaginem, mediũ eſt ergo, quod &

Senſus.

Senſio.

Senſoria.

Senſile.

ſenſili congruit & ſenſui: ut in uiſu uel auditu, aere aut aqua. Habet quoq; medium cauſam aliam, ut ſenſile quodammodo extenuetur diſtantia, minusq; ueniat materiale ad ſenſorium, magisq; ſenſus naturæ congruens, quæ eſt ſpiritalior, quàm ipſum ſenſile. Conſentanea uerò exigitur diſtantia. nam ſi procul abſit, extenuatur ſiue miſſa à ſenſili imago, ſiue ea uis quæ in ſenſu imprimitur à ſenſibili, nulla ut iam ſenſio poſsit exiſtere. Cuius imaginẽ intueri licet in ſigillo ceræ impreſſo: quæ ſi ſit craſſa, non adeò in medio eius hærebit forma atq; in ſummo, quod eſt annulo proximum. Sed diſtantia nõ ſimplex eſt, & ubiq; eadem, alia enim eſt alibi pro portione ſenſus, & ſenſilis, & qualitatis medij. Oportet itẽ ſiue analogiam ſiue proportionẽ eſſe aliquam inter uim ſentiẽtem, & ſuũ ſenſile: ut hoc intra limites illius concludatur, nec ſit tamẽ adeò tenue ut fallat: quẽadmodũ minuta grana, molare ſaxũ effugiunt in moletra.

DE VISV.

DE uidendi ſenſu primum eſt diſſerendum. is enim ſimpliciſsimus eſt, ac notiſsimus, adeò ut eius appellatio ad reliquos ſenſus, adq; animi cognitionem extendatur. Videsne, inquiunt omnes, q̃ ſuaue pomum, quàm graue æs, q̃ dulcis concentus, quàm teter odor atq; auerſandus, ut acutè confectum

ctum est argumẽtum? ita reliquæ omnes notitiæ ex hac una intelligũtur, & oculi sunt in animo non minus quàm in corpore: & quæ de uisu dicuntur, ut acutus sit uel hebes, ad cæterorum quoq; sensuum functiones accõmodantur. Autor rerum omnium lu-

Lux. cem suam per uniuersum mundum diffudit, spiritalem in spiritalia, corporalem uerò in ea quæ essent corporata, ut eius beneficio et spiritus intelligerẽt, & oculi corporei cernerent. sic in angelo spiritalis est lux Dei, in sole autem corporalis. Lux hæc, quæ corporis in modum per moles est recepta, quum in raro hæsit corpore, efficit illud pellucidum, ut cunctum possit conspici: uelut uitrũ, aquã, aerem, quod

Perspicuum. διαφανὲς Græci nũcuparunt. quum uerò densiorem nacta est materiã, excluſa ab intimis hæsit circa summa: eaq; tenuis lux, quod in extima facie conspicitur, uocatur color. nõ quin colorata sint etiam corporum intima, sed coloris effectus in superficie

Color. est. Color autem pro lucis portione uariè temperatur. nam uel plurimũ lucis retinet, quod uocatur al-

Album. bum: uel minimũ, quod atrum. in quo sunt etiam di-

Atrum. stinctiones, & ceu gradus quidam. nam est albũ & candidum, est atrum nigrum & fuscum: ex quorum commixtione & temperamẽto, alij atq; alij colores apparent, quidam albo, quidam nigro uicini: alij tan-

quam

quum in meditulio amborũ. quæ omnia eſſet recenſere penè infinitum. Nam ſub ipſis formis ſunt aliæ uelut minores formæ, quas nõ ſit perſequi numero. Declaratur hoc, quòd in ſolo uiridi nulla eſt herba, nulla arbor, quæ non proprium quendam habeat uirorem, & ſuum ab alijs omnibus diſtinctum. Senſorium uiſus exterius quidem ſunt oculi, interius uerò duo nerui à cerebro pertingentes ad oculos. Itaque exterior lux cum illa oculorum coniũgitur, ad notitiam uidendi: ſicut lux ſpiritalis cum luce mẽtis, ad intelligentiam. Nec uideri quicquam & diſcerni poteſt, ni adſit certiũs quidam uel lucis uel luminis modus, pro ui & potentia oculorum. neq; enim quantuluſcunq; ſufficit, ut de nocte. ſicut rurſum immodica lux obruit oculorũ uires: ut ſi quis noſtrorum ſolem ſerenum occidentem conſpiciat, quod incommodum aquila nõ ſentit. Lux uerò, ſeu lumen, quod hic non diſtinguo, haud adeò eſt neceſſaria propter interuallum oculi & uiſilis, q̃ propter ipſum uiſile, ut tenuis lux à maiore adiuuetur. nam ſi circa uiſile non ſit lux, tametſi in reliquo ſit interſtitio, ſint tenebræ: circa uiſile autem lux, cernetur. itaq; qui de nocte faces aut laternas geſtãt, ipſi uiſi ab alijs, non uident eos. Quapropter res quæ plus participant lucis, facilius in tenebris cernũtur. ut prunæ, adamantes

Senſoria Viſus.

Vigile.

tes, pyropi, nix, ſpecula, aurum, argẽtum. cuprum. orichalcum, læuigata & polita, & animalcula quæ cicindellæ nominantur: quorũ omniũ lux diei ſplendore obruitur, de nocte exiſtit, ut aliorũ minorum luminum in maioribus. Nec ſolum ſibi ipſa ſuppeditant hæc lumen in tenebris ad ſui conſpectum, ſed impartiuntur uicinis rebus. Spacium autem oportet eſſe aliquod, et quaſi interuallum, inter colorem & oculum. oculus enim nihil cernit primum & per ſe, niſi lucem: ideo hunc abſque interuallo intuetur. Quod ſi color oculo ſuperponatur, nõ cernet eum: quia excluditur lumẽ, cuius ope fit notitia uiſus. Sin uerò longius color recedat, nõ intuebitur: ſiue quod uiſus potẽtia imbecillior eſt, quàm ut eò pertingat: ſiue quod radij qui à uiſili ad oculum tendunt, tantæ loci intercapedine contabeſcũt. Princeps uiſile, uti modò dicebam, eſt lux: & quæ uidẽtur reliqua, modo quodam rationeq; lucis cernuntur, nempe radiatione in formam pyramidis: cuius baſis eſt quod ſpectatur. conus autem attingit pupulam, ſæpe non totus: neq; enim rei magnæ uniuerſus conus ſub magnitudinem pupulæ poteſt cadere. ideo pupula diligenter ſe circumuoluit, mira celeritate, ut omnes lineas coni, quoad eius facere poßit, perluſtret. Qua de cauſa uiſile quod agitatur, minus certo conſpici-

Spacium.

citur

citur, quod lineæ coni non tam fixè feriũt centrum pupulæ, q̃ ad uiſionem conuenit. Turbatur quoq; uiſus in commotione interualli, ut in aere: ſed manifeſtius in ijs quæ denſiora ſunt, uelut aqua & uitro. Qui oculi hebeti ſunt uiſu, ijs maiore opus eſt cono ad uidendum: idcirco procul non uident, adhibẽtur pro remedio conſpicilla, ut res appareat maior, quo ne debilem aciem ſubterfugiat. Alij quũ quid intentius uolũt intueri, cõtrahunt genas, ut ſimul uis oculorum in ſeſe recepta ſit efficacior, ſimul imago rei arctius coacta, ne ſe effundat, ſed amplior ſenſorio imprimatur, atq; ſtabilior: quod in ſpeculis atq; oculis animaduertimus uſu euenire. Specula enim, & oculi concaui imaginem concipiũt maiorem: tumẽtia uerò ſpecula, & oculi extantes, minorẽ. Oculi nullum ex ſe habent colorẽ. nam ſi quẽ haberẽt, omnia putarentur eſſe eiuſdẽ coloris: ut qui per uitrũ ceruleum intuentur, aut rubeum, omnia iudicãt eius eſſe coloris. & in uehemẽti atra bili multa eſſe cẽſentur nigra, & in iracundia ſanguinea uel lutea, quæ non ſunt. Ergo primũ uiſile eſt lux, ſecundum color, tertium adiacentis gratia, quod luce aut colore eſt conueſtitũ. Tametſi ea quæ ſolã obtinent lucẽ, uelut aer rarus et liquidus, nõ dicũtur ſpectari, propterea q̃d quale ſit, nemo facile dicat: ſicut aquam uel uitrum dixeris

Conſpicilla quæ ſint.

Cur genas in uidendo contrahamus.

Oculi non ſunt colorati.

Diuiſio Veſalij.

Aerẽ non ſpectari.

dixeris, in quibus denſior materia lucem reddidit, ad naturam coloris propius accedentem.

DE AVDITV.

Sonus.

ESt & alter ſenſus, quo percipiũtur ſoni. neq; enim oculis ſonos dinoſcimus. Sonus quid ſit, difficile eſt explicare. Gignitur ex plaga duorum corporum, qua aer pellitur uſq; ad aurem. Sitne aer ita impulſus ſonus, an ea corporum commiſſio, an aliquid adhærens eſſentiæ, difficilis ad explicandum quæſtio, & minime neceſſaria. Nec aliter in aere fit ſonitus, quàm orbes illi in aqua, iacto in eam lapide: & in orbem ſonus porrigitur, magis ac magis ſeſe extenuans & hebeſcens. qui orbes ſi frangantur, priuſquàm ad aurem pertingant, imperfectus auditur. ideoq; molem eſſe ſolidam, duramq; eſt neceſſe, qua pellatur aer: nam molles non habent eam uim, ut linum & lana. Leuior autem, & latior & complanatior materies, ſi duricies adſit, ualide aerem ferit, & procul pellit integrum: ideo latius ſonat, ut in ære. latius adhuc, & integrius, ſi ſit caua: ſicut in lebetibus & cymbalis, propter crebrum repercuſſum. plaga enim congeminatur. Aſpera uero ſuperficies aerem diffringit, & raucum confuſumq; quiddam ſonat. Oportet autem aerem tum impelli, tum non diſſolui. Itaq;

ſimul

simul & ictu est & celeritate opus, ne si remisse committantur corpora, lentus aer circulos suos continuo dissipet. præuertenda est ea dissipatio celeritate plagæ: ut quum uirga aut scutica aer intente cæditur, uelocitas ictus non patitur orbes aeris disturbari, existitq; sonus. in quo percussus aer est pro mole icta: proximus uero, interualli habet uicem. Sensorium est exterius quidem auris, & crassus quidam in ea aer, quasiq; humor: interius uero, nerui ab auribus ad cerebrum pertinentes. Hic aer auricularis cum externo illo coniungitur, qui est uerberatu corpora pulsus: unde fit auditio, sicut ad uisum lux cum luce. Naturalis huius aeris indicium esse aiunt, quod si quis auriculam manu compresserit, sentiet intus strepitum, scilicet moto illo aere. Cæterum si quis sit illic aer, quem ego potius tenuem humorem ac spongiosum esse arbitror: sed is tamen motu omnino caret, & sonitu, qui de reliquis est sonis cognitus. bombus uero ille ex aere est externo, qui admota manu cõclusus inter auriculæ mæandros sinusq;, & exitum quærens, sonum illum ædit, quemadmodum in retorta buccina. In aqua etiã audiri, sunt qui affirment, quod pisces audiant sonitus: quod mihi uerum nõ uidetur. neq; enim pisces in aqua audiunt, sed motum aquæ tactu sentiunt. Non quod abnuam

Aër auricõgenitus.

audire piſces aliquos, quorũ annotamus ad officium audiendi perforata capita in modum aurium: & extra aquam ſonitus exaudiunt, quos attente auſcultant, aliàs admirantes, aliàs territi, aliàs quoq; illice facti. uerum naturæ arcana ſunt, nobis incomprehenſibilia. Fieri poteſt ut piſces aliqui ſub aquas audiant, & hoc ſit illorum ingenium: itaq; hoc ſit relictum in medio. in cæteris autem, quà non eſt aeri aditus, nec ſono: ut per denſiſſimos parietes. Vidi tamen in cemeliarchio Menciæ principis Zeneticæ globum aureum abſq; ulla rima operis temiſtitanici, qui intrinſecus edebat ſonum ab ſcrupulis, uel auri bracteolis. ſed auri lamina exterior erat prætenuis, quæ ab ſcrupulis internis icta, ipſa aerem uerberabat, unde exiſtebat ſonus. Aër ictu moliũ diſſiliens, ſi occurſu ſolidi corporis integer reflectatur, unde uenerat, fit ſonus reflexus, ſiue reciprocus, qui à Græcis ἠχὼ nominatur. quanto uerò uicinius eſt, quò impingit, & integrius reſultat, tanto fit maior echo, & plenior: minor autem & confuſior, quo uel corpus eſt longius, uel confractior eſt aer. & quia poſtrema impingunt potius quàm prima, idcirco echo ſemper quod ultimum eſt ſoni, explicatius reciprocat. Reflecti ſemper aerẽ percuſſum, ideoq; ſemper etiam echûn fieri, merito Ariſtoteles affir-

Echo.

mat:

mat: ſed nõ percipi à nobis, propter tenuẽ reflexionem, aer enim, etiã ſi nullũ corpus ſolidũ occurrat, nõ impellit aerem uicinũ, quin ab illo uiciſſim repellatur: ſed uincit aer cæſus proximũ aerem quietum, impete ac uiolentia, quã ei corporũ concuſſus dedit. quo fit, ut ualidis uentis ſpirãtibus, minus ſoni audiãtur, noctesq; ſint ad audiẽdum aptiores q̃ dies: quippe in motu uenti aer cæſus, non ſe perinde expãdi, ſicuti quum quieta ſunt omnia. quod cernere eſt in aqua fluctuante, in qua orbes iactæ rei continuo diſturbantur. Sonus eſt, ſenſile auditus: corpora autem, quæ ſonant propter ſonum. ita quæ corpora ſonum non emittũt, ut lana & linum, inaudibilia nuncupãtur. Sonus in actione ipſa uel tardus eſt, uel celer: in ſenſione autẽ acutus aut grauis, & quæ ſunt inter hæc duo interualla graduum complura. Sonus.

DE TACTV.

COnſtitutio prima naturalis corporis, elementa naturæ complectitur, quorum qualitates ac uires principes ac ſimpliciſſimæ ſunt, calidũ, frigidum, humidum, aridum: ex quibus aliæ coniugationes exiſtũt, duri ac mollis, aſperi & læuis, grauis & leuis. Hæc qui dignoſcit, unus eſt ſenſus, isq; tactus nominatur, diffuſus p omnes corporis neruos, uel p ea quæ uice ſunt neruorũ. Cõmunicatur ea tã-

gendi uis carni quoq; ex uicinitate, ſed tenuius atq; hebetius. Interuallum quidem tactus & tactilis per ſe eſt caro, ſed ipſa quoq; communitate quadam ſenſorium. ſi quid ſuperponatur carni, ſentiet quidem per illud nerui ſpiritus, in quo eſt tãgendi facultas: ut calidum uel frigidum, durum aut molle per chirothecam, ſed nõ prius quàm ad carnem penetrarit ea qualitas. Verum ex illis tactilibus, quæ de communi omniũ ſententia poſuimus, ſi quis rem ſubtilius expendat, inueniet ſolas primas qualitates elementares ad hunc ſenſum proprie pertinere: reliquas autem, ad uires & robur. itaq; alia alijs & molliora, et duriora cenſeri: ſicut magis aut minus, uel grauia uel leuia. Aſperum autem & læue ex arido ſunt & humecto, per æqualitatem aut inæqualitatẽ ſuperficiei. Vnus ergo eſt tangendi ſenſus, & unum tactile: nempe elementaris qualitas, cuius ope naturale corpus compingitur. Eæ uero qualitates, quoniã ex proportione ac congruentia uel noxiæ ſunt, uel ſalutares corpori animantis, idcirco ad eas noſcendas tactus eſt uniuerſis animãtibus tributus, & per uniuerſum corpus, quo facilius declinetur damnoſum. Sed in homine in extremis potiſſimum digitis manuum: non quod illic caro ſit molliſſima, ſed partim ex contemperatione, partim ex aſſuefactione. atq;

Tactilia.

eo natura-

eo naturaliter ducimur, ut digitis illis prætentemus, & faciamus periculum primarum qualitatum: quod ut expeditissimum est, ita & leuissimi detrimenti, si quid accidat. Adiecit hoc quoq; beneficium natura, ut moles quæ tanguntur, segnius irritarent sensum, quàm uisile, uel audibile: ne quoniam ipsæ per se tangunt animal, nocumentum esset ab illis paratius & grauius. quod enim corpus uidetur, uel auditur, non attingit ipsum per se oculum, uel aurem. Est & beneficium aliud, quòd breuioribus terminis actiones tactus gustusq; sunt circumscriptæ, quàm auditus & uisus, celerius enim tangendo gustandoq;, quàm uel cernendo uel audiendo delassamur. Nam quod tactus & gustus ad essentiam animalis pertinent, non item auditus & uisus: moderatio est illorum actionibus adhibita à Natura, ne per effusas operationes corrumperetur sensus, & periret animal, quod periculum alijs ex sensibus non impendet.

DE GVSTV.

NOn omnia quæ natura ex solo profert, esui sunt animãtibus. sunt quædam illis congruentia, ut fructus & panis triticeus homini, gramen pecori. Sunt quædam aliena, ut lutum uel ligna: quorum alia sunt omnino fatua et insipida, alia prorsum aduersa atq; inimica, uel insuauitate, ut fel & absyn

thium: uel damno, ut uenena. Quæ nocumento essent futura, ijs qualitatem indidit gustui inimicam: sicuti contrà salutaribus, congruam & placentem. salutaria autẽ uoco, non tam affecto corpori, quàm recte habenti. nec refert, si qui ex peculiari quodam ingenio, uel assuefactione, amaris rebus aut fatuis, aut alienis gustatui capiuntur: sicuti homines uoraces & ebriosi, & mulieres prægnantes, & qui laborant atra bili. Qualitas hæc quæ gustui uel allubescit, uel displicet, sapor nominatur. Gustatus sensorium, est neruus supra linguam expansus, ad quem sapor peruenit, ductus à saliua. & quemadmodum in extremis digitis acutissimus est tangendi sensus, ita in extrema lingua gustandi propter subtilitatem spiritus nerui: non tamen per se (nam uerus ac certissimus sensus fit in radice linguæ, qua palato coniungitur:) sed quia quod linguæ mucronem attigit, celerrimè ad palatum perfertur. Humor saliuæ uelut medium quoddam uidetur sensionis, isq; à sapore immutatur, ut reliqua media à suis qualitatibus. est enim ex se saporis cuiuscunq; expers, ut omnes facile recipiat. idcirco quum lingua est arefacta, nihil gustamus: tum si saliua sapore ullo imbuta fuerit, non recte alios recipiet, ut in febri: quemadmodum omnia uidentur cerulea, intuentibus per

uitrum

uitrum ceruleum. Addunt etiam nonnulli medium alterum paulo penitius, & coniũctius cum ipso sensorio, carnem linguæ: quæ sit potius sanè organi pars, quàm medium. Quæ animata lingua carent, hæc ore illo suo gustant: aut ea certe parte, quæ illis est oris uice, nempe qua alimentum recipiunt. Et quandoquidem saliua est medium, eo sola gustantur, quæ traducere saliuam possunt ad suam qualitatem: nempe calida atq; humida. ex resolutione nanque humidi à calido, fit sapor. calor enim saliuam extenuat, ut subtilius accipiat humidum rei sapidæ. Quæ de causa sapidissima sunt contemperata ex calido & humido, uelut saccarum & uinum. mel uero, & si efficacitate abstergit atq; arefacit, habet tamen multũ humoris in materia. quæ uero plurimum caloris obtinent, humoris parum, acutius gustantur propter causam, quam modo attigimus: uelut piper, gariophylli, cinnamomũ, & aromata. quæ humoris multum, & parum caloris, insipida sunt, hebetemq; reddunt gustum: ut aquosa. incrassatur enim saliua, unde sensio fit obtusior: ut uisus in caligine, aut nebula. stupa & ligna arefacta non afficiunt gustum, sicuti nec aqua, si qua modo est purum elementum: illa quòd humore penitus careant, hæc quòd calore.

ODORATVS.

Finis de gustatu huius sensus.

MVlta sunt in natura, quæ uel gustata ingentem protinus adferũt perniciem, atq; etiam pestem interdum capitalem, sicut uenena præsentanea. ea gratia data est animantibus odorandi facultas, ut quæ congruere, quæ secus uiderentur, præmũciaret gustui ante periculum, ne animal aut edendi auiditate in discrimen ueniret uitæ, aut suspicione ac metu à salutaribus abstineret. Ita hic sensus magnam habet cum gustu non solum confinitatem, sed & congruentiam. nam cuiq;, quæ bene sapiunt, bene olent: & quæ male sapiunt, male etiam olent: & si non, uice uersa. multa enim odorifera gustus auersatur, neq; est hoc in utilitate perpetuum. Sunt enim in gustatu atq; odoratu utilitates, sunt delectationes, & hæ aliàs utilitatibus conducunt, aliàs aduersantur: non in morbo tantum, ut absynthium & aloe, sed in recta etiam ualetudine. In quo educatio & consuetudo multũ detorsit naturam. Olim nihil habebatur suauius, quàm odor messis, odor campi uerni: sicuti nunc hominibus rusticanis nihil perinde allubescit, & senibus odor panis triticei recens cocti. postmodũ quæsita sunt alia, amaracinus, muscus, nardus, & aquæ ex floribus distillatæ: tum arte mista & confecta, præ quibus sordent iam naturalia.

Odoratus affinis gustatui.

ralia. Eundem ad modum in epulis: ut quum sit nihil naturæ inimicius q̃ popinaria, multi tamen nequeãt iam sine illa uiuere. Qui à dulcibus abhorrent, nec odorum præstantia delectantur: adeò ut non paucis suauissimus odor grauiter offendat caput, quod accidit etiã in quibusdam ex imbecillitate cerebri, aut uiolentia caloris, quo abundant odores excellentes: ut thus, cupressus, muscus. Sensorium est in caruncu- Sensorium gustatus.
lis narium, aut quod in alijs animantibus uicem earum obtinet, unde nerui ad cerebrum pertingunt. Odores alij sunt suaues & blandi, alij acres, quemadmodum in coloribus sunt grati quidam, ut uiridis: alij excellentes, ut candidissimus & præfulgens. In ratione sensilis præstans est prior, sicut lux: sed in fine sensorij suaue, quoniam ad gustum refertur. Quod odori congruenti aduersum est, uocatur fœtor: sicut amarum, quod dulci, & ut arida & frigida non gustantur, ita nec olent: tametsi olfactus magis ad calida & sicca uergit, quàm gustus. calida enim euaporatio acerrimum odorem gignit, ut in aromatis: & Aethiopiæ Arabiæq; stirpes omnes odoratissimi sunt. Odores.

DE SENSIBVS IN GENERE.

SVnt ergo perfectorũ animalium sensus quinq;, uidendi, audiendi, tangendi, gustandi, odorandi: qui

Sensuum finis.

di: qui à Deo tributi sunt animali ad salutem ipsius. Nam quod corporeum esset omne animans, & inter corpora uitam acturum, uoluit ei Deus notitiam quandam indere corporũ, ut salubria appeteret, deuitaret nocitura. Quæ intra quanq; rem sunt abdita, ea per externa noscuntur. sensus ergo sunt dati, in quibus esset omnium exteriorum inhærentiũ cognitio. nullum enim uidetur exterum adhærens restare, quod sub horum sensuũ notitiam non sit comprehensum: ut appareat, nec pauciores debuisse sensus absoluto animanti tribui, nec oportuisse plures. quanquam definitio hæc sit sanè nostræ coniecturæ, cum ueneratione sapiẽtiæ ac potentiæ Dei, qui solus nouit quid expediat, & quatenus. Sed pergamus infirmis nostris ac tenebrosis uti collectionibus. Ex ui & qualitatibus quatuor elementorum, ui res quinq; sensuum sumus sortiti, ut ex proportione quadam ac similitudine singula sentiamus. Terreus est tactui uigor, spissus uidelicet et tenax, fortiusq; apprehẽdens: aqueus, gustus. ex crasso aere est odoratus, qualis est fumus: qui quoniam ui caloris ab humido exhalat, ad partem igneam retulerunt principes scholæ Peripateticæ, Aristoteles & Theophrastus. fundamentum quidem illud est, & quasi origo: sed in euaporatione situs est odor ipse, qui est

Au plures aut pauiores sensus ex possit.

Sensus respondent 4 elementis. Vide tabulam de sensibus in scholio mox.

tactus.

gustatus odoratus.

uelut

uelut aer denſior. Auditus eſt aereus, uiſus igneus. oculi quidem certè corporatio aquea eſt, uis autem & efficacitas ignea: & quæ ſunt ijs naturis conſentanea, melius ſentiunt. Primus ſenſuum eſt tactus, poſtremus uiſus: quæ prima eſt coniunctio, ſimilis mundanæ illi materiali, quo ignis & terra principes coierunt, reliqua ſunt deinceps interiecta. Diſtinctio & ſeparatio ſenſuum ex ſenſilibus uidetur ſumenda, omnis enim facultas eò referretur, in quo ſe exercet. ut ſi ſunt ſenſilium quædam aliquot ſenſibus communia, uelut motus, magnitudo, numerus, figura ſeu forma, & ſitus, aut in loco poſitio, & quæ ſub his clauduntur: quæ ferè ſunt uiſui & tactui communia, quandoq; etiam auditui. Quæ uero ex horum ſenſuum cognitione facultas interior elicit, nihil ad ſenſus pertinent: ſicut pulchritudo in forma, aut fœditas, ſimilitudo & diſſimilitudo. quēadmodum in pomo prius guſtato ſaporem oculus uidetur iudicare, & in igne calorem. Sed non eſt is qui hoc cenſet, uerū animus ex memoria. nam ſi de ſit memoria, rurſum ad experimentū cuiuſq; ſenſus redibitur: ut in pueris, & quibuſdā animantiū. Hæc quidē ſunt germana & uera ſenſilia, quæ καθ' αὑτὰ nominātur, hoc eſt per ſe. nā ſubſtātia per ſuū inhærens ſentitur: ideo aliena ſenſione, quæ magis eſt

Auditus. viſus.

Diſtinctio ſenſuum.

Quæ uera ſint ſenſilia.

est mentis quàm sensus. eaq; de causa qui minus ualent mente, ægrius penetrant per inhærentia ad speculationem essentiæ: ut beluæ, & rudes homines, ac tardi. Nam illa iam in infinitum abeunt, quæ coniecturis & ratiocinatione colliguntur: intueri me hominem musicum, & regem quidem intueor. sed notitia musici ac regis non est oculi, haud magis quàm concentus, etiamsi libros aspiciam cum notis musicis, sed loquendi consuetudo obtinuit, quam ut in sermone non obseruari absurdum fuerit, ita in iudicando nihil est necesse ualere pro lege, aut regula: nec finis unquam esset, si illam adeò uicioſam ubiq; uellemus distinctiũculis, aut nouitate nominum tueri, ac fulcire. Iam ad alias trãseamus loci huius quæstiones. Dubitatum est, an ne species aliquæ à rebus uenirent ad sensoria. quæstio non tam necessaria, quàm rixosa: ideoq; circulis scholarum, & loquacitate contentionum mire plausibilis. Sensus nostri omnes ita sunt à Deo compositi instructiq;, ut ceu receptacula quædam essent eorum, quæ foris inciderent. hauriunt enim illi manifestò extrinsecus, non emittunt. hoc ostendit forma ipsa organorum omnium caua, excipiendis quæ foris appellerent ac commodata. nec aliter in sensibus usu uenit, quàm in animo: qui ipse nihil foras mittit, sed aliunde ad se

An species à rebus ueniant ad sensoria.

attrahit

attrahit, quod cognoſcat, atq; in ſe agat. Facile eſt
hoc animaduertere in ipſis ſenſorijs. qui ſi occupa-
ti fortè ſint extrà mittendo, non funguntur ſua ſen
ſione: ut guſtus ſi expuat, odoratus ſi reſpiret, ocu-
lus ſi lachrymetur. Enimuero ſi ſenſiones extrà mit
tendo fierent, nimis defatigaretur animans actione
tam continua. at in illa receptione, delaſſatio eſt lon
geminor, & reparatio leuioris operæ. Quod ſi in
cognitione omni, ut exiſtimatur, cognoſcens fit ra-
tione ac modo quodam cognitum, ut ſpeculum ob-
iectæ rei imago, uel ſigillum cæra: hoc certe non
extrà prolatio, ſed intrò receptio præſtabit. idq; ui-
deo ſatis conuenire, quod ferè natura ipſa docet, ſi-
ue conſtitutione ſenſorij, ſiue actionibus ſentiendi.
Reſtat controuerſia, an aliquid ex ſe emittant ſenſi-
lia ad ſenſum, quæ ſpecies dicantur. Venire aliquid
ex ſenſilibus ad ſenſoria manifeſtiſſimum, & qui-
dem cum ipſis corporibus in quatuor ſenſionibus,
ad nares ſuffitum, ad palatum ſaporem, ad tactum
qualitates illas principes, ad aures aerem motum, ad
oculos uerò luces ſeu lumina, cuiuſmodi ſuperius o-
ſtendimus, nec eſt dubitandum, quin hæ ſic pertin-
gant ad pupulam oculi, quemadmodũ ad ſpeculum:
& uidemus effectum conſimilem. Iſtæ ſunt ſpecies,
nec alias eſſe neceſſarias intelligo. Dictu quidẽ mi-
rabile,

An ſint ſpecies.

rabile, uenire aliquid à corpore ad oculum tanta celeritate, ut momento temporis uideatur longissima spacia penetrare. quæ consideratio multos perturbauit: sed motus hos pro cuiusq; elementi qualitate ac ingenio oportet existimari. Maior est in uidendo celeritas, quàm in audiendo: quia illud est igneum, hoc aereum. ignis autem rapidissima est concitatio: & quẽadmodum colores nominamus luces tenues, ita lucis natura colorum naturam explanabit. lux enim simul ut apparuit, puncto temporis immensa spacia percurrit, & complet. tali sunt ingenio colores, quali est lux, fons illorum & parens. Quæ animantia & pluribus rebus ad se tuendum indigent, & pluribus sunt nocumentis obnoxia, plures acceperunt sensus: tanquam instrumenta uel quærendæ salutis, uel pestis euitandæ. Tactus tributus est omnibus, item gustus, quoniam necessarij sunt ad uitam propagandam: ideoq; & medium eis astructum est intestinum. gustatu enim utile atq; inutile nutrimentum discernitur, tactu uero perimens & innoxium. qua de causa nõ uno aliquo in loco tactus est à natura collocatus, ut cæteri: sed sparsus per corpus uniuersum, ut partes singulæ ad sui conseruationem tanquam in statione excubarent. Gustui odoratus est utilis, idcirco et illum antecedit, ut quid cognouerit

Quæ animãtes quos habent sensus.

cognonerit renunciet, alliciens eum, uel auertens. non erat is admodum necessarius in scientia rerum, idcirco homini hebetissimus contingit: pro quo est notitia epularum. quin & facile in nobis tum obstupescit sensus hic, defluxu humoris crassi: tum etiam corrumpitur penitus. itaq; multi eo carent, haud parua sanè molestia liberi, præsertim ut nunc sunt mores priuati & publici. Quæ animalia procul erant uictum petitura, hæc auditum & uisum acceperũt: qui sensus alias quoq; utilitates præbent complures. Visus monstrat faciem ipsam uniuersitatis ac naturæ, dux & magister suus cuique domesticus: ideo præstantissimus habetur. quod testatur locus in capite celsissimus, tanquam in specula: & charissimus cuiq;, quòd ex eo ad uitam omnem ingentes commoditates capiuntur. hic autor atq; inuentor fuit omnium ferè disciplinarũ, & artium: cuius demonstratione cognoscimus corporũ & in proximo, et procul dissitorum lucem, colorem, magnitudinem, figuram, numerum, situm, motum. Auditus ad transfundendam ab alijs ad alios peritiam aptissimus, ideoq; sensus disciplinæ nominatur: quo quæ animãtes carent, nec doctrinæ intelligendæ sunt idoneæ, ut uermes. Quibus sensum aliquẽ natura detraxit, dictu incredibile q̃ sedula sit in compensando, partim in

4 Visus.
De his vide Arist. 4: de sensu et sensibili cap. 1. et 2. Ro: 127. 4: 8.

5 Auditus.

aliorum

aliorum ſenſuum uigore, partim in cognitione interna: ut cæcis ac ſurdis dedit acumen tactus, celerem ac firmam memoriam, intelligentiæ ſubtilitatem. accedit etiam neceſsitas, cuius ſtimulo ingeniũ expergiſcitur. Et quoniam uiſus & auditus cognitioni ſeruiunt interiori, non eſt eos in omni animali reperire, ut reliquos tres, qui corpori. Magnam habent uiſus & tactus communionem, quaſiq; amicitiam, ut alterius errores alter corrigat, in ſenſili utiq; ambobus communi. ut in pictura oculus ſibi eminentias quaſdam uidetur conſpicere: tactus uerò accedens, qui eſt ſenſus in homine certiſsimus, errorem hunc eximit, ſi modo oculorũ eſt ea fraus, & non animi.

An poſsint ſenſus falli.

Nam & illud à Philoſophis diſputatur, poſsint'ne ſenſus falli. uetus quæſtio, iam inde ab Stoicis, Epicureis, & Academicis tractata. Sed mihi nõ uidentur ſenſus poſſe falli, & ſi poſſunt fallere. fallitur enim, qui falſum recipit pro uero, aut è contrario. uerum porrò & falſum in compoſitione ſunt ac diuiſione, quæ in ſenſus non cadunt: qui ſenſus ſenſilia ſua ſimpliciter cognoſcũt, abſq; adiectione ulla, quod hoc aut illud ſit tale, aut non tale. iſthuc enim cogitationis eſt. Qui mente exiſtimo dictum illud eſſe olim, abſtrahentium non eſſe mentiri. ſenſuum uerò notitia, receptio tantum eſt quædam, ac uelut

imaginis

imaginis impreßio, ſicut annuli in cæra, aut formæ in ſpeculo. Sed reliqua eſt iam illa dubitatio, an ex ſenſuum nunciatione poßit animus decipi. In ſenſione inſunt, ſenſorium, ſenſile, & medium. fallit ſenſorium, praue affectum: ut lippus, aut luſcioſus oculus. fallit obiectum longinquum, uel agitatum, uel repente oblatum. fallit medium, non ſatis conſentaneum: ut fumus, nebula, aqua, aer commotus, uitrum colore infectum. Quod ſi omnia in recto naturæ conſtent habitu, ſenſorium bene affectum, ſenſile commodè oblatum, tempore ac loco medium congruens: non fallet animum attendentem, quod in reliquis omnibus contingit, ut quæ integram ſequuntur naturam minimum aberrent. Additum eſt, animum attendere oportere. nam is ſi aliò ſit intentus, recte quidem fungetur ſenſus ſuo munere, animus tamen ipſe praue ſtatuet: ſicuti quum nuncius uerum refert, non audienti. ita exiſtimamus non uidiſſe nos, quæ uidimus, aut aliter uidiſſe. Hoc eſſe in animo facile intelligitur. nam quidam audientes quæ non animaduerterunt, ſine intelligentia dicti tacent: paulò poſt uelut à ſomno experrecti, repetunt illud idem à memoria, & declarant ſe audiuiſſe atque intelligere.

An ſenſus fallant.

vide: i. 93. ra: 16.

DE COGNITIONE INTERIORE.

PRæter hanc rerum præsentiũ exteriorem notitiam, aliam intus esse rerum absentium manifesto deprehenditur. nam & dormientes multa cernimus, & uigilantes ab omni prorsum functione sensuum abducti cogitatione uoluimus, quæ uidimus, audiuimus, tetigimus, gustauimus, olfecimus: quæ sunt uel in mutis ad animaduersionem exposita, & perspicua. Et quemadmodum in altrice facultate uidere est inesse uim quandam, quæ cibum recipiat, aliam quæ contineat, aliã quæ conficiat, quæq; distribuat & dispensęt: ita in animis & hominum & brutorum est functio, quæ imagines sensibus impressas recipit, quæ inde Imaginatiua dicitur. est quæ continet, hæc memoria: quæ conficit, phantasia: quæ distribuit ad assensum aut dissensum, extimatrix. Sunt enim spiritalia imagines Dei, corporalia uero spiritalium quædam ueluti simulachra: ut mirandum non sit, ex corporalibus spiritalia colligi, ceu ab umbris aut picturis corpora expressa. Imaginatiua actio est in animo, quæ oculi in corpore, recipere imagines intuendo: estq; uelut orificiũ quoddam uasis, quod est memoria. Phantasia uero cõiungit, & disiungit ea, quæ singula & simplicia imagi-

Imaginatiua
Memoria.
Phantasia.
Extimatiua.

Imaginatio

Memoria.

Phantasia.

Φαντάζομαι, imaginor, informo. Φαντάζω, idem, fingo, in somnis video. Φαντασία. imaginatio, uisio, ambitio, opinio. Autor hic habet in libello de diuin: Phantasia seu visum e apprehensio. Ioan. Philoponus de rep. Platonis quos habuerit animi functiones scribit. Mentem. Dianeam, quam cogitationem dicimus, & est motus. Opinionem, q assensus e. Phantasiam, seu visum, apprehensio. Sensum.

natio

natio acceperat. Equidem haud sum nescius, cõfundi duo hæc à pleriſq;, ut imaginationem phãtaſiam, & uice uersa hanc imaginationem nominẽt, & eandem esse functionem quidam arbitrentur. Sed nobis tum ad rem aptius, tum ad docendum accommodatius uisum est ita partiri: propterea quòd actiones uidemus distinctas, unde facultates censentur. tametsi nihil erit quandoq; periculi, si istis utamur promiscue. Accedit his sensus, qui ab Aristotele cõmunis dicitur, quo iudicantur sensilia absentia: & discernuntur ea, quæ uariorum sunt sensuum. hic sub imaginationem & phantasiam uenire potest. Phantasia est mirifice expedita & libera: quicquid collibitum est, fingit, refingit, componit, deuincit, dissoluit, res disiunctissimas connectit, coniũctissimas autem longissime separat. Itaq; nisi regatur, & cohibeatur à ratione, haud secus animum percellit ac perturbat, quàm procella mare. Administratio hæc à sensibus mouetur, tum à corporis affectione, qua uia spiritales essentiæ, ut angeli boni & mali, insinuant sese ad uim illam concitandam, effectibus rerum naturalium subtilissime, quiq; facile & sensuum & iudicij nostri cognitionem frustrentur, adhibitis. Habent quoq; mentes illæ actiones quasdam nobis incognitas, ut homines inter se, quas bruta non capiunt.

Rationem reddit sũæ divisionis.

Sensus communis.

Spiritus agũt in phantasiam.

d 2 nam

Ipſor de organa Veriſa bri de pdo hãs 4 genelyſi ſrũbi. Spuales eſſen ã nerũt & natũre ſnã ſole tia, vel diũtinus ac vario vſũ rep aũ experimẽtis vim cõiũ ſpũ herbã, arboris. lapidis, animantis. per hãc mouent hũnores humanũ corporis, p quos mouẽtur phãtaſia, a qua ſollicitudinũ ratio & voluntas. Ipſi quoq; ũt ſpirales in facultates inferiores ſuas occultas quaſdam actiones poſſunt inuehere. Hactenus.

nam quemadmodum homines alij aliorum & phantasiam commouent, & mentem, uerbis, nutibus, gestibus, literis, signis, quod brutorum cognitionem excedit: sic spiritales essentiæ phantasiam nostram possunt agitare, actione aliqua sibi solis propria & cognita, mota prius facultate imaginatrice. Colligata est admodum imaginatio cum corpore: nam & à sensibus mouetur, & mirabiles uires edit in corpore, ut quicquid in alterutro imprimatur, redundet in alterum. corpus enim eam recipit, et reddit formam actionemq;, quam imaginatio concepit. quod in rebus Venereis, sed manifestißimum atq; expreßißimum in prægnantibus fœminis animaduertitur: in quibus ea efficit imaginatio concitata, quod facere nulla intelligentia aut ratio possent. Extimatiua autem facultas est, quæ ex sensilibus speciebus impetum iudicij parit. Iudicium hoc ad profuturũ aut læsurũ tendit: quippe ad salutem retulit natura, uel cognitionem sensorum, uel stimulum suum. Itaq; iudicatur prius, quale quidq; in se existimetur: hinc q congruens aut damnosum. In priore censura sequitur animus sensum, uel uisum: in posteriore occulto naturæ stimulo agitur, & rapitur impete, ut quum ouis fugit lupum nunquam antea uisum, & gallinaceus aquilam uel accipitrem, & homo draconem ac monstra

Imaginationis Vis

Extimatiua

Iudicij diuisio.

Prius.

Posterius.

monſtra rerum: quin etiam ad primum quorundam hominum aſpectum congreſſumq; cohorreſcimus. De memoria mox dicetur. Senſa exteriora dubium non eſt, quin proportionem quandam, hoc eſt analogiam habeãt cum interioribus. ſunt enim craſſa & terrea, ſubtilium atq; ſpiritalium imagines: & animo nihil eſt perinde de ſenſibus ſimile, atq; oculus. itaq; imagines animi proportione rerum tales uidentur illic eſſe, quales externæ. iſtæ in oculis imprimuntur, interiores illæ in lucido ſpiritu, qui eas & retinet diutius, & offert animi oculo purius ac manifeſtius: quæ impreſsio ceu paſsio quædam eſt. at quum in eas animas componendo aut diuidendo incumbit, actio fit illius. Hiſce facultatibus diuerſa attribuit natura inſtrumenta, & ceu diuerſas officinas in cerebri partibus. nam in anteriore cerebro dicunt eſſe ſenſuum fontem ſedemq;, ibiq; imaginationem conſtitui: in medio phantaſiam, & extimatiuam: in occipitio memoriam. idq; inde colligunt, quod ut quæq; harum partium afficitur, ita & illa functio, reliquis non mutatis, haud aliter quàm in corporis membris experimur. pede enim læſo ambulare non ualemus: quoniam & ſi ingrediendi principium & uis eſt in animo, in pede tamen eſt inſtrumentum & fabrica. Ex cognitione cenſuraq; noxiꝫ &

Memoria.

Inſtrumenta ſeu ſedes facultatum interiorum.

& benefici, appetitus nascitur congruentis, fuga autem dăni & auersio: tum motus animi de bono præsenti, ac malo, deq; eisdem uenturis aut iam appetentibus. qui affectus dicũtur, seu perturbatiões, Græcè πάθη, de quibus diffusè est à nobis separatim

Motus. differendum. Appetitus qui est in aliquid, & auersio quæ ab aliquo, ut animum commouent, ita etiam corpus motu illo suo, ut uel ad utile feratur, uel ab obfuturo discedat. id fit ingressu, uolatu, natatu, serpendo. Sunt tamen animantes imminutæ, quæ affixæ semper in uestigio, quoniam quod sibi expediat, alibi non quærunt, expertes sunt horum motuum: uelut conchæ & spongiæ. contrahuntur tantum, & extendũtur, quatenus satis est illarum saluti. Pal-

Palpitatio. pitatio autem in quocunq; animali, non est motus ex appetitu proficiscẽs, sed nutritionis, dum calor agit in humidum: quod cernere est in ijs, quæ igni sunt admota.

DE VITA RATIONABILI.

HAe sensuum siue exteriorũ siue interiorum facultates supremæ sunt in brutis, in homine uerò menti deseruiũt, quæ innixa cognitione imaginationis & phantasiæ, altius sese erigit, nempe ad intelligentiã rerum spiritaliũ: & assequitur, se claussam obscuro carcere, obseptamq; tenebris, eoq; à re-

rum

rum plurimarum intellectu arceri, nec posse planius intueri ac cognoscere, quæ uellet: siue essentiam rerum materia contectarũ, siue qualitatẽ ingeniumq; immaterialium, nec posse per hanc corporis caliginem acumine ac celeritate sua uti. huc usq; uerò nulla uis animantium se attollit, quæ nec in se unquam reflectitur, nec quicquam suprà sensus corporis cogitat, aut considerat. Ex hac cognitione rerum supremarum, atq; in natura excellentissimarum, ita ut etiam ad autorem omnium mens pertingat, oritur amor erga illas. Vnde pugna & contẽtio inter mentem ac phantasiam, dum hæc deorsum trahit animum ad corporea, mens ad superna & res præstantissimas erigit: & fertur mens ad ea quæ neq; sensu ullo, nec phantasia comprehenduntur, errantemq; & diuagantem longissime per deuia phantasiam cohibet, atq; in uiam reducit. Neq; est uniuersus eius nutus ad præsentem utilitatem aut noxam pronus: sed præterita recordatur, & futura cõiectat, & ueri falsiq; censuram inquirit: quod bruto non est curæ. tantũ quid expediat corpori, quidq; illud lædat, considerat, actus solo raptu phantasiæ. Ex hoc mentis uigore manat sermo, eorum quæ mente capiuntur index: quo munere, non minus carent bruta, quàm mente ipsa, origine sermonis ac fonte. ideoq;

Mentis & phantasiæ certamen.

Sermo.

ideoq; muta nominantur: quæ ſigillatim in ſequentibus explicabimus. hoc enim ordine ſunt iſta declaranda, ne difficilium atq; abſtruſarum rerum intelligentia confundatur. Hæc eſt uita mente prædita, id eſt conſilio, iudicio, ratione, quæ λογικὴ nuncupatur, à nobis autem rationabilis: quæ cognoſcendo Deo, ac proinde amando condita, finem per hos gradus habet immortalem beatitudinem.

QVID SIT ANIMA.

HActenus de uita animantium, dicamus nunc quatenus inueſtigari à nobis poterit, quid illud ſit, per quod quidq; uiuit. Repetamus quod initio eſt à nobis poſitum, hiſce uitæ ac uigoris actionibus liquidò patefieri, aliquid in his uiuentibus ineſſe, quod deſit torpentibus: ſcilicet quod uitam illis præſtet, non item his alteris. Id uero fieri non poteſt, ut ſit ea moles, quæ ſylua ſeu materies dicitur. hæc enim æquè eſt in uniuerſis corporibus bruta, ſemper torpens, & ſui ſimilis, nec ullas ex ingenio & natura ſua uires ſortita. Quod ſi facultatem illam materia tribueret, ubi materia abundaret, largius quoque de eiuſmodi facultate eſſet inuenire, quod multo ſecus uſu comperimus. Nam nõ minus eſt & animi & mentis in mediocri corpore, quàm in uaſto ac enormi. Quid quod nec minus eſſet homo corpus ex-

Materies.

pus extinctum, quàm dum uiueret. sed neq; uires illas tantas adhærens potest aliquod præstare: quippe quod extremum & tenuissimum est rerum omnium cunctæ naturæ, proximum nihilo, ac penè nihil ipsum, sæpenumero etiam nihil prorsum, sola mentis nostræ cognitione consistens. Porrò ex ui & facultate hac uitæ admirabilia cernimus proficisci operà quæ etiam à substantia existere magnum sanè est ac mirandum, ut non immerito homines sapientissimi illud à quo hæc tanta ederentur, in supremo substantiarum ordine reposuerint. Est ergo ab omni ratione alienum, ab inhærentibus ea nasci, quæ uel de celsissimis uenire substantijs iure miramur. Cedò uerò, quæ tandem sunt ista inhærentia? qualitates elementorum, quæ nominantur primæ seu principes, tum membrorum intus ac foris conformatio. At uerô non quo quis habet plus caloris, aut frigoris, eo etiam plus mẽtis. Nec quæ ex illa qualitatum diuersitate constat, nexus atq; harmonia potest esse effectio naturæ. illa enim & augeri potest, & minui. effectiones porrò eædem semper sunt, ac uniusmodi: alioqui uariari posset ratio ac natura speciei, quod nulli unquam Philosopho uenit in mentem affirmare. Compositio autem & figuratio corporis, nihil ad hoc faciunt: quippe quæ est in cada-

Inhærentia.

Qualitates primæ.

Crasis.

Figura Corporis.

uere & uiuente eadem. Adde quod maior est sensus, & humano uicinior, in quibusdam quæ longissime ab hominis formatione recesserũt: uelut in elephanto, quàm in sue, quo ferunt nihil esse homini similius intrinsecus, et contẽperatione carnis: quod declarat gustus, nam quidam in extremis rebus pasti cadaueribus, retulerunt eam carnem saporis esse suillæ. Ad hæc, mens nostra non solum non sequitur naturam corporis, sed regit illud, & flectit, & torquet quò uult, repugnatq; affectionibus, quæ maximæ ex illa molis uelut pinsione existunt. Quid quod sentiendi uis omnem corporis & adhærẽtium uim ac potentiam excedit, ut illius actiones nulla corporis facultas possit exprimere, quanto magis functio illa in nobis suprema intelligendi? Scienter Empedoclem Aristoteles interrogat, quid tandem illud sit, quo adiuncta illa uniuersa ad tantam functionum uarietatem contineantur in corpore, & quasi coerceantur, nisi substantia quæpiam, & quidem non de postremis generibus essentiæ. Manifestum est etiam in diuersis animantium corporibus eadem esse, siue primæ, siue secundæ notæ inhærentia, siue etiam tertiæ, ac infimæ: operationes tamen longe diuersissimas annotari, uelut in puero & simio, in leone & fele, in coruo & gracculo. rursum

fum diuerſa eſſe adiuncta, quum actiones ſint perſi miles, ut in ſene & iuuene. Sed iſti qui ad inſenſilium rerum ſcrutationem aliquam non ſe attollunt, facile ad inhærentia referũt, quicquid altius & reconditius eſt ſenſuum iudicio. Itaque ſuperflua iſtis fuerit omnis effectio, imò uel materia ipſa, ut relinquatur eis ſolum moles quæpiam de genere quantitatis, cuiuſmodi ſunt geometricæ. Neq; uero hanc ſentiendi atq; intelligendi uim corpus eſſe dixeris, ex materia & effectione conflatum. nam quod primum in uiuente mouet illud ad operationes uitæ, eſt uitæ fons ille atq; origo, de qua iamdudum uerba facimus. Atqui in omni corpore initiũ & origo actionum, eſt ipſa effectio. fuerit igitur ſatius, effectionem eſſe id, per quod uiuimus, quàm corpus ex materia & ſpecie. quippe corpus eiuſmodi animatum citius quiuis appellarit, quàm animam: nempe per ſuam effectionem uiuens, ſicut cãdidum per candorem eſt tale. Ex his quæ diximus, facile eſt colligere, quid non ſit anima: deinceps uero quid ſit, aperiamus. quod quidem fieri non poteſt recta, ideſt ipſa rei eſſentia denudata, ac uelut ob oculos propoſita: ſed ueſtitã, & quaſi depictam q̃ fieri per nos poterit aptiſſimis maximeq; proprijs coloribus, ꝓponemus ſpectãdam ex illius actionibus, ipſa enim ſub ſenſus noſtros

noſtros non uenit, opera autem omnibus penè ſenſi bus & internis & externis cognoſcimus. Profecto benignitas Domini Naturæ erga nos magnis ſe undiq; argumentis profert, quod nobis expedit, & in promptu poſuit, & in copia: nullumq; eſt ſignum euidentius, nobis non conducere, quam remotum eſſe, rarum, difficile paratu. Anima quid ſit, nihil intereſt noſtra ſcire: qualis autem, & quæ eius opera, permultum, nec qui iußit, ut ipſi nos noſſemus, de eſſentia animæ ſenſit, ſed de actionibus ad compoſitionem morum: ut uitio depulſo, uirtutem ſequamur: quæ nos eò perducet, ubi ſapientiſſimi atq; immortales beatiſſimum æuum degamus. Sed ut de eo quod propoſitum eſt, pergamus dicere: neque de ijs ipſis operationibus poteſt ſemel in totum definiri, ut quæ paulatim ſe per partes ad intelligentiam totius proferant. Ergo brutæ materiæ, ac inerti, addidit effectiones Deus: ſiue illas ſpecies nũcupare ſit collibitum, ſeu formas, de quibus eſt alibi à nobis diſputatum. Eæ ſunt participes diuinæ præſtantiæ, unaquæq; pro modo ſuo & captu, ut uideri poßint, tanquam radij quidam ſempiternæ illius & infinitæ lucis. Suprema Dei excellentia, eſt conditio uitæ illius æternæ, omni felicitate cumulatæ, quæcũq; uel excogitari poteſt, uel optari. Hanc ille bonitate ſua

Anima quid ſit.

impulſus

impulſus communicare uoluit cum mentibus, quas in id conderet tanti boni capaces. Itaq; in rebus conditis, uniuerſæ perfectionis uelut extrema quædam manus eſt beatitudo. Secundum hanc uero bonitas, per quam uelut inſtrumentũ quoddam beatitudo & communicatur nobis à Deo, & à nobis accipitur. Ea enim & illum ad communicationem induxit, & nos ad participationem extollit. Bonitas autem eſſe nulla poteſt, ubi non ſit cognitio eius quod faciendum eſt: uidelicet quod tenendum, & à quo fugiendum. Ad hæc tanta & tam excelſa faſtigia per effectiones aſcenditur, tanquã per gradus inter ſe coniunctos, connexosq;, nihil ut inane relinquatur inter extrema à Deo diſiunctiſſimis ad coniunctiſſima, coniunctionem & propinquitatem uoco, ſimilitudine magis præſtantiæ ad noſtra iudicia, quàm applicatione eſſentiæ, ut coniunctio hæc & ſeparatio non ſimpliciter ſumantur, ſed ad quippiam: nempe collatione non ad Deum, uerum inter res conditas ex participatione diuinæ excellentiæ. Quapropter ſunt, quibus res uiuunt effectiones ſiue ſpecies uiuentium. ſicut id per quod res hæc eſt charta, eſt chartæ effectio: per quod adamas, per quod lana, lapis, effectio ſpeciei cuiuſq;. haud aliter per humanam effectionem ego ſum homo, per equinam hoc eſt equus

Beatitudo.
Bonitas.

Effectio.

est equus, per caninã illud est canis. Quæ effectio nomen ex singulis rerum generibus sumit, quæ genera & partes seu formas ratio ipsa effectionis facit: uelut adamantina, chartacea, lapidea, per quas sunt adamantes, chartæ, lapides. Hanc in animantibus liceret uitam nominare, nisi uerbum hoc usus cõmunis ad actionem potius uertisset, quam ad speciei essentiam. Nec aliter anima est suo corpori uel connexa, uel (sicuti quibusdam placet) annexa & adiuncta, q̃ reliquæ formæ suis materijs, nisi quod in nexus ratione ac modo permagnũ est discrimen, quale est in naturæ ordine, quo superiora inferioribus iunguntur, terra aquæ, hæc aeri, aer igni, ignis cœlo, cœlestia supercœlestibus, ac quodammodo diuinis. Quæ in natura coniungũtur & colligantur, ea omnia medio quopiam deuinciuntur, id uero est, uel participatione essentiæ extremorum, quo nodo connectuntur corpora, terra aeri per aquam, aqua igni per aerem, caro ossi per chartilaginem. uel congruentia quadam functionis atq; operationis, ut artifex operi suo per instrumenta: uelut pictor tabulæ per penicillum uel carbonẽ, faber ligno per asciam & dolabram. sic effectio omnis artifex est in sua materia. instrumenta sunt qualitates, & conformatio materiæ: per has unitur species moli. nec aliter anima

anima corpori inuestitur, quàm lux aeri: in quo com cc. cc.
plexu fit aer lucidus, utrũq; uero & lux & aer inte
grum manet. non enim miscentur ut elementa, in mi
sto naturali, uel ut herbæ pulueres, ac oleum in phar
maco. Sed in alijs effectionibus nexus est substan-
tiæ utriusq; partis uicinior, in anima distat longissi-
me. Cuius naturæ sit quæq; species, ex eius officijs
atq; actionibus intelligitur. Saxa & lapides nihil ha Effectiones aqueæ & terreæ.
bent omnino, nisi frigidum & torpens ex terra: &
aqua est illis effectio, nexus autem ex earundem in-
genio & qualitatibus. plumæ et stipulæ, aereæ natu Aereæ .2
ræ quiddam sunt nactæ. anima uero, quæ altrix dici
tur, ignea est, omniaq; eius munia sunt uis igneæ. Igneæ .3
brutorum animi superiores sunt, cœlestes scilicet: Cœlestes .4
ideo & sensus, & notitiam quãdam sortitæ, qua ui Vide 1. Phisic. fo. 385. 4:13
ces cursusq; cœlorum & siderum non sentiunt mo
do, sed quadantenus etiam intelligunt: ut diei ac no-
ctis, hyemis & æstatis. nec est facultatis horum ele
mẽtorum, sensum & cognitionẽ præbere: cœlestis
est potentiæ. Homo uero supra cœlos etiam ascẽdit Hominis diuina origo.
ad Deum ipsum, diuina est ergo illius origo. Mate-
ries in imo omniũ iacet, nulla potest ad eam effectio
descendere, nisi rapiat secum media: nempe earum
formarum, quæ in medio sunt, conditionem atq; in-
genium. ita species animalis uim animæ uegetabilis
continet,

continet, humana uero uim utriusq; simul cum inferiorum quoq; elementorum uiribus. In sensibus hoc idem annotamus. ignei sunt oculi, aures aereæ, nares itidem, gustus aqueus, tactus terreus. Cui sunt oculi concessi, huic & sensus reliqui: cui gustus & tactus, non protinus & auditus & aspectus. Nec immerito illud ferè placuit, hominem paruum quendam mundum appellari, quod uim naturamq; rerum omnium sit complexus. non est tamen ignorandum, uitas inferiores non esse superioribus agendi principia & origines, ut ex inferioribus superiores nascãtur: sed adminicula quædam, & uelut gradus, per quos superiora & descendant, & ascendant. ut uegetatio nõ est sensuum origo, sed gradus, per quem sensus uenit ad corpus, & paulatim ad functiones suas scandit. habet enim unaquæq; uita originem ex se suam, & metam in qua sistit. Instrumentorũ animæ alia sunt liquores, ad certam quandam rationem & legem temperati: alia uero membra siue interna, siue externa, ad hunc uel illum modum conformata & descripta: quæ illi, prius quàm sese corpore induat, eatenus à natura aptantur, quatenus perficere id ipsa per se non ualeret. reliqua enim quæ præsentiæ suæ uiribus potest, illi ceu primum relinquuntur munus, in quo se exerceat, & occupetur, antea q̃ functiones

Homo microcosmus.

Instrumenta aiæ.

functiones illas suas præcipuas explicet: sicuti res nos docet in paruulis animantibus. Liquet igitur ex his, animam esse agens præcipuum, habitans in corpore apto ad uitam. Declaranda sunt horum singula paulò apertius: & ratio, cur quidq; sit à nobis positum, breuiter reddenda. Agens nominatur, & quasi artifex, nam quod agit quippiã per instrumenta, in eo ipso uis inest agendi illud ipsum: ut in picto re pingendi, in me scribẽdi, tametsi nec pictor sine penicillo pingat, & coloribus, nec ego sine penna & atramento scribam. in quo enim non est uis & facultas aliquid agendi, nec instrumentis adhibitis illud aget. An uero aliqua sit animæ actio, quam illa hisce armis semotis exequeretur, commodius disseremus in sequentibus. Præcipuum autem additur. nam si quis calorem, uel humorem, uel spiritus aliquid dicat agere in corpore, sciat illa omnia non per se agere, sed ab anima id habere, ut agant: ueluti quod atramentum hasce literas effingat, & penna exaret, à me est, non ab ipsis. Est ergo anima ipsa artifex, est agens, non aliunde in eo utiq; corpore uim suã mutuans. Habitare dicitur in corpore. nam Deus in illo est corpore, non tamen habitat: & dæmon se insinuare potest in corpus animãtis. sed habitat anima, quod illic eius est mansio, tanquam in ædi

Definitio. Anima qd.

bus, cum tota ſua ſupellectile & domeſtico inſtrumento. Cæterum corpus hoc aptum deſcriptumq; eſſe conuenit, quẽadmodum illius ſpeciei effectioni conſentaneum eſt. neq; enim promiſcuè in quacũq; forma & figura corporis, quæuis anima poſſet hærere, ad uitæ operationes edendas, hoc certe naturæ ordine, & his legibus, quas Autor uniuerſitatis à condito orbe ſanxit. Sed cõtemperatio liquorum & qualitatum, quia in corpore & ipſo naturæ opificio penitior eſt, idcirco appoſitius eſt animæ organum, & maior artificis nexus cum illo: ut ſiue hoc deficiat, recedit anima: ſiue recedat anima, cõtinuo illud deficere ſit neceſſe. Membra autem poſt animæ abceſſum manent. conformatio enim membrorum, & internorum & externorum remotior eſt, & ſeparatior: commixtio uero humorum in illis, intima. Quid quod qualitates illæ membrorum adminiſtræ ſunt, & ceu inſtrumentorum inſtrumenta. per has enim anima utitur membris. quæ ſi abſint, nulla eſt membrorum utilitas: ut in aridis, aut tumefactis, ſeu quo alio affectis morbo. eſt enim membrum ad exteriorem exercitationem idoneum. contemperatio autem humorum, ad organum illud in ea aptitudine continendum. Qua de cauſa humores illi ſemper ſunt in motu, non item membra. ſemper enim

mim debent continere membrum actioni, si usus po
scat, paratum. Qui artifices unicũ & simplex exer De ratione
cent opus, ijs unum instrumentum sufficit: uelut ad instrumen-
aquam de fonte hauriẽdam, urna uel urceus: ad scin torum.
dendum gladius, ad serrandum serra. qui uero mul-
ta, aut unũ uarium, ijs opus est pluribus, sicut ijs qui
cælant & pingunt, aut qui ædificant. Eodem modo
de anima est sentiendum, cui & membra sunt foris
attributa ad externas molitiones, & liquores ad ui-
tæ munera. Confert sanguis ad salutarem irrigatio Sanguis.
nem corporis, unde exhalent spiritus, uelut aurulæ
ex fluuijs & fontibus salubres. atra bilis ad sisten- Melancholia.
dos uagantes spiritus, cohibendosq;, ne subtilitate
sua nimium disrarati, cõtrà quàm corpori expedit,
euanescant. flaua bilis ad concoctionem redundan- Cholera.
tium humorum, & incitationem corporis, ne obtor
pescat. Pituita alimentum est rapacitatis igneæ, & Phlegma.
quasi frenum, ne cuncta ilico corripiat. Nec aliter
quàm opifex uarijs ferramẽtis uaria exequitur ope
ra, non idem omnibus, nec tamen uarijs semper ua-
ria: sic in corpore animantis sunt quædam actio-
nes, quæ anima certis quibusdam partibus exercet,
sunt quæ diuersis, sunt quæ indifferenter omnibus.
nec in uarijs tamen uiuentibus eodem modo, ut sen-
tire, & ali, & crescere, fusum est per uniuersum

corpus: oculo autem cernimus, aure audimus. Iam in arboribus alij rami amputati, si terræ infigãtur, reui rescunt, & radices iaciunt: alij emoriuntur, sicut in animalibus. sunt quorũ partes excisæ uiuant per se, ut in insectis, quæ ἔντομα dicũtur: cuiusmodi sunt uermes, apes, formicæ, in alijs uero quicquid est è corpore auulsum, continuo amittit uitam. Et sicuti instrumentũ magnum momentum est ad opus recte perficiendum, aut secus: sic in humoribus, & membris corporis, non parum positũ est, ut uitæ & sensuum & cognitionis & intelligentiæ actiones probe exequamur. quemadmodum ad densationem, uel disrarationem aeris purior subtilioráq;, aut contrà densior maligniorq; fit lux: qua similitudine in hoc negocio Gregorius Nyssenus utitur. Sed & omnia organa animæ sunt parata uelut artifici, & ipsa sola eis utitur. ut planè appareat, aptationis huius corporis animantis, in quo tam sedula & solers uersatur natura, perfectionem & absolutionẽ esse ipsam animam: meritoq; Aristoteles, & acute, ut solet, animam nouo nuncupauit nomine ἐντελέχειαν, quasi perfectionem secum adferentem. Prius quàm ad alias profligandas quæstiones transeamus, disputandum uidetur, quot sint in uiuentium genere uitarum seu gradus, seu rationes ac formæ. Sed plurimum

Insecta.

ἐντελέχειαν.

interest

Vide 3. 6: 8.

Quot sint uitarum gradus.

interest, qua uia ad effectionum inuestigationem insistamus: nam ipsæ per se adiri non possunt. actiones uero nisi proprias germanasq; sumpserimus, ægrè ad id peruenietur quod inquirimus. Hac de causa genera sunt à nonnullis & multa constituta, & uaria. nam alij motum earum spectarunt: ita fecerunt natatia, ingredientia, serpentia, uolantia. alij statum corporis: unde sunt bipeda, quadrupeda, apoda, erecta, proiecta, recta, curua. quidam habitationem & sedem: hinc terrestria, aerea, aquatilia, ambigua, quæ Græcè ἀμφίβια. Sed hæc omnia exteriora sunt, quæ ingeniũ effectionis leuiter & obscure ostendunt. Intima uero & propria, & quæ abscedere non possunt, sine detrimento non tam entis illius, quàm speciei: ea demũ cuiusmodi effectio sit, arguunt. Nos ergo congruenter, ad id quod erat opus, de uitæ actionibus suprà disseruimus. Estq; à nobis demonstratum, esse quasdam actiones uitæ uegetantis, alias uitæ sentientis, alias cognitionis, alias rationis ac mentis. Hæc sunt opera penitissima animarum, quæ adeò sunt cum ipsis connexa, diuelli ab earum substantia ut non possint. impediri quidem possunt obice aliquo, tolli non possunt, quo minus obice adempto redeant: ut non uidere, non audire hominem in mania, aut apoplexi, aut ebrieta-

A motu.

A corporis statu.

A loco.

Ab interjectis obstantibus.

te, aut iracundia, uel pauore, ratione & mente non uti. Quapropter quot sunt actiones illæ, tot sunt animarũ genera: nempe uegetatrix, sentiens, cognoscens siue cogitans, rationabilis. Quorum generum aliæ quoq; sunt portiones, ac formæ. uegetatrix enim surpium est omnium, & quodammodo ad metalla quoq; se porrigit, quæ in terræ uisceribus nutriuntur, & adolescunt. Vita hæc omnium inferiorum effectionum uires cõtinet, ad sensum non pertingit. Sensum uero, non item cognitionem habent ea quæ Græcis sunt ζωόφυτα, mediæ cuiusdam inter animalia & plantas naturæ: plantanimes, & plantanimalia uerti posse, nõ absurde dixit quidam. Hoc in genere sunt ostrea, spongiæ, conchæ multarum formarum, quæ gustu & tactu sunt prædita, cogitationis expertes, & cognitionis internæ. & si propius ad animalis naturam accedit concha, quàm spongia. Interiorem cognitionem habent animalia, in qua etiam nota non desunt discrimina. quippe, quædam non omnibus sunt sensibus prædita, et interiorem cogitationem leuissimam sunt sortita, ut nulla uideatur esse: sicuti insecta. tametsi in quibusdam naturalem prouidentiam solertiamq; admiramur: ut in ape, & formica, & araneo, & bombyce, ltaq; quod difficilis horum esset discretio, ma-

neant

neant ſanè in genere animalium, hac diſtinctione, quod inchoata nominẽtur. Perfecta autem ſunt animalia, in quibus ſenſus ſunt quinq;: ex quibus colligi eſt facile, cognitionem aliquam interius inſidere, niſus enim ad contemplationem eſt datus: & auditus, ut antea dicebam, diſciplinæ eſt ſenſus. Supremum locum obtinet anima, quæ ratione utitur: nempe humana, quæ inferiores omnes ui ſua continet, de qua nobis reliquus eſt deinceps futurus ſermo. Sed prius duæ ſunt nobis attingendæ quæſtiones. Prior eſt, quum in homine & uegetationem, & ſenſum, & cognitionem illam brutalem ineſſe cernamus: in animali uero ſenſum, & cognitionem, & nutritionem: utrum ſit una in animali anima, una in homine: an potius totidem, quot functiones? præſertim quod eas & locis animaduertimus diſcretas, & tẽporibus: ut in oculo eſt uiſus, in cerebro cogitatio & mens. tum infans, dum corporatur in utero, nihil ferè diſtat ab ſtirpe: natus autem, à bruto. & quemadmodum Paulus inquit, uiuit prius quod eſt animale, hinc quod eſt ratione præditum. Sed unica eſt in ſingulis animalibus anima, ut in quoque corpore naturæ una effectio corporis, per eam uiuẽtis: uiribus tamẽ & functionibus diſtinguit. ut multi magiſtratus, aut artes in homine eodẽ, quas ille et uarijs locis

Inchoata. Perfecta. Rationabile. 4. Obiectio. Quot animæ.

& uarijs temporibus, & diuersitate instrumentorum ac ministeriorum exhibet. Quin & diuersitas organorum, atq; actionum inter se repugnantia, arguit unum esse opificem, & ab eo promanare omnia: qui arte sua regat & moderetur singula, ut conueniat uiuenti. Quod si actiones, & opera, & instrumenta diuersas esse animas demõstrarent, nihil esset quod non multas haberet species. quid enim est, quod nõ multiformia edat opera? nec ullus esset effectionum modus, magnáq; in scrutatione naturæ sequeretur confusio. Verum quum accedit præstantius, cedit inferius: quod in omni cursu & naturæ & intelligentiæ cõtingit. & in perfectione nostræ beatitudinis sempiternæ cessabũt inchoata hæc atque imperfecta, quum erit charitas Dei consummata. Ob hanc tam multiplicem artificis solertiam, & peritiam, attributa sunt illi à Deo arma tam uaria, diuersæ formæ, substantiæ, naturæ: quibus singulis enarrandis, multos libros magna ingenia dicauerũt.

Obiectio. Quæ sedes animæ.

Altera quæstio est, quænam in corpore sit sedes animæ. Anima in uniuerso est corpore, haud aliter q̃ unaquæq; effectio in cuncta sua mole: in cuius parte aliqua si non adesset anima, pars ea non uiueret, ut in membro prorsum arefacto. Cæterum per oculum uidet, per aurem audit: quemadmodum agricola aratro

aratro findit terram, raſtris ſarrit, cylindro æquat, ligone aut pala repaſtinat. nec aliud uidetur mihi eſſe, quàm ſi quis roget, in quo potiſſimum illorum ferramentorum ſit agricola. Itaq; aptius ſic putant ſe quidam interrogare, quod ſit animæ præcipuum inſtrumentũ: neq; hoc ſatis prudenter. ad uidendum enim oculus, ad audiendum auris: ut præcipuũ agricolæ inſtrumentũ eſt, ad arandum quidem aratrum, ad ſarriendum autem ſarculum. Intelligentiæ quidem & cognitionis omnis, cerebrum, & in eo ſpiritus quidam tenuiſſimi, ac pellucidi: uitæ autem fons eſt cor. Multa quidem in animante ſunt membra & intus & foris, adeò neceſſaria, ut non poſſit animal uiuere uno illorũ quolibet exempto: cuiuſmodi ſunt caput, cor, hepar, & alia nonnulla. non tamen ideo fontes ſunt uitæ illa omnia, ſed cor, quod primum in corporatione animantis uiuit, tanquam fons primo ſcaturiens: ultimum emoritur, quaſi uita cum illo & initium capiat, & terminum, reliqua membra ſauciari & affici poſſunt, ſine interitu animantis: cor non poteſt. Itaq; uidemus illud in medio ſitum, tanquã in præcipua ſede corporis, tectum munitũq; tanto præſidio thoracis, inteſtinorum, præcordiorum, ceu arcem & præſidium uitæ corporis, illinc etiam, uelut ex caſtello aquæ riui ad omnes corpo-

Cor.

Cor in medio corpore.

ris partes ſalutares dimanant, per quos uiuunt & uigent omnia, imò, ſi uel minimum incommodum propius ad illud accedat, etiamſi non attingat, ilico uniuerſum animans langueſcit, atq; exanimatur, quantumlibet animoſum: atq; adeò nihil aliud efficit illud animoſum, niſi cor bene conſtipatum, quaſiq; armatum ſanguine & calore, ne quid incommodi facile illuc peruadat. nam quæ cor habent ab illis deſtitutum, meticuloſa ſunt, & leuiter quocunq; aliorum membrorum dolore linquũtur animis, non propter membra, ſed propter imbecillitatem cordis: ut apertè fateantur, & clament illic eſſe uitam, illinc ad ſe uenire. Itaq; ſenſum illum natura indidit omnibus hominibus, ut de ſe loquẽtes, aut ſeipſos innuentes, manum admoueant ad pectus. quod annotatum à Chryſippo Stoico, nequicquam à Galeno medico exagitatur: præſertim quod non pro euidẽti atq; inuincibili argumento ſumendum hoc eſt, ſed pro coniectura, non omnino reſpuenda. Nullum eſt membrum, quo non aliqua animalia careant. ſunt quæ pedes, quæ caput, quæ pulmones non habeant: quæ cor non habeat, nullum eſt: aut aliquid ſaltem, quod uicem obtineat cordis: uel in ipſis quoque ſtirpibus.

De ſe loquẽtes manum admouere pectori.

IO. LODOVICI VIVIS

DE ANIMA ET VITA, Liber Secundus.



OMINI, *quòd ad ſempiternum illud bonum ſit conditus, facultas eſt tributa boni expetendi, ut bono ſe cupiat applicare atq; adiungere: quæ facultas, uoluntas nominatur.* Voluntas. *Non expetet autem, niſi intelligat: unde altera exiſtit facultas, quæ intelligentia nominatur.* Intelligẽtia. *Quoniam uerò animus noſter non ſemper eadem in cogitatiõe inſiſtit, ſed ad actus alios ex alijs tranſit, receptaculo fuit illi opus, in quod priora cogitata, alijs ſubeuntibus, conderet, ceu in theſaurum rerum abſentium: quas res, quum uſus poſcat, repetat, ac depromat. huic muneri, memoria eſt nomen.* Memoria. *Ita hominis anima, quà eſt hominis, ex tribus conſtat præcipuis, ſiue functionibus, ſiue facultatibus, ſiue uiribus, ſiue muneribus ac officijs, ſiue (ut alij appellant) potentijs ac partibus. non quod partes habeat id, quod eſt inſectile, ſed partes pro officio ac munere uſurpamus. Hæ autem ſunt, mens, ſiue*

Anima rationalis potẽtiæ.

siue intelligentia, uoluntas ac memoria: in quibus re
lucet imago diuinæ trinitatis, sicuti à sanctis patri-
bus demonstratum est. Quæ sint harum facultatum
actiones, quot, quales, qui earum ortus, progressus,
incrementa, decremẽta, occasus, perscrutari longè
arduissimum ac difficillimum, plenissimumq; intrica
tæ obscuritatis: propterea quod suprà mẽtem hanc
non habemus aliam, quæ inferiorem possit spectare
ac censere. quemadmodum mens ipsa, de sensibus
& parte uegetabili facilè iudicat: nempe inferiori-
bus. Deus quoq;, facultates has nobis magis cõces-
sit ad usum nostrum, quàm ad earum notitiam. qua-
les sint, ipse nouit, autor illarum: nos opifices eius
sumus, per illas. Sed pulcherrimum tamen est (quia
de re pulcherrima ac præstantissima, adq; animum
componendum in primis conducibile) quæ sit men-
tis nostræ qualitas, uis, functiones, opera, quatenus
licuerit, perscrutari ac eruere. quicquid ea exercita
tione fuerit excusum repertumq;, grande profecto
& studij preciũ fuerit, & speculationis. nihilq; pro
feretur, quamlibet tenue ac exiguum, quin pro ma-
gno habendum sit. Porrò facultates, quod uox de-
clarat ipsa, ad faciendum sunt paratæ. quocirca ex
factione facultates distinguuntur: nempe operatio-
ne, & opere. quæ quidem ab essentia rei deriuẽtur,

Etymologia Facultatis

non

non ab inhærentibus, aut ijs quæ extrinsecus accidunt: cuius rei est in sensibus exemplum. oculi enim facultas est uidere, nõ hunc colorem aut illum, hoc aut illo modo: sed simpliciter, ac nude. Intelligẽtiam facimus duplicem. nam & in uniuersum est mens tota, & functio quædam illius particularis. Mentem autem nostram annotamus intelligere, quæ foris uenjant, & intellecta uelut in capsulam quandam ad tempus reponere: unde quum opus sit, repetat. repetitio hæc, & quasi scrutatio, consideratio appelletur: inde in recordationẽ uenitur. Videmus dehinc illa quæ intellexerit inter se conferre, hinc ad alia discurrere: quæ ubi perfecerit, censet, statuit, iudicat quid uerum, quid falsum, quid bonum, quid malum. hinc uoluntas, quod est bonum, ascisit: quod malũ, repellit. Atq; huc superiores facultates actiones q; referuntur, quæ etiam ab hoc ultimo ad primum eisdem gradibus recurrunt. uoluntas enim nihil sequitur, aut fugit, quod iudicium non censuerit prius bonum esse, aut malum. Nihil porrò statuit iudicium, quod non sit confectum ratione, nec conficitur nisi collatum. conferri autem non potest, nisi consideratum, & repetitum à memoria: nec hærebit memoriæ, nisi prius cognitum atq; intellectum. Offeruntur autem absentia cognitioni, quod non in solis

Intelligentia.

Partes mentis.

Consideratio.

ſolis rebus præſentibus ſit appetitus uoluntatis noſtræ, aut auerſio, tum diſcurritur, propterea quod excelſa et procul diſſita expetit, ad quæ eſt per gradus & longa inueſtigatione ueniendum. Poſtremo quæ nouit, quæ elicuit, quæ expetit, aut declinat, quieta interdum contemplatur, quæ eſt uelut quies quædam animi. Ergo ſunt hæc in anima rationali munera: uoluntas, memoria, mens, & ſub mente ſimplex intelligẽtia, conſideratio, recordatio, collatio, diſcurſus, cenſura ſeu iudicium, contemplatio, de quibus ſigillatim eſt diſputandum.

SIMPLEX INTELLIGENTIA.

Est prima & ſimplex apprehenſio eorum, quæ menti proponũtur. nec aliter ſe habet in mente, quàm oculus in corpore, imaginatio in animo. Neq; uero ſimplex nominatur ideo, quòd ſimplicia tantum cognoſcat, hoc eſt ſingula rerum, ut ſenſus: ſed quod nihil aliud quàm cõprehendit, ac uelut intuetur, quæ offerũtur. ea uero quantumlibet uaria, compoſita, connexa: ut ratiocinationes, ſermones longos & multiplices, iiſa confuſiſſima. Cui quid animo offertur ſimplex, & ſine compoſitione, ſi id præſens eſt, imaginatio recipit eam figuram, quæ eſt oblata ſenſibus: ſin abſens, ut quum de eo fit in ſermone mentio, ſi res eſt quæ cadit ſub ſenſus, &

memoriæ

memoriæ impressa, phantasia repetit formam à memoria. quod si ea sit res, quæ cognosci à sensibus non queat, esse quidem aut non esse, hoc aut illo modo colligit ratione mens: imaginem tamen ei affingit phantasia, ex rebus sibi notis desumptã. sic effiglat Deum, angelos, mentes nostras, & quæ sunt eiusmodi. Idem facit in rebus corporalibus, quas ignotas ex notis sibi depingit: ut leonem, elephantum, Romam, Lutetiam, & eiusmodi quæ nunquam antea uiderit. Vniuersale nullum est in imaginatione, sicuti nec in natura: tantummodo à ratione discurrente attingitur, sub imagine confusissima ac tenuissima, dum mens, quantum efficere potest, phantasiæ se notis exuit. Difficile dictu est, quas habeãt in animo effigies, qui cæci sunt nati. Et ut necessarium est ad cernendum, ut sit oculus apertus: ita & intelligentiæ, ad intelligendum, necessaria est attentio, seu aduersio quædam animi, quod Græcis dicitur προσεχειν τον νῦν. hæc est uelut mentis quædam apertio, ad recipiendum quod offertur. Intelligentiæ huius impedimenta sunt, uel intrinsecus ab alia cogitatione uehementiore animo occupato & abstracto, uel à cogitationum tumultu, dum aliæ aliis subinde extrudunt. transit enim mens ad diuersas, nec in ulla sistit: tum uoluntas menti imperat, ut alias

Vniuersale.

Attentio.

Impedimenta intelligẽtiæ.

Intrinsecus.

ut alias res agat, eamq; à præsenti negocio abducit. quod nec fit, nisi animus, quo uoluntati morem gerat, uenientem intelligentiam alia cogitatione tanquã pro foribus obiecta excludat. Extrinsecus causa est in corpore, in frigidis & crassis humoribus, qui spiritus gignũt densos & tardos, ac proinde ad percipiendum non satis idoneos. Foris quoq;, quum sensus alijs rebus sunt ualde occupati, ab aliarum rerum attentione mentem auertũt. sed hoc ad illud refertur, quod alijs cogitationibus alias uel pelli diximus, uel excludi. neq; enim sensus quicquam officerent, nisi illis se mens accommodaret, & tanquam præberet aurem loquentibus. tametsi interdum uehemens, & laborioſa sensuum corporalium actio impedit intelligentiam, quod spiritus auertit aut deuincit, qui sunt mentis instrumẽtum præcipuum, ut in morbo & dolore. Qui sic cogitationibus iactantur, animo uelut peregrinãtur semper, nec unquam sunt in re præsenti, aliud agentes nuncupantur, quibus magna uitæ pars inutiliter transigitur. Sunt qui priorem sermonis partem non intellexerunt: ex intelligentia autem posterioris, quid sibi prior uoluerit, rectè coniectant: uel ex uestigijs exiguæ intellectionis superiorũ, uel ex collatione coniecturarum à negãtibus ad aientem, non est uerisimile hoc esse,

Extrinsecus.

nec

nec illud aut illud: igitur quartum hoc, quoniam nullum reſtat aliud. Itaq; duæ ſunt in totum cauſæ non intelligendi, uel quum occupatus eſt artifex, uel quum inſtrumentum non ſubſeruit. in quo & delaſſatio comprehenditur ingenij, quæ ab ipſo non eſt, ſed ab inſtrumentis. Mens enim noſtra non habet uim infinitam, nec quantam uult in actione præſenti, uel in materiam obiectam: ſed in duratione temporis, & continuatione operis. quocirca in ſuis iſtis actionibus, nũquam ſua ipſius imbecillitate deficit, ſed organorum. Reparatur intentio feſſis uel quiete, uel ſola auerſione animi ad aliud, ut in defeſſis: & eo facilius, ſi à re graui ad leuem, à moleſta ad iucundam. tum exhilaratione ſenſuum, uelut amœno ſpectaculo, harmonia, refectione cibi et potus, ſeſſione ſi ſteterit, aut ſtando ſi ſederit, uel inambulatione, excitatione noui affectus, lætitiæ, mœroris, cupiditatis, ultionis, ut cuiuſq; eſt procliuitas: deniq; re quacunq;, quæ recentem ſpiritum ſufficiat.

DE MEMORIA ET RECORDATIONE.

MEmoria eſt facultas animi, qua quis ea, quæ ſenſu aliquo externo aut interno cognouit, in mente continet. Itaq; actio huius tota eſt introrſum conuerſa, eſt enim memoria uelut picta tabu- Definitio.

la, quæ ut aſpectu oculorum efficit actum notitiæ, ſic illa intuitu animi intelligentis, aut cognoſcentis: quæ notitia non eſt ſimplex, nam conſideratio eſt, quum inquirit & ſcrutatur: recordatio uero, quum ad id peruentum eſt, quod uolumus. Eſt & in recordatione recultus, quum animus inſiſtit in recordatione rei alicuius, multũ eam retractans cogitatione, & reuoluens, quod recolere nominatur. Quæ recordatio ſimplici gignitur intuitu animi in memoria, ea cõmunis eſt nobis cum beluis: quæ autem fit per gradus quoſdam & diſcurſum à rebus, quæ ante animum obſeruantur, ad ea quæ ſubterfugerant, hominis eſt propria, qui ſolus diſcurſu utitur: reminiſci à philoſophis nuncupatur. Neq; in hoc nobis conuenit cum uſu communi loquẽdi. nam Vergilius de equo dixit: Dulces reminiſcitur Argos. Sed teneamus ad commoditatem diſſerẽdi, uocabulum uſu ſcholarum tritum: & ſit nobis reminiſcentia, quod Græcis ἀνάμνησις, quæ eſt in recordationem reductio, quaſiq; recordationis recordatio. Habemus igitur memoriam, recordationem, reminiſcentiam. Memoriæ ſedes ac uelut fabrica, in occipitio eſt à Natura collocata, admirabili ſapientia, quod præterita cernat. ita illic uelut oculum habemus quendam multo præſtantiorem quàm ſi corporalis aliquis eſſet

Diuiſio. Conſideratio. Recordatio. Recultus. Recolere. Recordationis diuiſio. Reminiſci. Reminiſcentia ἀνάμνησις. Sedes memoriæ.

set astructus: qualis in fronte, quod in fabulis est de Iano. Memoriæ, sicuti & manus, duæ sunt uires, apprehendere & retinere. apprehendunt facile, qui humido sunt cerebro. Est quidem cerebrum omne humidum, sed supra modum intelligi conuenit. ut si gillum celeriter in humore fluido imprimitur, sed non diu hæret, nisi in arefacta materia: ita bilioso ad retinendum sunt aptiores, ubi semel apprehenderunt. Temperamentum autem ad utrunque est idoneum: quod in quibus est pueris, bonitatem ingenij arguit, ut Quintilianus annotauit, adiuuatur enim ingenium à memoria, ut & percipias facile, quæ uelis: & celeriter ac fideliter reddas, quum sit opus. quæ duæ partes, illico, & bona fide repræsentare, illius sunt, quod retinere nominaui. Nam sunt qui continent quidem, sed in reddendo quasi depositio uel tardi sunt, & diu laborant quærendo, uel reddunt mala fide: nempe aut non integre, aut confuse, & perturbate. quod qui faciunt, ingenia habent inuersa, atq; infelicia. Iuuenes propter calorem, & humores puriores, plus pollent memoria, quàm senes. Primum in quod ætas inuadit, inquit Seneca, est memoria: nec ullum senectutis certius signum, quàm memoriam labascere. remittitur enim ætate calor, & spiritus cõdensantur. Cæterum memoriæ loco,

Memoriæ partes duæ

3

Apprehendere.

Retinere.

magnum substituit Deus bonum senibus: prudentiam, usu rerum collectam, & iudicium acrius & efficacius. Nec memoriam habent omnes pariter ad omnia, sunt qui uerba, sunt qui res meminerunt facilius: ut Themistocles rerum, Hortensius uerborum recordatione dicuntur ualuisse, quod exemplum positum sit, pro toto & hominum & rerum genere. Nam alij curiosa, alij recta & simplicia, alij publica, alij priuata, alij uetera, alij noua, alij sua, alij aliena, alij uitia, alij uirtutes recordantur citius & melius, ut est cuiusque ingenij pronitas, & attendit ad hæc aut illa libentius. Attentio enim memoriã confirmat, ut statim dicam. Et quemadmodum in pictura, non omnia quæ expressa sunt, uel cernimus, uel animaduertimus, uel quum quærimus occurrunt: ita in memoria multa habemus nobis incognita, & quæ nos non habere credimus, quum habeamus: sicut à contrario. tum quæ habere scimus certo, multũ tamen quæsita, indagata, inuestigata non comparet: quæ si quis offerat, statim agnoscimus, ut in loquendo. Nam pleriq; linguas intelligunt auditas, quas loqui nesciunt. loquendo enim quærimus, audiẽdo autem offeruntur, & recognoscimus. Memoriæ plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuisse præditos illos credibile est, quorum magnitudo

Memoria uaria.

Themistocles. Hortensius.

A sinistra.

Ab exemplis ut speciosis do. Nam pleriq; linguas intelligunt auditas, quas loqui nesciunt. loquendo enim quærimus, audiẽdo autem offeruntur, & recognoscimus. Memoriæ plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuisse præditos illos credibile est, quorum magnitudo

Quæ memoriæ conferant.

gnitudo memoriæ monumentis literarum celebratur: Themistocles, Cyrus, Cyneas, Hortensius. Memoriæ quæ conducant.

Adiuuatur tota ratione victus, cibis, potionibus, 2
exercitamentis, quiete, somno moderatis, & ad facultatis illius instrumenta accommodis. Sunt quæ- 3
dam quæ peculiariter prosunt memoriæ, alia quæ obsunt, obseruata medicorum cura, & libris consignata. Et quemadmodum non imprimitur in aqua 4
fluenti signum annuli, ita neq; in memoria res cognitæ, cerebro uehementer agitato. quale est in pueris infantibus, propter continua incrementa corpusculi: tum in ebrijs & ægrotis, quum halida uis
ardoris spiritus omnes rapit secum, conuoluitq;.
Difficile item recipiunt, qui in occipitio frigidos 5
habent humores, ac proinde duros, quorum est natura ad impreßionem saxea: tales sunt senes, & tardi, & torpentes. Qui uero sani sunt & integri, sed 6
celeres habent spiritus, apprehendunt quidem cito,
sed non adeò continent: cuius sunt generis bilioßi.
Lenta ingenia, inquit Aristoteles, recordationis fide ualent, acuta autem reminiscentia. Tenacior est 7
memoria in tardo, sicut diuturnius sigillum in saxo aut ferro: redeunt tamen celeres facilius in recordationem. Alte descēdunt in memoriam, quæ atten- 8
tè sunt à primo accepta, & cum cura. quo fit, ut in-

genioſiſſimi ſæpe homines, & bono memoriæ proli-
xe inſtructi ornatiq;, non tam recordentur multa,
quàm qui illis non ſunt pares his dotibus: quod ne-
glectim multa uident, legũt, audiunt. Si ſe adfectus
aliquis concitatus, primæ rei cuiuſq; memoriæ admi
ſcuit, recordatio eſt deinceps facilior, promptior,
diuturnior: ut quæ cum maxima lætitia uel dolore
ſunt in animum ingreſſa, horum longiſſima eſt me-
moria. eaq; de cauſa mos eſt quarundam gentium, in
ſtatuendis agrorum limitibus acriter cædere pueros
qui adſunt, ut firmius & diutius recordentur illorũ
finium. Exercitatione & meditatione crebra ma-
gnum memoria ſumit robur. fit enim & ad accipien
dum prompta, & ad plura capienda latior, & tena-
cior ad continendum: nec eſt ulla in toto animo fun
ctio, quæ perinde cultum ſui deſideret. Ingenij mu-
nia non fiunt quiete ac ceſſatione deteriora, ſæpe
etiam renouantur, & præparata plus uigoris acqui
runt. Memoria, ſi nõ exerceas, hebeſcit, ut tardior
fiat indies, & ſegnior ocio ac quietudine. Obliuiſci
autem triplici ratione dicimur: uel quũ imago illa in
memoria depicta eraditur prorſum ac deletur, uel
quũ interlita eſt atq; interrupta, uel quũ quærentem
ſubterfugit: uel quũ obrupta eſt, & quaſi uelo quo-
dam contecta, ut in morbo uel affectu cõcitato. pri
ma eſt

Obliuionis ratio quadruplex.

ma est uera, & maxime propria obliuio: secũda est obscuritas, seu litura: tertia & quarta, occultatio. quæ deprehẽdere est in tabula, cuius imaginum alia est deleta, alia est interlita uel interciſa, alia nos fallit, alia est operta uel exolescens. Obliuisci etiam dicimur eorũ, quæ à natura ipsa accepimus, quum de primis illis & naturalibus informationibus dubitamus, quæ euidentißimæ et certißimæ ueritates nuncupantur. perinde est enim, ac si eas aliquando didicerimus, naturæ institutione. Prima obliuio, noua prorsum cognitione indiget: quarta detectione, ut sanitate corporis aut animi: reliquæ duæ instauratione, ut uestigatione et quasi gradibus ad id ueniatur, quod quærimus, ut ab annulo in aurifabrum, ex hoc in monile reginæ, hinc in bellũ quod gessit uir eius, à bello in duces, à ducibus ad eorũ progenitores aut liberos, hinc ad disciplinas quibus studebant: in quo nulla est ad sistẽdum meta. Gradus hi per omnia argumẽtorum genera late sese diffundunt. à causa ad effectum, ab hoc ad instrumentũ, à parte ad totum, ab isto ad locũ, à loco ad personã, à persona ad priora eius & posteriora, ad cõtraria, similia: in quo discursu nõ est finis. et sunt transitus quidã longissimi, imò saltus: ut ex Scipione uenio in cogitationem potẽtiæ Turcicæ, ppter uictorias eius de Asia, in qua

Obliuio!
obscuritas. 2
occultatio. 34.

Remedia obliuionis.

regnabat Antiochus: ex nomine Ciceronis uenit in recordationem Lactantius, qui fuit eius imitator: ex hoc de chalcographia. nam is liber dicitur formulis æneis excusus uel primus, uel de primis. Reminiſcẽtia hæc uel naturalis est, cogitatione ultro ab alijs ad alia transeunte: uel uoluntaria, seu iussa, quũ animus in recordationem rei alicuius conatur peruenire. Fa-
2 cilia sunt ad recordationem ordine notata, & præscripta: in quo genere præcipuæ sunt mathematicæ traditiones. Versus quoq; ad memoriæ fidelitatem conducunt, propter ordinem compositionis, & structuram non temere uagantem sparsamq;, sed certis limitibus conclusam, ut animum non patiantur aberrare uia, ceu repagulis quibusdam utrinq; munita & obsepta. uicißim temere effusa, uel dissolute congesta, difficile est & capere, & continere. Quocirca & qui recordari aliqua cupiunt, diligẽter attenteq; ordinem eorum animaduertunt, quæ mandant memoriæ: &
3 artis huius magistri, loca quædam discipulis suis ediscenda exhibent. Nam quæ simul sunt à phantasia comprehensa, si alterutrum occurrat, solet secum alterum repræsentare: unde sedes illæ existunt in artificio memoriæ, quippe ad aspectum loci de eo uenit in mentem, quod in loco scimus euenisse, aut situm esse: quando etiam cum uoce, aut sono aliquo

no aliquo quippiam contingit lætum, eodem ſono audito delectamur: ſi triſte, triſtamur. quod in brutis quoq; eſt annotare: quæ ſi quo ſono uocata gratum aliquid accipiunt, rurſum ad eundem ſonum facile ac libenter accurrunt: ſin cædantur, ſonitum eundem deinceps reformidant, ex plagarum recordatione. qua in recordatione gemina illud uſu euenit, ut ex re minore ueniat nobis de maiore in mentem ſæpius, non è cõtrario. Maius uoco melius, præſtabilius, rarius, precioſius, charius, deniq; quod nos pluris facimus. ut quoties aſpicio domũ, quæ Bruſſellæ eſt è conſpectu regiæ, uenit mihi in mentem Idiaqueus, cuius illud erat hoſpitium, & in qua nos ſæpiſſimè, quantumq; per illius negocia licebat diutiſſime ſumus collocuti de rebus utriq; iucũdiſſimis: non tamen quotieſcunq; Idiaqueus obuerſatur animo, de ædibus illis cogito. notabilior eſt ſcilicet animo meo Idiaquei recordatio, quàm illarum ædium. Eundem in modũ de ſonis, de ſapore, de odore. Puer quum Valentiæ febri laborarem, & deprauato guſtu ceraſa ediſſem, multis poſt annis quoties id pomum guſtabam, toties non ſolum de febri memineram, ſed habere mihi illam uidebar. Quapropter nuda eſſe oportet ea loca, quæ memoriæ mouendæ aſſignantur, ne ſi quid habeant inſigne, aut illuſtre,

hoc eſt nobis notabile, obrudnt quod eis fuerit commendatum: non aliter recordatione inſigne illud rapiente, atq; in eo occupata, reliquorũ oblita, quàm uentriculo de multis cibis eo qui naturæ ſuæ maxime eſt congruens, alijs neglectis. Et quoniam ſimilitudo ex multis uelut unum reddit, facilis eſt & uſitatus non memoriæ ſolum, ſed cogitationis quoq; error, ut à ſimili tranſeat ad ſimile. pro Gregorio ſumimus Georgium, pro enthymema problema, Pindarus pro Pandarus: quæ ſimilitudo eſt in uerbis ex medio, principio, fine. tum in rebus, ex eo quod in illis attentio conſiderat: ut Xenocratem pro Ariſtotele, in philoſophia & diſciplina Platonis: Scipionẽ pro Q. Fabio, in bellis Punicis: Irum pro Codro, in paupertate: Demoſthenẽ pro Cicerone, in eloquentia: Narciſſum pro Adonide, in pulchritudine: alliũ pro cepis, in odore. Eodem modo de loco, tempore, de actionibus aut qualitatibus, quorum exempla patent latiſſime. Similitudo perturbat memoriã, ut oculos corporis, ne iudiciũ poſſit recte ſtatuere de eo, quod eſt ad ſe delatum confuſe. Hoc uitium uel in

Error ex ſimilitudine.

1 prima attentione naſcitur, quod intelligentia non ſatis animaduertit, quæ offeruntur, ut integra ea diſtincta q; poſſet memoriæ commendare: quo in ge-

2 nere ſunt aliud agentes, uel in ipſa memoria, quæ parum

rum ſyncera fide cuſtodijt. uel in ſecunda conſidera- 3
tione, quæ eſt attentio, quum perperam ea, quæ in-
tegra erant in memoria repoſita, depromit: quod
aliàs negligentia uel ſocordia quadam accidit, aliàs
commotione animi, ut in ebrijs, iratis, metuentibus,
amantibus, inuidentibus, exultantibus, & huiuſmo
di. Sicuti quum depoſitum non tale redditur, quale
traditur, in uitio eſt aut accipiens, aut cuſtodiens,
aut repræſentans. Perturbatur item conſideratio, 4
quum iuſſæ aliquid quærere, aut depromere, obijci
tur extrinſecus diuerſum quid, uel alienum. Salutauit me heri in foro Petrus Toletanus, nec ſatis animaduerti, nec ſatis memini. ſi quis ex me quærat, quis te in foro heri ſalutauit? ſi nihil addat, facilius reſpondero, quàm ſi dicat, Io. Manricus ne, an Lod. Abylenſis? Si quæratur, quis fuit Socratis pater? citius occurret memoriæ, quàm ſi addatur, Num non Democritus? magis intricat adhuc conſiderationem, quum res eſt in uicio ſimilitudinis poſita. Dum enim conſideratio aliquid ſcrutatur, unicum munus arripit, in quod ſolum incumbit. quum uero aliud eſt obiectum, additur occupatio refellendi eius. ita labor fit duplex: prior, reijciendi quod non conuenit: alter, eius quod conuenit, reponendi. Diſtinctio temporum reminiſcentiæ, eſt neceſ-

ſaria

saria, alioqui confunderentur imagines: ut in tabula, si aliæ super alias absq; interuallo depingantur. Quæ hacuo animo & tranquillo accepimus, facilius hærent in mente, suiq; uestigium imprimunt diuturnius ac expressius, si modo attente animum applicamus. qua de causa quæ prima ætate uidimus atque audiuimus, ea diutius recordamur, et integrius. est enim tunc soluta curis & cogitationibus mens. tum etiam attendimus diligenter: quippe ætate illa admiramur omnia, tãquam noua. at quæ admirationem nobis mouent, ea sollicite spectamus, alteq; in animum descendunt: itaq; & expressius sunt in memoria depicta, facileq; occurrunt recordationi, & distincte depromuntur. Senes præterquàm quòd iitio ætatis difficilius capiunt ac retinent, (spissantur enim eorum spiritus, nec facile imagines recipiunt) occupatio quoq;, & in res uarias intentio tumultuatur intus, ut nec quietè quicquã admittat, nec quum quæritur, sinat inueniri. Deterũtur quoq; imagines in memoria insculptæ, unde recordatio existit manca, & quæ aliquid semper uideatur requirere. excident enim circumstantiæ loci, temporis, personarum, quod est primum memoriæ per ætatem labascentis uitium. Consideratio est, quæ scrutatur ea, quæ sunt in memoria recondita. Imagines rerum,

quas

quas memoria conſeruat, in lucido ſpiritu ſunt impreſſæ: qui ut eſt calidus & agilis, nunquam conquieſcit, quam uero illius partem attingit acies conſiderationis, hoc eſt ſpiritus ſeruiens conſiderationi, eam intuetur, eoq; non ſemper omnia recordamur, nec ea quidem ipſa quæ uoluntas imperat. nam ſæpe quærimus, quæ non inuenimus, quæq; poſtmodum ſeſe ultro offerunt, etiam per quietem: ut quibuſdam, quam ſolutionem argumẽti, aut nomen rei diu multumq; uigilantes inquiſierant, in ſomnijs reperiunt. Quædam recipit intelligẽtia prima illa ſimplex, quæ eſt de ijs quæ extrinſecus obueniunt per uidendi uel audiendi ſenſus, quæ non animaduerſa tradit ſtatim memoriæ, attẽtio uero, uelut exurgens conſiderat in memoria, & intelligit interdum continuo pòſt, nonnunquam longo interuallo: haud ſecus quàm ſi quis uel à ſomno excitaretur, uel ex alienatione mentis ad ſe ipſum rediret. Hi ſunt uel ingenio tardi, aut animo peregrinãtes, aut intenti ualde aliò, quod etiã in uiſu & auditu euenit, quum ſenſus communis aliud agit, ſicuti eſt antea declaratum.

DE COMPOSITA INTELLIGENTIA.

SVbſtantiæ puræ, hoc eſt adhærentibus denudatæ, nulla eſt in animo imago, ſed tantũmodo adiacentium

adiacentium, quæ illam conuestiunt ac operiunt. Recepta autem prima illa imagine, ac simplici, quæ est per sensuum ianuas ingressa, addit ei phantasia simulachra & formas alias ex ijs qualitatibus uel actionibus, quæ hauriuntur sensibus. Ratio uero accedens, confert illa inter se, esse talia uel non talia, agere sic aut illa. uel secus. Hinc ea quæ nullis cognoscuntur sensibus adiungit, quæ in schola Syncategoremata nominantur, hoc est consignificantia: ideoq; hæc plura sunt & aptiora, quo magis augetur ratio: ut in uiris quàm pueris, in ingeniosis quàm stupidis, in doctis quàm imperitis. Phantasia nihil coniungit, aut separat per copulam, uelut hoc est tale, aut non est tale, sic agens aut non agens: sed sic coacernat hoc tale nõ tale, hoc uel illud agens, hoc modo aut illo, uel è contrario. quod ostendit puerorum & rudium & crassorum hominum sermo, qui multum coniunctiones omittunt in loquendo, congerunt tantum rerum nomina absq; nexu. Transit ratio ab adhærentibus ad substantiam, & exculpit non iam quale sit quicq; solummodo, aut quid agat, sed quid sit aut non sit: quorum aiens uocatur coniunctio, negans autem separatio.

Syncategoremata.

Coniunctio. Separatio.

RATIO.

QVæ intelleximus, consideraimus, contulimus,

mus, omnia ſunt parata in uſum rationis: ea uero eſt collationis progreßio ab uno in aliud, uel à quibuſdã ad aliud uel alia. Ideóq; etiam diſcurſus nominatur, & reputatio: quod ſicut in uite putantur ſarmenta inutilia, ita in ratione, ut ſolum utile retineatur purum (quod dicitur) & putum, quoad eius quidẽ præſtari poßit. Nec perturbet nos, quod diſcurſum diximus. nam interdum ratio non tam curſu ingreditur, quàm ſalticulis per diuerſa delibando. eſt enim ratio alia per ſuos gradus continua ſerie diſcurrens, eſt alia tranßiliens, & medios aliquos gradus intermittens: uel ex ignorantia recti ac congruentis progreſſus, uel quod illos attingere minime exiſtimat neceſſarium. Phantaſia nullam ſibi poteſt figurare imaginem, niſi ex ijs quæ prius uſurpauit ſenſibus, ſiue aliqua talis ſit in natura rerum, ſiue ab ipſa confícta, ex una aliqua aut diuerſis. Ratio autem tanta rapiditate uolitat per eas imagines, ut uel nullam omnino in ſe cõcipiat: uel adeò leuiter, ut ſe rè nulla eſſe uideatur. nihil enim ſumit de inhærentibus ſingularibus. Ideóq; aſpicit procul quidem, abiungit ſe tamen à uiſis, quãtum poteſt efficere. nam ſi illis ſeſe inuolueret atque implicaret, haud aliter quàm torrente raperetur, ut in ebrietate & furore: & eum ad modum cerneret, quo quum per conſpicilla

Definitio.

Diſcurſus.
Reputatio.

Ratio autem tanta rapiditate uolitat per eas imagines, ut uel nullam omnino in ſe cõcipiat: uel adeò leuiter, ut ſe rè nulla eſſe uideatur. nihil enim ſumit de inhærentibus ſingularibus. Ideóq; aſpicit procul quidem, abiungit ſe tamen à uiſis, quãtum poteſt efficere. nam ſi illis ſeſe inuolueret atque implicaret, haud aliter quàm torrente raperetur, ut in ebrietate & furore: & eum ad modum cerneret, quo quum per conſpicilla

cilla depicta & uariegata. Ideoq; magna ſanitate mentis eſt opus, ad bene diſcurrendum per ea quæ cõuenit. mens enim, quæ uiſis agitata non ualet ſeſe ſiſtere, ſimilis eſt ei, qui per lubricum deſcendit. Opus nihilominus eſt ad expeditum diſcurſum miniſterio phantaſiæ, ſi non diſſolutæ, at ſolutæ tamen ac liberæ. Vtitur quidem ratio phantaſmatis, non ſe illis admiſcet. Senſus ergo inſeruit imaginationi, hæc phantaſiæ, quæ intellectui & conſideratio recordationi, conſideratio recordationi, collationi recordatio, rationi uero collatio. Senſus eſt uelut umbræ aſpectio, phantaſia ſeu imaginatio imaginis, intelligentia corporis, ratio effectionis ac uirium. Eſt diſcurſus quidam rationis, iuſſus à uolũtate, ut aliquid uel rerum inquirat menti, uel bonum ipſi uoluntati. Eſt alius ultroneus, ſuapte ſpõte procedens, ui mentis libera ac ſoluta, quæ quieſcere non poteſt. Spontanea ratio non tam ex certis & notis principijs aggreditur opus ſuum, quàm iuſſa: quoniam negligentius ſcrutatur, quid ſit in quaq; re ueri & falſi, boni & mali. Notitia humana eſt ab ijs, quæ ſenſibus ſunt cognita, ad ea quæ animo & mente: nempe à ſingularibus ad uniuerſalia, à materialibus ad ſpiritalia, ab effectis ad cauſas, à promptis & patentibus ad recondita. Deo autem omnium opifici atq; autori, cauſæ

ri, cauſæ priores ſunt ac notiores quàm effecta, uniuerſalia quàm rerum ſingula. In nobis quoque, ut quiſq; maximè uel ingenio ualet, uel rerum uſu, uel doctrina, magis uiam naturæ, hoc eſt Dei, ſequitur in cognoſcendo & colligendo: qui autem craſſiores ſunt, hanc ſenſuum uiam tenent. Diſcurſus autem rationis, per omnes locos argumentorum uerſatur. Fit etiam uel à negatione ad affirmationem, ut non eſt hoc, nec illud, ergo illud: qui eſt diſcurſus obliquus. uel à negatione ad negationem, neq; hoc, nec illud, nec aliud, incertum ergo quid: qui eſt ſpurius, ſeu vóθ@. eſt rectus alius, & legitimus, à re ad rem: ab affirmatione item ad negationem, hoc, ergo non illud. Ratio data eſt homini ad inquirendum bonum, ut id uoluntas amplectatur. bonum bruti apertum eſt, nempe in corpore: noſtrum in mente occultum. ideoq; nobis opus fuit ueſtigatione ueri in tenebris, illi tenebras non habent, illorumq; extimatiua, ad bonum tantum & malum fertur: noſtra autem etiam ad uerum & falſum. Vnde duplex exiſtit decurſus: ratio ſpeculatiua, cuius finis eſt ueritas: & ratio practica, cuius bonum. prior ſiſtit ibi, altera tranſit ad uoluntatem, & ſpeculatrix non eſt ſimplex. nam eſt uel in ueritatibus, quæ ſenſu aut phantaſia, aut ex ijs collectis rationibus licet conſequi,

Duplex ratio.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

quæ uocatur inferior: uel in ijs quæ ſunt ſeu altiora, ſeu magis abdita, quæ ſuperior. In quîs duabus non æqualiter homines uel ualent, uel ſe exercent. nam ut ſunt qui melius cernunt ueſperi, quàm in meridie: ſic quidam bene ratiocinantur de ueris, non item de agendis: quidam uice uerſa, quòd agendi ratio in experiundo uerſatur, ſciendi uero in acie mentis: & alij in artibus manuarijs ſunt præſtantes, ut ingenij uis huc uel illuc ſponte naturæ inclinauit.

Prudentia. Ratio eorum quæ aguntur in bono, eſt prudentia: eorum autem quæ exercentur in utilibus uitæ huius

Ars. exterioris, ut Ariſtoteli placet, eſt ars. Quoniam uero certius operatur expertus, quàm ſciens, idcirco ad prudentiam uel artem non ſola ſcientia ſatis eſt, experimentis etiam eſt opus, memoria & recordatione comprehẽſis. eamq; ob cauſam inexperti nec probi artifices ſunt, nec prudentes ſatis: ueluti iuuenes, & qui manum operi, quod didicerunt, non admouere. acies enim mentis doctrina exacuitur & expolitur, uis autem agendi atq; operandi exercitatione. Rationis meta in contemplatione, eſt ueritas: in agendis autem, bonum. poſterior hæc ex collatione uerorum & bonorum profert iudicium. Collatione hac uerorum & bonorum carent beluæ, ut quæ ad primum oblatũ bonum rapiuntur. Noſtrum

porrò iudicium cunctatur, atque ambigit, & siſtit, & reuocat seſe. Nec est tamen dubitandum, quin ut muta animalia pronitates, & quasi regulas ad bonum suum quasdam à Deo acceperint, ita & homo ad bonum suum, & propter bonum, ad uerum. non enim meliore conditione existimandum est fuisse procreatum à tanto artifice, id quod deterius est, quàm id quo nihil est sub cœlo præstantius. Sed menti nostræ magnas & densissimas nebulas sceleus offudit. itaque deprauati sunt recti illi canones. Ex ignorantia multi errores nascuntur, quum ex illis uniuersalibus ad species, & rerum singula iudicium deducimus. Sed restant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quæ satis testantur, quantum id fuerit quod amisimus, hæc à uulgo theologorum synteresis nominatur, quasi conseruatio: Hieronymo est conscientia, Basilio naturale iudicatorium, Damascenus lucem mentis nostræ uocat. Philosophi quiddam tale sunt procul intuiti, qui anticipationes tradunt, & naturales informationes, quas non didicimus à magistris, uel usu: sed hausimus, & accepimus à natura, tametsi alij alijs pro magnitudine ingenij plures certioresq; sunt has regulas sortiti: tum excoluntur, elimanturq; usu, experimentis, disciplina, meditatione. Hæc mentis

Synteresis.
Conscientia.
Naturale iudicatorium.
Lux mentis nostræ.
Anticipationes naturales.
Informationes naturales.
Εννοιαι. Vide 4. 1. Tusc. quæstionum.

noſtræ ſiue lux, ſiue cenſura, qua recte, qua obliquè, ſemper tamen ad bonum & uerum deuergit, et fertur prona. Vnde exiſtit approbatio uirtutum, & improbatio uitiorũ: atq; hinc leges & præcepta morum, & intus in unoquoq; conſcientia, quæ delicta ipſa ſua arguat, reprehendat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum. Ex his quæ diximus, difficultas explanatur, quam Plato attingit in Menone, nam is ut colligeret conditas eſſe humanas mentes, non rudes, ſed magnis ſcientijs artibusq; inſtructas & ornatas, illud adducit argumentum: Alioqui, inquit, non magis primis certiſſimisq; aſſentiremur axiomatis, quàm contrarijs: nec ea quum primum proponerentur, ilico agnoſceremus. haud magis utiq;, quàm ſi quis ſeruum fugitiuum, quem nũquam antea uidiſſet, quærens, ſi is occurrat, agnoſcat, aut apprehendat. Verum non habet mens noſtra ante corpus eruditionem: ſed quum conderetur, accepit propenſiones ad uera potius, q̃ ad falſa: & ex propenſione ac cõgruentia canones ſiue formulas, quas ſi diſciplinarum omnium ſemina libeat nuncupare, nihil equidem repugno. Nam, quemadmodum in ipſa terra ſemina ſunt à Deo indita ſtirpium omnium, quos ipſa ultrò quidem proferat, ſolertia tamen diligentiaq; hominum excolun-

Menonis argumentum.

Semina diſciplinarũ.

tur

tur, redduntur q; ad usum aptiora: sic in mente uniuscuiusq; semina sunt initia, origines artiū, prudentiæ scieentiarum omnium. quo fit, ut ad omnia nascamur iddonei. nec ulla est ars, aut disciplina, cuius non specimnen aliquod mens nostra possit edere: rude quidem & malignum, sed aliquod tamen. Perficitur autem id, cui doctrina & exercitatio accessit: ut in stirpibuus ij sunt meliores alijs, quibus agricolæ addita est mmanus ac industria. Et loquor de cognitione rerum naturā constantium. nam ea quæ sunt prorsus hominum excogitata ingenijs, sine præceptore & doctrina nō possunt percipi: ut lingua aliqua, Latina puuta, aut Græca, aut Hispana. Ergo, quod bruta animantes primam illam sequuntur naturam, integramm adhuc atq; intemeratam, non errant in suis necessarijs: homo qui suas cōiecturas sectatur, aberrat pper eas semitas, quas ipse sibi fecit, regia uia relictaa. & bruta eiusdem speciei, eodem agunt modo: nemmpe eandem sequentes naturæ institutionem, & monnita. homo, quia uariè iudicat, diuersissime agit, atqq; aduersissime. Hoc loco quæstio illa iure occurrit, utantur ne bruta ratione, an discurrant, & ignota colligāt ex notioribus? quæ multos ueterum non tamm conclusione sui torsit, quàm tractatione. ferè ennim in eam omnes discedunt sententiā, carere

Brutis an insit ratio.

illa rationis bono. Plutarchus libellum ſcripſit, cui fecit titulum, Quòd mutis animantibus inſit ratio: declamatorio magis ſtylo ac more, quàm philoſophico. non enim ualidis ullis nititur argumentis, ac dignis ſchola philoſophiæ, ſed populari tantummodo eluſione: magisq; de probitate ac uicioſitate morum cauillatur, quàm de ratione. Laurẽtius Valla in Dialectica, ratione præditas eſſe argutatur. ſed in eo opere, ſtudio contradicendi & argutandi cæcus, rapitur in multas ineptias atq; abſurditates tranſuerſus. Alij rationabiles dixerunt eſſe, ex ignorantia, quænam res eſſet ratio, & quibus ornata qualitatibus: quod iam aperiamus. Si diſcurſus eſt tranſitus aliquis ab aliquo in aliud, dubitandum non eſt, quin diſcurrant muta: ſin per collationem à minus notis progreſſus ad magis nota, uel ab uno ad aliud, ex illo dependens aut ſequens, manifeſtum eſt non diſcurrere. à notis enim non proficiſcuntur ad ignota, quorum omnia iudicia ſunt de ſingularibus: non ut à generalibus ad ſpecialia deſcẽdant, inde ad ſingularia, uel aſcendant rurſum hinc ad illa, ad exculpendum uerum. Sed neq; norunt abſentia, ut ab ijs uel ad alia ueniant abſentia, uel ad præſentia, aut è contrario: nec alia ex alijs in eorum tranſitu depẽdent, aut naſcuntur, nã in ijs quæ cognoſcunt præſentia, & ſingularia,

Diſcurſus.

& ſingularia, manent ilico cum approbatione uel reprobatione. Diſcurſus autem non ſtatus eſt, ſed progreſſio. Itaq; noſtrum iudicium, dum collationes componuntur inter ſe in curriculo rationis, non acquieſcit, ſed pendet incertum. ſed nec exordiuntur bruta ab a (ut exemplo loquar) ut inde tranſeant in b, ad cognoſcendum c: nec ab a, ad b tanquam coniunctum, & progrediens ab a. ſed quia non placet a, quærunt aliud, incidunt́q; in b: ueluti quum canis herum ſuum, uel feram ueſtigat. odoratur enim hũc hominem, uel aſpicit: ſi odorem aſpectuḿq; heri referat, acquieſcit in eo, etiam ſi non ſit herus. ſin ſecus, eo relicto confert ſe ad alium, inde ad alium, nullo nexu cohærentem cum priore, quoad in eum incidat, quem quærit. Accedit huc, quod brutum ſequitur id quod uel ſenſu eſt ſimpliciter cognitum, uel à phantaſia copulatum compactuḿq;, uel ab extimatrice ſtimulatum, tanquam tacito calcari naturæ. homo autem componit ac diuidit, & ab alijs ad alia tranſit, conferens ea inter ſe, ex quibus aliquid pariat atque eliciat. Et animas brutorum orbas eſſe rationis, ex figura ipſa formæ, totó́q; corpore facile eſt colligere. Oculorum humanorum aſpectus quoquò uerſum circumactus intentuśq;, multa nos docet: illa uero abiecta ſunt ſemper in ter-

ram, adde his, quod sortita sunt etiam corpora ad ar
tes exercendas inepta. Deus autem, quibus facultatem rei alicuius agendæ attribuit, eisdem quoq; organa adaptauit, ei actioni accommoda: uidelicet sapiẽtissimi artificis hoc est munus. Sed nec egent animantes ratione, quæ in illis esset superuacanea. nam ad bonum suum impetu naturæ suæ uadunt: proq; rationali intelligentia indita est illis speciatim naturalis quædam solertia ad se tuendum, conseruandumq;, quæ abunde sufficit. quod admirati aliqui, rationem nominarint: ut in ape fauorum & mellis constructio, in formica ciborum prospectio, in aranео textura, & uenatio in cane: in equo, in simio, in elephanto, multa humanæ intelligentiæ similia. quæ si quis ideo rationem uocet, quòd magna sanè sunt, & admirabilia, quid obstat quo minus quæcũque naturaliter fiunt admiranda, à ratione profecta esse confirmet? Proficiscuntur quidem illa à ratione nõ rei naturalis, sed naturæ, hoc est autoris Dei. neq; enim magnum aliquid fieri sine ratione potest, si modo rationis nomen in diuinam illam sapientiam competit. Itaq; & herbas stirpesq; omnes, & lapides pleroſq;, & aquas multas, & alia quorum mirandos uidemus effectus, ratione esse donata arbitrabũtur. Ad hæc carere belluas quacũq; religionis specie,

cie, grande profecto eſt argumentum irrationabiles eſſe, & mortalibus animis præditas. fructus enim & fons pietatis, non eſt in uita hac mortali poſitus: ergo eſt in altera, quæ hanc conſequitur. Ratio porrò noſtra, quæ tantum eſt munus, tamq; excellens, non eſt propter res tam uiles & momentaneas conceſſum, quàm eæ ſunt, in quibus hominum uita uerſatur, & ſe occupat: (quanto adhuc uiliores ſunt, quibus uita traducitur mutorum?) ſed ut Deum cognoſcamus, colamus, amemus, quo nihil eſt maius, aut præſtabilius, digniusq; ratione, re omniũ excellentiſſima. hæc uero eſt religio, cuius bruta ſunt penitus expertia: quemadmodum contrà nullus eſt hominum, qui non religione tangatur aliqua. Et quemadmodum lapidi aſſignata non eſt uita arboris, quod ei ſufficeret ſua eſſentia torpens, & in ueſtigio ſemper immobilis: nec arbori ſenſus aut phãtaſia, quod ad uitam illam nihil eſſet iſtis opus: ſic neque mutæ animanti tributa eſt ratio, quoniã ad eius uitam atq; eſſentiam tuendam, imaginationi adiuncta extimatio abũde magnũ eſſet præſidium. Iam uero & non loqui illas, defectum rationis oſtendit. nam ſi ratione intus ducerentur, quid illis deeſſet ad loquẽdum? Haud quidem, quòd ſermo ſit diſcrimen inter hominem & beluam eſſentiale, quod quibuſdam placuit,

non ſatis in quo ſita eſſet eſſentia conſiderantibus: ſed naſcitur ex illo diſcrimine, ratione ſcilicet, tanquam riuus è fonte. At in brutis alia alijs præſtant ingenio, acumine, prudentia. nam hoc dicet aliquis. Non ſunt hæc quidẽ talia, ſed ſimilia: in nobis enim ſolis ingenium eſt & prudẽtia. quemadmodum ſtirpium quoſdam annotatum eſt ea agere, propter quæ ſenſu eſſe præditos credi poßit, & lapides nonnullos. ſimulachrum quoddam referũt uitæ, quum conſtet nec plantis ullum in eſſe ſenſum, nec lapidibus exciſis præſertim uitam. umbræ ſunt iſta, non uera corpora. Et quemadmodum homines omnes rationis facultatem accepimus, ſunt tamen inter nos magna in eiuſmodi facultate diſcrimina, omnes tamen ſumus rationabiles: ſic beluæ naturæ doctrinã hauſerunt omnes, ſine ratione, ſed alia alijs doctrinam hanc ſortita ſunt, uel purius uel largius, quũ ſint tamen omnes irrationabiles. Hoc fecit omnipotens ille autor omnium, ut ſerie quadam rerum gradus inter ſe applicaret, quibus ad ſuprema ab imis aſcenderetur, quẽadmodũ in Prima philoſophia docuimus.

7. Verum non eſſe illa rationis opera, hinc eſt intellige re, ſicut Gregorius Nyſſenus annotauit: quod eadẽ ſpeciatim agunt, neque illorum operationes uariantur multitudine diſſimili, ſed iuxta maius aut minus: ita, ut ſi

ita, ut si qua animans paulo operetur diuersius quàm cæteræ eiusdem figuræ, alteri protinus speciei adiudicetur. Accedit his, quod per rationis discursum erigit se homo supra sensus & phantasiam, inclusumq; sese illis teneri assequitur, sicut qui clausus est in cubiculo: etsi alia nõ usurpet sensibus quàm quæ sunt in illo, intelligit tamen multa esse extra eum locum. brutum uero, haud se habet aliter quàm infans, qui per uitrum ceruleum aut rubeum intuens, ex ignorantia unde id fiat, omnia quæ cernit, existimat esse illius coloris. Sed iam ad alia transeamus. nam hunc locum arbitror abundè esse planum factum. Discursuum magna est uarietas, ut sunt diuersissima in hominibus ingenia: partim ex constitutione ipsa naturali, partim ex doctrina, assuefactione, & huiusmodi, de quibus pòst loquemur. Sed ut summatim dicam, est discursus quidã acutus circa rem aliquam, penetrans illius intima: est alius sagax ex paruis cõiecturis, aut procul dissitis, perueniens quò intendit: alius est latus, multa cõplectens. est enim in quibusdã tanta mentis amplitudo, ut uno uelut intuitu, cuncta circumspiciant quæ ad rem faciunt: his & phãtasia expeditissima est, & apertus memoriæ thesaurus, & expedita consideratio, & recordatio integra, uigensq;. lenta enim phántasia, aut memoria obse-

8.

Discursuũ uarietas.

1 2 3 4

ria obſerata, aut consideratio ceſſans, aut recordatio imbecilla, tardum infelicemq; diſcurſum efficit: ut in infantibus, ægris, commotis, magno affectis ſenio. In intelligentia eſt ceu aſpectus quidã eorum quæ uidemus, uel audimus: iſte eſt ſimpliciſſimus. eſt alius, quũ procul quaſi intuemur, quò quidq; pertineat: iſtud ex diſcurſu rationis petitur in rebus ignotis, aut aſſuefactione in notis: qualis eſt in canibus, equis, elephantis, qui aliquid uſu, aut diſciplina noſtra perceperunt. Diſcurſus finis eſt inuẽtio, ſeu concluſio rei, ſiue collectio. Non aſſequimur autem quod petimus, eiſdem de cauſis, quibus canis amittit feram, quam perſequitur. uel quia diſcurſus tardus eſt natura, res autem procul diſſita, ut non habeat ſatis uirium ad perueniendum: uel ſegnis eſt uoluntario, ut quum non libet attendere: uel ſequitur, quà non conuenit, ut qui uiam non tenent, qua ſit inſiſtendum, ſeu infelicitate ac tenebris ingenij, ſeu perturbatione aliqua temporaria, ut in affectu concito, & uarijs cogitationibus, quæ obturbant mutuo: uel quia præteruolat, ut in nimium acutis, & qui celerrimam habent phantaſiam. hi enim ulterius tranſcurrunt, quàm ubi res eſt poſita: ita quod oportet à tergo relinquentes, in res minime neceſſarias incidunt, ut ineptias, abſurditates, dementias, res deniq;

ab eo

ab eo quod conuenit alienißimas. oportet enim ilico poſt diſcurſum, phantaſiam & ſcrutationem memoriæ ſiſtere, ut mens quod ſectata eſt, commode apprehendat, ne aliò rapiat eam concitatio illa uelocißima.

IVDICIVM.

Definitio

IVdicium eſt cenſura, hoc eſt approbatio & improbatio rationis, diſcurſus uidelicet & clauſulæ: quod eſt in mente uelut amußis quædam & norma, aut ut examen in libra. Itaque dum ratio eſt in actione ſua, quieſcit iudicium: ea ubi functa eſt ſuo munere, exurgit cẽſura, & indicat primum de connexione, hinc de diſcurſu: quem ſi approbet, non poteſt reprobare clauſulam. Hæc ſi abſurda uideatur, & receptæ infixæq; prius ſententiæ contraria, hæret iudicium, ſeq; falſum eſſe ſuſpicatur. Sin autem nihil metuit fallaciæ, tranſit in ſententiam diuerſam, ui argumentationis impulſum. eaq; eſt maxima uis, ſeu unica potius, quæ poteſt menti adferri, ſi ueriſimilis ratio oſtendatur, ad reliquas omnes uiolentias immobili. Quod ſi non recte eſſe diſcurſum, & qua oporteat, arbitretur, continet ac cohibet ſe, nec quoquam inclinat. quod frequens ſapienti accidit, propter magnam uarietatem, & difficultates in omni probabilitate, quæ citius docti hominis &

nis & cordati cogitationi occurrũt, quàm rudis & ſtulti. nec malè, qui prouerbium finxerunt, ab ſtulto iudice præcipitari ſententiam: pauca enim circumſpicit. Et ſicut ratio utitur formulis dialecticis, quæ ſunt de probabilitate, ita iudicium ijs quæ de argumentatione, in quibus ob ingenij noſtri tenebras ſæpe fallitur. bene enim confici putat argumentationem, quæ eſt praua: unde in imperitis præferuidisq; ingenijs, definiendi ac pronunciandi exiſtit temeritas præcipitata. Non raro etiam poſt rectum exactumq; diſcurſum obijcitur attentioni concludendi ac iudicandi quædam uelut nebula, qua iudiciũ hallucinatur, aliudq; pro alio ſumit. quod accidit ualde bilioſis, etiam exercitatis & ſapientibus: atq; eò magis, ſi uel metu, uel iracundia, uel pudore percellantur. quocirca rectius hi de ſcripto diſſerent, quàm loquendo. Sunt qui ipſi apte ratiocinantur apud ſemetipſos, uerũ molles ac lubrici facile ſe ab alijs ſinunt auferri, ſiue ex affectione, ſiue qui non multum ſibi fidunt. Iudiciũ rectum & ſanum eſt, quod apte circũſpicit, quid ex quo naſcatur, quid cuiq; ſit cõſequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens & conſentaneum, hoc bono nullum eſt maius ad diſciplinas atq; artes omnes, deniq; ad uitam uniuerſam. Non uſu, non cognitione rerum multarum &

Iudiciũ rectum quod.

rum & uariarum, non acumine, non eruditione & ſciẽtia diſciplinarũ atq; artium, ſed hoc ſolo diſtant maxima & præſtãtiſſima ingenia ab infimis, aut mediæ notæ. Veritas res eſt menti congruens, ut bonũ uoluntati: mendacium autem, aliena atq; inimica, ut malum uoluntati. alijs quoq; ſenſibus, ſunt quæ conuenientiam cum eis habent, ſunt quæ inconuenientiam. Itaq; ſi iudicium cenſeat concluſionem eſſe ueram, illi ſe applicat, & eam cõplectitur tãquam ſibi congruentem: quæ complexio, aſſenſus, ſeu opinio, atq; exiſtimatio dicitur. ſin falſam, auerſatur, quæ eſt diſſenſio. Eſt aſſenſus quidam firmus: hæc fides nominatur, quam Cicero in Partitionibus finit, opinionem eſſe firmam. eſt alter infirmus, quæ eſt ſuſpicio: ut ſit hoc neutrũ, nec in bonum uergens, nec in malum, mediũ inter aſſenſum & diſſenſum, eſt dubitatio, ſeu ambiguitas. Credulitas et incredulitas magis habitũ mentis ſignificant, quàm actionem. Credituli ſunt, qui cupiunt, qui metuũt, ſimplices, mites, beneuoli. Increduli ſunt, qui rationes, cauſas q; cuiuſque rei non aſſequuntur, aut non intelligunt: qui contrarias habent rationes, quibus uarie diſtinẽtur: qui nollent, qui cupiunt immodice, experti res non ita eſſe, aut euenire. Sunt naturaliter ingenia quædam praua & maleuola, prona ad incredulitatem

Veritas.

Aſſenſus

Fides.

Suſpicio.

Dubitatio.

Credúly.

Incredúly.

uniuerſalem

uniuersalem, quæ conglutinationem omnem applicationemq; ad alia ingenia refugiunt, nihilq; uolunt credere, nisi quod ipsa uel inuenerint, uel attulerint.

Suspicacitas. Suspicacitas, habitus est animi in deteriorẽ partem. tales sunt inuidi, auari, ambitiosi, malicioſi, maleuoli, experti mala multa, damna, fraudes: uelut senes, & qui in negocijs dolosis sunt uersati, aut inter ueteratores, aut fraudulẽtos. Suspicio gignitur, quum leues quidem remur esse cõiecturas, non tamen nullas, & quæ satis sint ad mouendum: utpote quum in cõtrarium uel nullæ omnino sint, uel tales quas plus uirium habere existimemus, quàm diuersas. Assensus facilius in securitate elicitur, quàm in cura & solicitudine. citius enim eum capias, qui nihil timet, ac proinde nec cauet. Quocirca promptius fabellæ consentimus simpliciter narratæ, q̃ argumentis ex præparato ad pugnam certamẽq; instructis: eoq; ad fidem uulgo faciendam utilior est rhetorica, q̃ dialectica, uti est à nobis alio loco demonstratum.

DE INGENIO.

Ingenium. VNiuersam mentis nostræ uim, de qua sumus hactenus loquuti, ingeniũ nominari placuit, quod se instrumentorum ministerio exerit & patefacit. mens enim est in hoc corpore, sicut qui clausus in cubiculo, non aliam habet fenestrã, per quam foras

foràs prospiciat, quàm uitream: is profecto nec alia potest, quàm quæ uitrum patitur, intueri. quod si nitidum sit ac pellucidum, clarius: sin puluere obductum ac situ, obscurius cernit. Est item sicuti sapiens in domo stulti, nempe à sedibus sensuum: ab illis quippe ducitur. Et quemadmodum conclusus cubiculo, non ignorat obstare sibi uitrum, quo minus res clarius cernat ac apertius: ita mens nostra in corpore. quæ, tametsi ducitur à sensibus, eos tamen ipsa corrigit. Hieronymus in Iouinianum, mentem nostram in sensibus similem facit sedenti in equo. Nusquam it sessor, quin uehatur ab equo: sed regit tamẽ equum. atq; hoc est inter hominem & beluam discrimen, quod homo fulcit sensuum imbecillitatem, & crebros lapsus, fallaciamq; illorũ per rationem assequitur: brutum autem, quod rationis sit egenum, nihil horum intelligit. Hæc est mentis nostræ abductio à materia, quòd supra materiam, supraq; ea omnia quæ sunt materiæ atque imaginationis, se sustollit. non quod sine instrumẽto materiali aliquid hic possit, dum inter concreta & corporalia uersatur, uti iam diximus. Quo fit, ut sæpenumero ab actionibus suis retardetur, quum minus se instrumentum illius facultati obsequens præbet. Cuperet quidem mens plerunq; optimis ac præclarissimis cogita-

tionibus se oblectare: sed impediunt eam organa, auertuntq; inuitam ac repugnantem, & traducunt ab excellentibus contemplationibus ad lusus, ad ineptias, & res leuissimas, quibus facilia se & tractabilia exhibent instrumenta. Sed functionis rationalis organa sunt in cerebro, spiritus quidam tenuissimi & lucidissimi, quos illuc exhalat sanguis cordis. ij sunt organa intima cognitionum omnium.

Instrumenta.

Frigidi spūs Cor.

Qui quum frigidi sunt, à sanguine frigido circa cor euaporati, segnes existunt actiones mentis, & languidæ: unde homines fiunt hebetes ac torpentes. quod subsignificat Vergilius, quum in Georgicis dicit:

Sin has ne possim naturæ tangere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

Calidi spūs.

Rursum quum calidi sunt spiritus, celeres & concitatæ sunt actiones. hinc fit, ut cordis habitudo atq; affectio, ad cogitationem atq; intelligentiam non parum conferat. Vnde homines uel cordati nominantur: uel contrà excordes & uæcordes. & Corculum Nasica ille appellatus, quòd esset sapiētissimus. ut cor etiam pro mente ipsa sumatur, hac eadem de causa: uelut in sacris literis, De corde prodeunt cogitationes, & Deus spectator cordium appellatione peculiari nuncupatur, ac propria. Et quanquam

sons

fons atq; origo omnium actionum animi fixa sit in corde, officina tamen est in capite. nec enim intelliget mens, aut irascetur, metuet, mœrebit, pudefiet, prius quàm spiritus illi à corde exilientes ad cerebrum peruenerint. Documento est, quod quantumuis sanguis feruéat circa cor, nisi is ipse feruor caput attigerit, nulla exurgit animi perturbatio: ut in uiris animosis & moderatis, in quibus sanguis effer uescit in præcordijs, nullam tamen edunt iratorum significationem, quòd cerebrum nondum sit excalfactum. Sanguis & spiritus sequũtur quatuor principum qualitatum uim & naturam, prout quæq; in commixtione inualuit: pituita humores gignit crassos, functionesq; intelligentiæ lentas: bilis flaua, subitas & celerrimas: sanguis, moderatas. In insanis & furiosis exardescunt liquores omnes, in stupidis refrigerantur, ac condensantur. Quo fit, ut utriq; ualẽtes sint corpore ac robusti, furiosi ad agẽdum propter feruorẽ, qui est in actione prævalidus: fatui ad patiẽdum propter frigus, quod est firmæ patientiæ. Calor & humores contẽperati, faciunt ad acumen & sanitatẽ ingenij. Cogitationes ex flaua bili concitatas & uagãtes, temere, sistit atra bilis, ut in id quod agunt, intendant. quin etiam eadem bilis fusca, nempe densa materia, si accẽdatur, plus ignis

Pituita.

Bilis flaua.

Sanguis.

Calor.

caloris q; concipit. idcirco non uolitat per ſummam rerum faciem, ut flamma ardens in ſtuppa, uel paleis: ſed penetrat intima, & profunda. Accenditur porrò melancholia ex agitatione cogitationum, uel affectionũ calidarum. Oportet autem eam eſſe alijs humoribus admixtam, præcipuè flauæ bili, tãquam frenum, ne illa ex ingenio & natura ſua inſtabilis, quò minime conuenit, ſeſe proripiat. Nam ſi ſola ſit atra bilis relicta ex aduſtione humorum omnium, multa & obſcura inuadit cerebrum, denſat atq; offuſcat ſpiritus: unde furioſi & maniaci euadũt: tum exugitur corpus, ac debilitatur. quod in omni etiam contingit uehementi cogitatione, atque intentione mentis. Nam in illa cerebri atq; ſpirituum actione, aduocatur mirabili naturæ artificio à uentriculo & uitalibus calor ad caput, tãquam ad eam partem mittatur ſubſidio, ubi plurimum laboratur. qua ex cauſa cruditas exiſtit, noxiorumq; humorũ redundantia, & debilitas neruorum, deniq; corporis uniuerſi infirmitas atq; afflictio. Quod ſi ſubtilibus & claris ſpiritibus admixta ſit nigra bilis, dexteritatem parit rationis, iudicij, prudentiæ, ſapientiæ. hi enim deſcendunt altè, excuduntq; atq; inueniunt præclarè quàm plurima. Huc pertinet Platonis dictum illud, ex Democrito Abderita ſumptum: Nullum ex-

Melãcholia in ingenio.

cellens

cellens ingenium ſine mania, hoc eſt furore, qui furiæ bilis effectus eſt. Quocirca uim naturam refert atra bilis, ut ex ratione corporis, in quod infunditur, actiones producat: quemadmodum eſt fuſe ab Ariſtotele in Problematis tractatum. Sunt ergo omnia hæc mentis inſtrumenta. nec aliter quàm quum artifex inſtrumẽta diſponit, aptatq;, non poteſt operi faciundo intendere: ita & facultas rationabilis in infantia, circa liquores atq; ſpiritus occupata penitus, nequit illas ad functiones ſuas conuertere, eſt enim in aptatione & accõmodatione illa tanta permixtio confuſioq; omnium, ut ratio quoq; perturbetur, atque obruatur ipſa, quo minus exequi munus ſuum ualeat: ut in officina quapiam perturbata. tum motus ille atq; agitatio materiæ, non ſinit rerum effigies hærere in phantaſia. Et quemadmodum in infantiam non utitur ratio ſuis organis, quia nondum ſunt apta: ſic neq; in decrepita ſenecta, quia iam deſierunt eſſe apta, magno ſcilicet uſu detrita & corrupta. Ex hiſce humoribus atq; ſpiritibus, naſcitur ingeniorum nõ uarietas ſolum ac diuerſitas, ſed adeo uerſitas quoq; tanta, quanta eſt inter hominum facies. de quo ſum loquutus nonnulla in opere De tradendis diſciplinis. Quidam habent uires ingenij ualidas ad laborem ferendum, & inſiſtunt operi: ut

Ingeniorũ diuerſitas.

Athones ingenij.

melancholici, uel phlegmatici. Loca & tẽpora eiusdem qualitatis ad idem faciunt, quum non omnino caloris uigorem frigiditas debilitauit, nec restinxit lucem obscuritas. ideoq; hi artibus manuarijs sunt apti, in quibus opus est patientia experimentorum, & frustrationi operis non indignari, neq; ex offensione materiam de manibus abijcere. Alij lẽues atq; infirmas habent uires, nec diu possunt durare in opere: ut bilioſi, & calidè sanguinei, tum populi feruentium regionum, & alij per æstum. ualent enim impetu, non constantia. Alij refugiunt laborem attẽtionis, ex graui & crassa materia. alij ex delicijs, aut insuetudine, uel desuetudine. Alij non patiuntur se alligari, nec quicquam possunt augere ex præscripto, sed pro libito animi sui liberi ac soluti: magnosq; labores ipsi ultro suscipiant facile, leuissimos autem indictos atq; impositos non ferant. Celeriter currunt quidam, sed non longe, ita ut in progressu admirabiliter mutentur, & multo alij sint, q̃ de principio. Nonnulli ut lentius, ita & longius perueniunt. Multis est crebro conquiescendum, recipiendusq; de integro impetus: qui facile delassantur, quibusq; caligo ob aciem mentis offunditur. hos enim semper uenire recentes conuenit: ut uerecundi, meticuloſi, iracundi. omnis quoq; animi affectio commota

mota, uelut nebulam offundit ingenio. Sunt quidam imperturbati, & ſibi conſtantes, quibus ſtatim uenit in mentem, quicquid eſt opus ſiue laceſſendo, ſiue reſpondendo: quibus omnia ſunt ad manum, & ingenium habent in numerato, ſicut de Vinicio dixit Auguſtus. Aliqui in uno quolibet acutiſſimi, in multis perturbantur, & tanquam obruuntur copia. Alij quocunq; intenderint rectà, perſpiciunt acute, acriter, ſubtiliter: non circumferunt tamen oculos ad ea quæ ad dextram, uel ſiniſtram obiacent. qui acuti quidem ſunt, ſed imprudentes, & iudicio carent. Mutantur ingenia quædam in melius, ut cholericorum, quum deferbuerunt: mutantur in peius, ut in pituitoſis, quibus humore illo frigido inualeſcente, extinguitur calor. Itaq; obbruteſcunt, qui in primo ætatis curriculo uidebantur cordatiſſimi. Mutantur item ex curſu naturæ ſuæ: aliàs quoq; ex natura loci, uictus, ocij uel negocij. Sunt qui crebras recipiunt uarietates, ut ingenia ſui diſſimilia. ſunt qui per longa interualla, ut in flexu ætatis, in iuuenta, in ſenecta, poſt morbum aliquem grauem. Expedit ijs, qui tenuiſſimos habent ſpiritus, incraſſari à loco, uel uictus ratione: qua de cauſa melancholiam bilioſis & ſanguineis utilem diximus. Dictu mirum, eſſe quoſdam ſano ad omnia ingenio,

præterquàm ad aliquod unum. ut Horatianus ille haud ignobilis Argis,

Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
Cætera qui uitæ ſeruaret munia: & quæ ſequuntur. In materia quoq; permagna eſt diuerſitas. quorum ingenium alte penetrat in ima rerum, ij multum ualent in rebus grauiſſimis ac ſolidiſſimis. qui uolitant per ſumma, ſunt argutuli & dicaculi & cauillatores non ſolidi, intuentur minutias quaſdam minime neceſſarias, quas alij negligũt: aciem habent ſcalpelli, non enſis, ut facile diſſecent pilum latum, rei tamen duræ ſi admoueantur, retunduntur. alij ſunt diſciplinis præſtantes, alij prudentia rerum agendarum, alij artibus manuarijs. Ex diſciplinis autẽ, ſunt quidam natura ſua poetæ, alij ad linguas perdiſcendas appoſiti, in reliqua eruditione reluctantes atque infelices. Videas quoſdã ad dicẽdum natos fictosq;, quorũ orationem ſimplicem nulla arte adhibita admireris: et artificioſiſſime dicunt, abſq; arte. horum propriæ ſunt mathematicæ, illorum medicina, aliorum ius ciuile, aliorum myſteria ſcrutari. Hæc eſt diſtributio donorum Dei, nemo poteſt gloriari ſe accepiſſe omnia, nemo conqueri ſe accepiſſe nihil.

Materiæ.

DE SERMONE.

DEmocritus ſermonem apte nominauit riuum ἓεῦμα λόγου. deſtlu xus rationis. rationis

rationis: & Græcis eadem uox λόγος, & sermonem & rationem signat. Sermonem autem & uerba non solum ea uolo intelligi, quæ ore proferũtur, sed quæ scribuntur etiam, ex uniuersa autem mente, tanquam ex fonte fluit sermo: & simplicia uerba, ex simplici intelligentia, composita ex phantasia, apta uero & connexa ex ratione coniungente & separante. Sermo integer ex ratione discurrẽte, & iudicio aptante clausulas. Quocirca animaduertere est eos, in quibus parum uiget ratio, tanquam in pueris & fatuis, omnia simplicibus atq; incõiunctis uerbis exprimere, quod uicium in linguis quoq; infantibus annotatur. & quanquã ex animo profluãt uerba, non tamen eadem est illic compositio quæ in uerbis. multa enim simplicia explicãtur composite: multa quæ erant simpliciter foras prolata, animus non simpliciter accipit, sed aliquid adiungit, & affingit, ex celeritate phantasiæ coacernantis pingentisq;. multis desunt uerba: opus est longo circuitu qui hebetes sunt, phantasiamq; habent impeditam, & recordationem lentam segnemq;, ægre quæ sentiunt eloquuntur. Quibus est ratio ac iudicium citum, sed inefficax, ij loquaces esse possunt, eloquentes autem nullo modo. Eloquẽtiam uoco, absolutam expreßionem eorum quæ mente conceperis, aptis Eloquẽtia.

atq; accommodis uerbis: quod positum est in perfecta cuiusq; linguæ cognitione, tum connexione sermonis congruenti, & rationibus appositis, quod est iudicij non solum acutissimi, sed etiam solidi, & circumspecti. Sallustius de L. Catilina bene expressit: Satis loquentiæ, sapientiæ parum. & multos uideas facundos in narrando, in argumẽtis planè infantes: sicut è contrario. Expensio hæc eorum quæ dicenda sunt, & circumspectio illorum quæ adiacent, loci, temporis, personarũ, atq; huiusmodi, tardiloquos sæpe ac pauciloquos facit uiros magni ingenij. leues autem & acutuli, quod nihil pensi habeãt quid profundant, uerbosissimi sunt. Cogitatio dissoluta, quæ nullis rationis frænis cohibetur, ut in fatuis & insanis, loquacissimos facit. ita enim profundunt omnia, ut ueniunt in buccam. Penetratio quoq; acutissima in rerum intima, & lata multarum: magnarumq; rerum cogitatione complexio, infantia nõnunquam reddit præstãtissima & clarissima ingenia: nõ enim apta inueniunt uerba, quibus exprimant res tantas. qui uero de rebus istis, quæ quotidie uersantur in manibus, locuturi sunt, ijs & uerba & sensa accommoda facile ac copiose suppetunt. Eget quoq; sermo doctrina atq; exercitatione: nec mirum est, acutos interdũ, & multis amplisq; disciplinis homines eruditos

ditos esse infantes, qui linguam parum didicerint, uel parum exercuerint. Memoria loquendi facultatem uehemẽter adiuuat: & qui ea pollent, facile linguas perdiscunt, loquũturq; expedite, tanquam thesauro benigne suppeditãte, quæcunq; sint opus. nec immerito peritia linguarũ inter exempla memoriæ reponitur, ut in Cleopatra Aegyptia, & Mithridate Pontico, & Themistocle Atheniensi. qua de causa melius omnes quamcunque linguam intelligimus, quàm loquimur. In loquendo enim quærimus, quæ proferamus: quæ sæpe nos latent, nec se diu quæsita ostendunt. in intelligendo autem, tantummodo agnoscimus oblata. exiguus porro est hic labor, præ illo. Inuenias tamen nõnullos, qui quod loqui sciant, idem ipsum si audiant, non intelligent. scilicet quum loquuntur, quærunt ipsi uoces per ocium, & fingunt: quum uero audiũt, celeritas sermonis præcurrit attẽtioni. quo fit, ut intellectio perturbetur. quo de genere sunt ij potissimum, qui ex lectione didicerunt magis linguam, quàm audiendo. Vehementius autem admirere, si uideas, qui quod loqui sciant, loquentibusq; alijs facile intelligant, idem illud eos fallere, si legant. hi sunt ad attentionem segnes. quibus loquentibus, uel audientibus, calor ille orationis excitat attentionem: uersis autem ad

v. Le fo: 84. Ver: 21.

legendum

legendum, & refrigeratis, remittitur attentio, & torpet intelligentia. Sunt qui melius loquãtur, quàm ſcribant: quod de Galba tradidit Cicero, idq; euenire ait hominibus ingenioſis quidem, ſed parum doctis: qui ardore illo dicendi remiſſo, quum arte non adiuuentur, impares ſunt ſibiipſis ſcribendo. doctoautem homini pro feruore animi eſſe induſtriã. Sed ars tamen non multum proficit, quum uigor ingenij languet: ſicut in erudito delaſſato, aut ægro, aut perturbato. Alij quum uſum ab eruditis acceperint, nec ſatis tamen norint cur quicque dicatur, tranſlati ad ſcribendum uolunt aliquid efferre politius atq; elimatius, diſcedunt à recto illo uſu ad prauum ſermonem atq; imperitum. At quandoquidem ſermo ex ratione oritur, tã naturalis eſt homini ſermo, quàm ratio, ubicunq; enim eſt fons, ibi & riuus. Nullus tamen certus eſt ac naturalis, omnes ſunt ex arte. unde diſtinctæ ſunt linguæ, quarum tractatio alterius eſt ſpeculationis. Sermo omnis uel ſcriptis uerbis conſtat, uel prolatis uocibus, quod etiam nomen ad ſcripturam quoq; accommodatur. Vox eſt quidem ſonus quicunq;: ſed aptius & peculiarius, quem animans edit ore ad aliquid ſignificandum. Articulatus autem ſonus & diſtinctus ſolius eſt hominis, ad cuius imitationem auiculas quoque & inſtrumenta muſica,

Sermo naturalis.

Vox.

muſica, quæ ſonos edunt ſine iudicio atq; intelligentia, uoces emittere dicimus. Voces in homine ſigna ſunt animi uniuerſi, & phantaſiæ, & affectuum, & intelligentiæ, & uoluntatis: in belluis autem tantummodo affectionum, quemadmodum in nobis uoces inconditæ, quæq; à Grammaticis interiectiones nominãtur. Admirabile eſt, tantam humani oris ſonorum diuerſitatem, tam paucis potuiſſe literis comprehendi, unde confecta eſt uerborum, ſermonis, linguarum tanta uarietas & copia.

DE DISCENDI RATIONE.

Doctrina eſt traditio eorum, quæ quis nouit ei qui non nouit. Diſciplina eſt, illius traditionis acceptio: niſi quod mens accipiẽtis impletur, dantis uero non exhauritur. imo communicatione augetur eruditio, ſicut ignis motu atq; agitatione. Excitatur enim ingenium, & diſcurrit per ea quæ ad præſens negocium pertinent: ita inuenit atq; excudit multa, & quæ in mentem non ueniebant ceſſanti, docenti aut diſſerẽti occurrunt, calore acuente uigorem ingenij. Idcirco nihil eſt ad magnam eruditionem perinde conducens, ut docere. Diſciplina eſt duplex. altera eſt appoſitio qualitatis in animo: ut quum lingua noua traditur, quod fit in hominum inuentis. altera eſt eductio ingenij, de poteſtate in actum:

Doctrina.
Diſciplina.
Docendi Vtilitas.
Diuiſio Diſciplinæ.
1.
2.

actum: sicut in scientijs artibusq;, quarum est materia res naturalis. illarum enim omnium, sicuti antea diximus, semina sunt naturaliter menti nostræ indita, uelut stirpium ipsi terræ: ut nihil uideatur aliud docens agere, quàm quod sol, quum ui sua profert ex seminibus germina, proditura alioqui per se, sed non tam feliciter, nec tam cito. Docent bruta sobolem suam, ut citius faciant, quod per se nihilominus facerẽt: ut auis pullum suum uolare, felis uenari mures, ut quàm citissime uideant eos sui similes, hoc est in sua specie perfectos. nos uero docemus illa, ut quod uel nunquam facerent, uel aliter, faciant uti nos uolumus. neq; aliud est nostra in eis doctrina, quàm assuefactio ad nihil ferè aliud, quàm ad corporale exercẽdum aliquid, ut loqui, currere, aut modo aliquo corpus seu corporis partem aliquã mouere. Brutum ad sua edoctum est magisterio naturæ: nos indigemus & nostra exercitatione, & admonitione aliena, ut proferamus quod est inditum. Curſus discendi est ex sensibus ad imaginationẽ, ab hac ad mẽtem: qualis est & uitæ, & naturæ. Itaq; à simplicibus progressio fit ad coniuncta, à singulari ad uniuersale. quod est annotare in pueris, qui (ut dudum dicebam) primum exprimunt partes separatas singularum rerum, deinceps coniungunt & copulant.

Discendi cursus.

lant. Vniuersalia etiam singulari uocant nomine, ut fabros omnes nomine eius fabri, quem primum nouerũt: & omnes carnes, capum aut bubulam, si eam primum nominari audierint, quum incipiunt forma re uerba. tum ex singularibus mens colligit uniuersalia, unde ad singularia rursum ex uniuersalibus reuertit. Itaque primi magistri sunt sensus, in quorum domo est cõclusa mens, è quibus princeps est uisus: qui, ut Aristoteles inquit, plurimas nobis rerum spe cies patefacit, autorq; ad inuestigationẽ fuit sapientiæ, quemadmodum præclare scripsit Plato. nam ex aspectu nata est admiratio, ex qua animaduersio, et scrutatio, studiumq; sapientiæ. Post cognitionem autem rerum inuentam, artesq; constitutas, audiendi sensus tum plura & maiora, tum celerius docet. accipimus enim breuissimo tempore, quæ tradens parauit longo. nec immerito sensum hunc Aristoteles disciplinæ nominauit: quæq; animantes eo careant, disciplinæ non esse capaces. Quo magis miror fuisse mutum & surdum natum, qui literas didicerit. fides sit penes Rodolphum Agricolam, qui id memoriæ prodidit, & se illum uidisse affirmat. Quanquam in arctis ingenij nostri limitibus, admirabilis est latitudo facultatis ac uirium. Quàm bene egit Deus cum homine, ut quod necessarium esset, tam

Visus.

Auditus.

Rodolphus Agricola

tam in obuio proposuerit. Nihil utilius quàm multa discere, nihil facilius q̃ multa audire. Ipsum quoq; ingenium in quibusdam hominum, natura sua dextrum & felix, uel tenuissima ope extrinsecus adiutum mirifice sese extendit & dilatat, suiq; ipsius magister est atq; institutor. nec perinde à sensibus doceri, aut etiã interdum ab homine magistro potest, ut docetur à semetipso: unde sunt illi αὐτομαθεῖς. Ingenium felix habent primum, qui rerum imagines eorum quæ loco uel tempore comprehenduntur, facile atq; apte concipiunt, quos Græci ὀξυφυεστάτους uocant, ut Quintilianus tradit. hi sunt ad describendum & narrandum aptissimi, unde & argumenta facile colliguntur efficacia. tum qui uel natura sua, uel arte celeriter discurrunt, & recte colligunt, & solerter cõiectant. in quo numero ponuntur naturales Dialectici, & potissimum qui cuiusq; rei ultimam originem dextrè inuestigant: quales fuerunt Aristoteles & Galenus. Iam quibus nullo admonente, omnia quæ opus sunt, ueniunt in mentem: quos Hesiodus in primo genere excellentiæ collocat, qualem fuisse Themistoclem tradit Thucydides. Grandia & præstantissima quocũq; in genere disciplinæ ac cognitionis ingenia sunt naturæ beneficio, quæ insito quodam uelut impetu ad res maxi-

mas

mas præclarißimasq; impelluntur, & ſortita ſunt in mente imaginem rei exactißimã, ceu canonem, ad quem & quæ ipſi, & quæ alij agant in eo genere, accommodent uelut ad normam: quo fit, ut tum ſua tum aliorum uel errata, uel recte facta deprehẽdant acute, ac dijudicent. Ideas Plato formas eiuſmodi nuncupauit rerum agendarum uerißima & certißima exemplaria, quæ ſi extrinſecus doctrina & uſu adiuuẽtur, dictu incredibile quanta ſit eiuſmodi ingeniorum magnitudo & excellentia. Iuuat mirifice ad eam rem, uerſari cum ijs diu & multum, legere etiam attente ac diligenter eorum monumenta, qui tantum hoc bonum ſunt nacti. neceſſe enim eſt, ut aliquid ex aßiduo illo uelut affricatu adhæreſcat. Accedit celeritati huic mentis & acumini, meditatio atq; uſus cuiuſq; diſciplinæ, quæ illam auget magnopere, neq; enim tam ſcitur, quod tacita contemplatione eſt acceptum, quàm quod in exercitamentum uſumq; tranſmittitur, in artibus actionũ & externorum operum, in uirtute, in muſica, eloquentia, fabrili arte, pictoria, & reliquis huiuſmodi: tantoq; eſt profectus maior, ſi perſeueretur in opere ſine offenſione, aut indignatione animi. durandum eſt, & perſiſtendum: quodq; hac non ſucceßit, alia tentandum. luctari oportet cum opere, non indignari. In

Vſus.

ſcientijs autem contemplationis, pro meditatione atq; exercitamento eſt tacita cogitatio atq; expenſio, qua altius in rei notitiam penetramus, quàm diſputationibus uel altercationibus: quæ plus ſæpenumero obruunt iudicium, quàm excuunt. etiam ingenia mediocria, quæ non adeò ſunt formulis illis à natura inſtructa, quantumcunq; maximorum ingeniorum adiuta monimentis, non tamen tantum efficient, quantum illa excelſa, & uelut grandi quodam numine afflata. deeſt enim illis ſuperioribus, quod maximum eſt, exemplar illud rei bene atq; excellenter exequẽdæ. Hæc quidem interna. Externa ſunt, magiſter & inſtrumentum. Magiſtro non ſatis eſt, bene quæ profitetur ſcire, niſi expedite ea poſſit explicare, & artem dexteritatemq; eam ad rem adiungat. quod ſi contingat, breuiter in magnam eruditionem docilis diſcipulus euadet. Docilitatem adiuuat diligens attentio, quum animus in eo eſt cunctus, quod uidet, quod audit, nec alijs ſeſe cogitationibus procul abducit. Breuiter etiam proficiunt, qui recolunt ſingula, & reputant ſecum. Adde his, quos non pudet diſcere. qua de cauſa ſuperbi diſciplinæ uiam prauo illo affectu late ſibi interrumpũt. Magnum profectus omnis impedimentum, dicebat Bion eſſe arrogantiam. Si fueris diſcendi cupidus, inquis

Docilitas.

inquit Isocrates, eris breui eruditissimus. Adde istis illos, qui non arbitrantur se multum in eruditione promouisse. Præclare Seneca: Puto multos ad sa- "
pientiam potuisse peruenire, nisi se iam peruenisse "
credidissent. sistat enim necesse est, qui nihil existimat restare amplius, in quod tendat, & tanquam ad extremum pertigerit, quiescat. Sunt qui docentem præcurrunt: sunt qui sequuntur, doctrinamq; satis capiunt, & ea acquiescunt. hi sunt intelligẽtia præditi, nolunt tamen, aut nesciunt in ea perscrutari, quod discursum habẽt rationis lentum, aut animentis non in sua potestate, sed dissolute effuseq; diuagantem. Ex his autem qui præcurrũt, alij faciunt id dexterè, qui ratione ac iudicio pollent: inepte alij, qui ad coniectandum sunt inidonei. Eorum quæ traduntur ab institutore, receptaculum ac thesaurus quidam est memoria, quæ illa omnia conseruat. Superuacaneus est labor disciplinis impensus, nisi sit quo accepta contineas. si effluunt omnia, perinde est ac si in dolio pertuso aquam haurias, ut de filiabus Danai est in fabula. Idcirco puerilis ætas accipiendis quæ traduntur est appositissima, propter liberam memoriã expeditamq;, nec alijs impeditam cogitationibus & curis. grandiores enim natu adferunt secum alios cogitatus, qui non facile uenienti

vide fo: 75. ver: 4.

Memoria.

vide fo: 92. ver: 7.

vide fo: 93. ver: 14.

doctrinæ cedunt. Huc accedit, quod pueri non reputant laborem ſedendi, attendẽdi, legendi, ſcribendi, ediſcendi, operandi, idcirco minus delaſſantur: adultos uero non parum defatigat operæ ac laboris expenſio. Græci appoſitè, quos bene rem aliquam edoctos uolebant ſignificare, nominabant παιδευθεῖς, quaſi à pueritia inſtitutos. quanquam ſeniori in locum facultatis diſcendi ſuccedit iudicium certius, & prudentia experimẽtis collecta, hoc eſt induſtria pro uiribus. Alterũ præceptoris officium

Emẽdatio. eſt, emendare ac corrigere: quod non eſt minus utile, quàm umbratilis explicatio præceptorum. & eo magis, ſi corrector cur quicq; uel probet, uel reijciat, tum norit ipſe, tum ſciat tradere, & uelit diligenter explicare. Vitamus enim dãnata: pergimus, quà uidemus eum præire, ac nos ducere. Quod ſi ſolidi ſit & exacti iudicij præceptor, plus ab emendatione paratur iudicij, quàm ex alijs omnibus ſcholæ exercitamentis. Collatio cuiuſq;, & ſecum procedente tempore, & cum alio, ponit ob oculos quantum ſimus progreßi, quid acquiſitũ eſt, quid deeſt.

Inſtrumẽta Accedunt hiſce omnibus inſtrumenta, non parua utiq; artificis pars. Natura homini artificũ omnium in hoc mundo præſtantiſſimo, inſtrumentum externum eſt largita, cui nullum poteſt omnino compara

ri, ma

ri, manum ſcilicet: de cuius aptitudine, commodita- Manus.
te, utilitate longum eſſet diſſerere, nec huius tracta
tionis, ipſa etiam uerborum uicem ſupplet: quod ui-
dere eſt in mutis hominibus, & ijs qui inter ſe ſunt
barbari. illos enim ſine geſticulatione manuum non
tam facile intelligeremus. Tametſi uſum tam apti
tamq; congruentis inſtrumenti ſupra modum peri-
tia ſolertiaq; artificis adiuuat, & regit, & haud ſcio
an artificis excellentia tale reddat inſtrumentum ip
ſum. quippe hoc quotidiana experientia facile de-
monſtrat, quo quis polleat uel ingenio, uel arte ali-
qua, eo pauciorib⁹ & leuioribus, minusq; accom-
modis inſtrumentis pulchriora atq; exactiora opera
perficere. nec credere, niſi qui uiderũt, poſſint, quid
homo ſiniſtra manu agat, præciſa dextra: quid ipſis
pedibus, quum careat manibus: cibum ori admouere,
ſcindere, ſuere, texere, acuente uim mentis neceſſi-
tate, ut in cæcis & mutis. Nihil eſt menti ſimilius,
quàm oculus corporis. Eruditio eſt menti, quod lux
oculo: & mens eruditionis ope ſpeculatur, ac cogi-
tat, & oculus ope lucis intuetur. Ac quẽadmodum
ſplendidiſſima lux præſtringit oculos, ferunt tamen
illam paulatim ualidi, opprimuntur imbecilli atq; in-
firmi: ſic eruditionem ſuſtinent magna ingenia & Cur pauci
ſolida, parua atq; inania non ſunt ferendo, ſed ſub docti.

illa tanquam onere iniquo franguntur,& concidunt,ut oculi ad magnum fulgorem cernendi uim amittunt.quum autem perpauci sint firmis solidisq; ingenijs præditi.fit ut in opificijs omnibus uitæq; artibus plurimi multum promoueant,& celeriter:in excellenti uero eruditione rarissimi, lentè,prætenuiter.Ingenium quoq; ipsum inferioris notæ,assuetum in fulgorem illum eruditionis intendere,adeò stupescit,ut nec scientiam ipsam cernat,nec iam ad res alias translatus inueniatur idoneum & congruens,quemadmodum oculus magno aliquo hebetatus splendore.Quin & ipsi quoq; probe ac feliciter instituti,quum subito se ad res istas uitæ inferiores, quæ uelut in obscuro sitæ sunt,sese transferunt,uidentur cæcutire,ut qui à lucido loco de repente in tenebrosum ingreditur.quod multi non considerantes,admirantur homines doctissimos non adeò esse in re publica aut familiari prudentes,ut imperitos, qui in illis sunt exercitati.Et cursus eruditionis lentus est,tardoq; ad metam gradu peruenitur : in alijs autem uitæ exercitamentis,pleriq; omnes multum assequuntur breuissimo tempore,& acutiores existimãtur,aptioresq; ad omnia negocia.nimirum studia sapiẽtiæ posita sunt in arduo,affliguntq; ac debilitant ingenia,quoad assueta iam respirent,ac recipiant

cipiant uires. quum quidem sunt natura sua firma et robusta. Iam uero reliquæ artes cognitionesq; breuissimis sunt limitibus cõprehensæ, quos pertingere haud est sanè operosum, ita indocti felicissimè uidentur in suis negocijs uersari. Sapiẽtia longissimos habet fines, aut nullos potius, et diutissime est decurrendum, prius q̃ in tanta curriculi uastitate aliquid uidearis promouisse. Sed postq̃ eruditus homo confirmatus, & paratis ex studio scientiarũ opibus, applicat animũ ad uitæ administrationem, bona utiq; fide, quod rari à se possunt impetrare, neq; enim tanti esse ducunt, sed quum applicat tamen, longissimè alios omnes antecellit, ostenditq; manifestò, quantum inter ruditatem & peritiam intersit.

DE COGNITIONIBVS, SEV NOTITIIS.

PRima ergo cognitio est illa sensuum simplicissima, hinc reliquæ nascuntur omnes, aliæ ex alijs, & crescunt augenturq;. quod non solum in artibus disciplinisq; experimur, ut Aristoteles in Resolutorijs docuit, sed in ipso uitæ totius cursu. Rerũ aliæ cadunt sub sensus, quæ foris sunt expositæ, seu obuiæ: aliæ sunt reconditæ. tum ex obuijs quædam sunt præsentes, quædã absentes. Res expositas præsentes cognoscunt sensus, absentes autem imagina-

tio. consideratio autem mentis opes scrutatur, & mentem quasi in seipsam reflectit, ut recognoscat quid contineat, quale quantumq; sit. ratio autem ex obuijs concretisq; reconditas & uacantes corpore eruit, ex singulis rerum generalia: quæ omnia tradit suæ intelligentiæ, ac deinde contemplationi, si uacat. Et quemadmodum oculi corporis indigent lumine exteriore ad cernendum: ita oculus mentis lumine interiore ad intelligendum & cognoscendum.

Res mutabiles & immutabiles. Sapientia.

Res uel sunt naturæ huius mutabilis ac tẽporariæ, uel illius immutabilis ac perpetuæ. ad hæc intuenda opus est lumine supernaturali, cuius cognitio Sapientia nominatur. Si est naturæ huius fluxæ ac instabilis, uel est in ea uariabile, ut quæ de singularibus cognoscuntur: uel de uniuersalibus quidem, sed quæ non obtinent constantiã perpetuam. opinabilia nuncupantur à M. Tullio. Eorum claritas sit sanè ueri-

Verisimilitudo.

similitudo, siue (ut alijs placet) opinio, uertentibus è Græco δόξαν. Vniuersalia, cuiusmodi ferè sunt, filium à matre diligi, huic morbo hanc aut illam herbam mederi, sic affectos animo hæc aut illa uel cupere uel aspernari, hoc habitu cœli hæc contingere: quæ exceptiones recipiunt, & uarietatem. Tametsi in his magnum est inter singularia discrimen, & qualiacunq; uniuersalia. Nam de generalibus sta-

tui

tui possunt regulæ ac præceptiones, unde ars exi, stat aliqua, & disciplina: de singulis, utpote infinitis, & infinite uarijs nulla. neq; enim est ingenij humani ea persequi, quorum iniri numerus non possit. quapropter Plato in infimis formarum merito iubebat conquiescere descendentes, prius quàm ad insecabilia peruenirent. Sed reuertamur ad propositum. Restat tertiũ, quod est in natura mutabili perpetuum & cõstans: qualia sunt, quæ semper eadem atque uniusmodi persistere animaduertimus, uelut cœlestia: & in his sublunaribus, quæ naturalia sunt generi alicui, aut formæ. Huius lucem habemus à natura inditã, sicut prius loquebar: ex quis alia permulta colligit ratio, cuius cognitio Sciẽtia uocatur. Scientia. lumen autem secundi est, longissimus quidam ex naturali lumine splendor, auctus solertia, institutione, meditatione, exercitatione, die ipsa, quæ ultro adfert multa in primis illis naturalibus, ijsq; quæ sunt primis proxima, idest quæ ex principibus breuissimo atq; apertissimo tramite ducũtur: sed longius tamen progressis tenebræ obuoluuntur ilico, non à rebus, sed à nostris ingenijs, quæ graui hac corporis mole onusta, & tarditate impediuntur, uel nube aliqua interiecta perturbantur, atque hallucinantur. Itaq; modus cognitionis lucisq; in assequenda ueri-

tate, nostrarum est mentium, non rerum. Nam sunt qui in rebus apertißimis cæcutiunt, & tenebræ illis offunduntur etiam in claro meridie, uel ex ignorantia, uel ex torpedine. alij obscuriora clarius cernunt beneficio ingenij uel naturalis uel exculti. Quo plus ergo est lucis, plus scientiæ: quo minus, plus dubitationis. si nihil sit prorsum, aut ita parum, ut pro nihilo ducendũ sit, ignorantia se diffundit tanquam dẽsa in nubila atq; illuni nocte obscuritas, sine scientia, sine ueriſimilitudine, sine ambiguitate. Quocirca nec scientia, nec ueriſimilitudo est erroris causa, sed caligo luci admixta: quæ lux nulli contingit pura, obumbrante corpore. quomodo enim posset ignorantiam scientia parere, aut errorem peritia, aut nebulam fulgor? Nec aliter quàm mutatur luminis qualitas & uis ex obiecta mole, ut alia plus aut minus admittat claritatis: ita illuminatio mentis ex multarum rerum in uita hac quasi obiectu, admirabiliter redditur uaria, ut diuerſißime homines tum colligant, tum iudicent, & statuant siue de bono, siue de uero. Sunt autem hæres, corporis cõstitutio, ætas, ualetudo, robur, assuefactio, integritas, affectio præsens ex qualitatibus temporarijs, quas gignunt alimenta loci, & temporis, tum actiones, atq; externa: tametsi hæc uariũt, prout cuiusq; est animus, & mores

& mores. In animo affectiones omnes: in mente tarditas, celeritas, acumen, hebetudo, doctrina, secta inueterata aut certe persuasio quæ prior adhæsit, mores, consuetudo, autoritas alterius. unde tanta in sentiendo & statuendo, & tam crebra uarietas atq; aduersitas, non solum hominibus inter se, uerum etiam cuique secum: ut sequens temporis punctum, prioris sententiam decretam omnino & fixam damnet penitus, ac tollat.

DE CONTEMPLATIONE.

SEquitur post actionem quies. Ratio est ueluti scrutatio: iudicium, electio: contemplatio autem, inspectio quieta & tuta omnium, quæ à ratione sunt collecta & exculpta, à iudicio autem recepta atq; approbata. non est in ea ratiocinatio ulla, in qua omnia sunt certa iam, atq; exposita. & quando delectatio omnis nascitur ex proportione quadam, congruẽtiáq; obiecti cum facultate, nihilq; est menti congruentius quàm ueritas, fit ut in contemplatione magnæ sint delectationes mentis nostræ. In quo tamen spectãtur ueritas & ingenium. Nam ueritates tã sunt gratißimæ, quàm certißimæ, maximéq; defecatæ, prolatæ simul cũ suis originibus, primisq; causis. Id uero si non concedatur, secundum est, ut ad ueritatem quàm proxime accedant, simillimæq; sint.

sint. Nemo est tam torpenti & abiecto in terram animo, qui non excitetur ad hanc uocem, Ego tibi huiusce rei causam patefaciam. adeò insitum est à natura humanis pectoribus, causas uelle cognoscere: ut merito felicem illum Poeta pronunciarit, qui potuit rerum cognoscere causas. Ingenia uero similitudine ac proportione delectantur, summa & præstantissima rebus excellentissimis, & alia deinceps, ut est cuiusq; gradus usq; ad infima & despicatissima, quæ uilissimis ac nugacissimis rebus tenentur. Voluptas hæc contemplationis tanta est generosis mentibus, quæ illam semel degustarunt, ut renunciasse gentiles multos rebus humanis uniuersis propter eam solam mirandum non sit. Hoc uel incredibile sanè, uel absurdum uideatur ijs, qui spiritales illas dulcedines nũquam gustarunt. His de causis beatissima omniũ erit illa in cœlis contemplatio, quippe de Deo, quo nihil excogitari potest amplius uel excellentius: tum dimota omni nebula, non uerisimiliter, sed uerissime, certissima ueritate ostẽsa, causisq; rerum omnium in ipso autore perspectis & cognitis, liberatis quoq; nostris mentibus ab obscuro hoc & tenebroso carcere, quum nulla erit amplius distinctio & differentia iudiciorum, ut alia alijs placeant, idem erit omnibus iudicium. Quæ ad sciendum

dum tantummodo faciunt, manent in cõtemplatione ipſa, nullum habent foris uſum: quæ uero ad bonum de agendis ſunt, foras ſe proferunt, in quibus quæ certas fixasq; habent præceptiones, uel perpetuas atq; inuariabiles, uel admodum uniuerſales, arte continentur. Eſt enim ars, collectio generaliũ formularum, ad uſum aliquem tendentium. quæ uero circumſtantijs ſeu negocijs uariantur (eæ ſunt enim πολυτρόπους) hoc eſt locis, temporibus, perſonis, & eiuſmodi, circũſpectionis ſunt, ſeu prudẽtiæ, quam multi iudicium appellant. ſed in his nominandis magno in errore uerſatur cõmunis ſermo, de quo ſum ſæpius conqueſtus.

Scientia.

Autor de trade: diſc: li: 1.

Ars. Ars collectio regũ ... ſalutem pertinentium ad rogandũ, agendũ, togandũ in multa alia quæ ſpectant ad ſalutem.

Prudentia.

VOLVNTAS.

COgnitio omnis propter bonum expetendum eſt tributa, ſenſualis propter ſenſuale, mentalis propter mentale, ut cognitum bonum expetat, expetendo autem ſequatur, donec ſe illi adiungat, quantum quidem fieri poßit, & congruat. ſic enim illi erit bonum, nec aliter. malum uero, quod bono ſit contrarium, auerſetur & defugiat, ne ſe illi applicet, quo fiat ei malum. Facultas quæ id exequitur in brutis, appetitus eſt ſenſualis, ſeu uolũtas. Eſt igitur uoluntas, facultas ſeu uis animi, qua bonum expetimus, malum auerſamur, duce ratione. nam mutæ animantes

mantes duce natura, quæ ſenſus extimulat. Sunt et
Voluntatis actus duo. go in uoluntate actus duo, propenſio ſeu amplexus
boni, & auerſio mali. orbatio eſt utriuſq;, quum illa
ocioſa neutrã in partem inclinat. Voluntas quidem
ipſa domina eſt omnium & imperatrix, ſed per ſe ni
hil habet lucis. illuminatur à mente, hoc eſt à ra-
tione, ac iudicio, quæ appoſita eſt illi uelut conſul-
trix ductrixq;, non ut regat, aut torqueat, ſed ut di
rigat, & meliorum admoneat. Itaque nihil uoluntas
appetit, aut deuitat, niſi à ratione præmonſtratum.
Quocirca actus uolũtatis à uoluntate quidem pro-
ducitur, à ratione autem iudicatur & ſuadetur: atq;
ut ſic dicam, à ratione gignitur, à uolũtate paritur.
Magiſtra eſt igitur, & præceptrix uoluntatis ra-
Voluntatis libertas. tio, non domina. Voluntatem enim humanã liberam
iußit eſſe autor ſuus, & quaſi ſui iuris ac mancipij.
obtemperat quidem illa ſemper rationi, ſed nulli uni
eſt alligata: ſequitur autem, quamcunq; libuerit ex
propoſitis. Liberam quidem animo inter actum &
orbationem, uelle non uelle, nolle non nolle, non in-
ter duos actus cõtrarios. quando enim uis hæc nihil
poteſt uelle, niſi ſub aliqua boni facie: nihil nolle, ni
ſi ſub mali: oſtenſa boni ſpecie, non mali, poteſt qui
dem non uelle, ſed non poteſt nolle, hoc eſt auerſa-
ri & odiſſe. uicißim quoq; obiecta mali ſpecie, non

boni

boni, potest non nolle, sed non potest uelle, hoc est amplecti & amare. Declaratur autem ius libertatis huius & dominij uoluntatis multis modis. Primum quod libera est ante consultationem: licet enim illi referre ad mentem, de quo deliberet, & non referre. Tum in ipsa deliberatione licet uel iubere rem differri, uel in uniuersum silentium indicere, intentionemq; mentis aliorsum conuertere: non aliter quàm princeps, qui consultari de negocio quopiam imperat, uel omitti prorsum, uel reijci. Quin etiam posteaquàm est decretum, potest ipsa se uoluntas cohibere, nec id expetere, quod iudicatum est à consultore esse bonum. Ipsa quoq; consultatio ex libertate est, quod non rapimur fixo atq; immutabili naturæ impetu, uelut beluæ: sed ratio disquirit, quò sit eundum, aut unde declinandum: & expendit quid in quoq; uel boni insit, uel mali. Potest item uoluntas ulteriorem deliberationẽ indicere, & quasi amplius pronunciare, ne ibi sistatur, sed inquiratur, an quicquam inueniri queat potius, & conducibilius. Multis quoq; propositis ostensisq;, etiam si efficax & ualida ratio unum aliquod probet, ac suadeat, si quod aliud tamen faciem præ se fert boni aliquam, quãuis tenuissima potest huc sese flectere, & ex sola suspiciũcula hoc sumere, altero repudiato, in quo

insit

insit permagna boni & ſpecies & eſſentia. quam in rem magnam ei anſam præbet, quod res noſtræ omnes miſtæ ſunt bonis ac malis, tum ex nobis ipſis, qui ex rebus diuerſiſsimis conſtamus: multaq; ſunt nobis circumſpicienda & reſpiciendа in animo, in corpore, in externis. In tanta autem rerum uarietate nihil uenire poteſt ſub conſultationem, in quo ratio nis uis non & bona & mala deprehendat, quæ ſuadeat, quæ diſſuadeat, pro locis, temporibus, perſonis, qualitate, & eiuſmodi. Sæpe etiam ut ſe oſtendat uolũtas eſſe dominam, reijcit ac ſpernit omnia, haud aliter quàm princeps, qui ne uideatur à quoquam regi, ſalutaria omnia conſiliariorum ſuorum monita excludit & reſpuit, fitq; (quod dicit ille in ſatyra) Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione libido. Tametſi neq; hoc ſine boni forma. nihil enim poteſt uoluntas expetere, aut agere, niſi eo propoſito, quod ratio aliqua bonum eſſe cenſuerit. Illud porro ſtatuit ſibi eſſe in eo bonum, quo mouetur, ut potentiam ſuam & libertatem noſcant omnes, quod princeps interdum pluris facit, quàm conſilia omnia præſenti rerum ſtatui utilia. Adoleſcentes etiam nonnulli, quo ſe liberos eſſe declarent, nec obtemperare cuiuſquã iuſsis, quæ uel parentes, uel præceptores probè monent, faſtidioſe & contumaciter aſpernantur, Hæc

tur. Hæc quidem in libertate actionis internæ, in externis quoq; patefit libertas. Nam ubi rem approbauit, potest non exequi, aut postea quàm capessiuit, cessare: nec tantum præstare, quantum ei licet, nec tam celeriter. Bruta nihil horum habent. naturalis enim facultas agit semper quãtum, & quàm cito per uires ei conceditur. Nam quod mutæ animantes agant fortius & celerius uno tempore quàm alio, non est hoc quòd uoluntario remittant uires, aut intendant: sed extimulata partim foris à qualitate loci aut temporis, partim intrinsecus à corporis habitudine uel animi affectu excitant atq; exacuũt uires, & reddunt maiores ac uegetiores: ut ignis oleo iniecto, uel sufflatus, aut arida materia subdita. uel ubi repugnantiam frigoris aut humiditatis deuicit, fit acrior. semper autem, ut hic ardet pro uiribus præsentibus, ita belua agit, aut patitur: quippe quæ fertur cæco & latenti quodam siue raptu, seu uectione. Quin & ex hominibus quàm quis in beluæ naturam atq; ingenium degenerauit, tam sine consultatione rapitur ad actiones suas præceps. Sunt quædam animalia ad simulationem & dissimulationem à natura facta, ut uulpes, & felis quum uenatur murem: quæ cautio nascitur ex metu, ne quid patiatur aut amittat. nam in bruto, quum ad suum obiectum

ruenti offertur periculum, retardatur prior impetus ab altero contrario. non est ea consultatio, sed impedimentum prioris motus: ut quum pila missa ex aduerso repellitur, uel inhibetur. tandem quæ ualidior est concitatio, abripit secum obsistentem. In hominibus autem quum affectus duo aduersi pugnant, uehementer concitati, etiamsi feruore illo animi opprimitur mens, non est tamẽ nulla deliberatio. qui enim ex illis uincit, non sine ulla omnino uincit ratione, tametsi perexigua: sed quæ iudicio ab affectu decepto efficacissima uideatur in præsentia, dignissimáq; cui obtemperetur. eáq; est peccantis ignorantia: qui quod expetit, existimat esse bonũ in præsenti, non considerans aliud esse melius etiam nunc: & futurum bonum, quo sperant se malum hoc compensaturum, incertum est. Grande Dei munus est libertas uoluntatis, qua ille nos filios suos constituit, non seruos: & in nostra posuit manu, quales nos uellemus effingere, opitulante illius fauore ac gratia. alioqui nihil quod ad excellẽtiam uirtutis attinet, inter nos & beluas distaret, si tam omnia in nobis ageret potentia quædam naturæ necessaria atq; ineuitabilis, quàm in brutis. Et uoluntatem nostram mouent eadem illa, quæ iudicium contactu quodam. sicut qui primum annulum trahit in torque, & secundum & tertium

tertium trahit, ob eorum inter se connexionem. Instigatur quoque à mentibus superioribus, ut angelis & dæmonibus: à Deo autem potißimum, à quo solo potest cogi, uidelicet à quo uno accepit non libertatem modo, sed esse. quum uero est à ui & potesta te maiore concitata, assurgit supra modum naturæ ac facultatis suæ: atq; eo magis & euidentius, quum à Deo ipso, editq; ea opera, quæ ipsa eadem, ubi facta sint, admiretur: & si uelit animaduertere, euectam se à ui superiore facile intelligat. Sunt qui humanam uoluntatẽ cœlo penitus subijciant, & astris ab illis nos impelli & cogi prorsum asserant, nedum admoneri uel instigari: quo de genere sunt mathematici. uidelicet agunt isti, ut mos est ferè eorum, qui uni se arti alicui penitus tradiderunt, aut qui ex ea magnum uel nomen uel quæstum uenantur. uellent quæcunq; sunt in mũdi uniuersitate, sub illius scientiæ materiã & limites uenire. Id uero plerunq; non tam artis amore immodico, quàm sui ipsorum: ut id scire ac tenere uideantur, quod in orbe sit non præcipuum modo, uerum etiam penè solum. Sed profecto cœlum ut inanime, nõ aliter potest nos mouere aut impellere, quàm per sui simile, hoc est per constitutionem corporis. Quod si cœli naturales sunt facultates ad agendũ ex una facultate & causa non

Voluntas cœlo non subditur.

1. Eo modo nemo mouet nos possit.

2. Maior.

poterunt effectus existere contrarij. atqui sub unoquolibet sidere uoluntatem hominis, & si ad hoc aut illud sollicitetur, uidemus nihilominus ad utrumcunq; fuerit collibitum se applicare. quod est ualde pugnans cum actione naturali, quæ certũ unum aliquod effectum necessario producit: nec est quicquã magis à necessitate alienum & distans, quàm libertas. Itaq; si in cœlis ac sideribus est necessitas, in uoluntate autẽ sicut ostendimus libertas, apparet profecto res esse inter se diuersas admodum & repugnantes, cœlum & humanam uoluntatem. Alij autem in Dei & præuidentia, & prouidentia perturbantur, quemadmodum cum illarũ ueritate constare uoluntatis nostræ possit libertas, ut quod præuiderit Deus futurum, mutare uoluntas humana possit sua libertate, & Deum uel fallere, uel mendacem facere. Cæterum Dei præuidentia non magis libertatem mihi meam adimit, q̃ aspectus tuus, dum me aliquid agentem intueris. sed neq; prouidentia: quippe est præuidentia mens diuina cũcta præcognoscẽs, uel (ut aptius loquar) noscens præsentia. nihil est enim illi præteritum aut futurum. Prouidentia est uoluntas, consilio immenso uniuersa gubernans. atqui uoluntas hæc diuina, uolũtates angelicas & nostras liberas esse iussit. Itaq; quod liberè agimus, per illam

agimus

agimus, ideſt illius præſcriptione ac beneficio. Ille autem falli poſſet, aut mentiri, ſi quid eſſet ei uentu rum, aut tranſactum, ut nobis. nunc autem, quum ei ſit æternitas tota præſens, nemo ſit de illius ſapientia ac ueritate ſolicitus. In uoluntate actus ſunt duo, approbatio & reprobatio, ex quibus actus exterio- res proficiſcuntur. Approbatio, quæ eſt de bono, pa rit executionem ad illud conſequẽdum: reprobatio autem, quæ de malo, uel inſurrectionem ad illud ſu- perandum, uel contractionem & fugam ad euitan- dum. Multi approbant iudicio & uoluntate, ſed lan guida ac inerti, quæ foras non exit: de quibus eſt il- lud Solomonis. Vult & non uult piger. eſt enim uo- luntatis alter actus, qui priorem illum impedit: nem- pe difficultas in exequẽdo, quam uoluntas pro malo ducit, & illi bono quod ipſi eidem placuerat, oppo- nit. Illud eſt admirationi compluribus, quid cauſæ ſit, cur magis uoluntas noſtra erga uetita accẽdatur atq; ſtimuletur, quàm erga libera, quæq; permittun- tur & licent. An in multis, quia uulgaria & commu nia non uetantur, ſed rara & precioſa, idcirco pro- hibitione rei alicuius ſuſpicio ſtatim ſuboritur rem eſſe expetibilem. unde cupiditas excitatur, atq; iri- tatur. Alij curioſitate cognoſcẽdi adducũtur, quod non dubitant, quin ſit cognitione dignum, à quo ar-

Voluntatis actus duo.

Approbatio
Reprobatio.

Approbatio imperfecta.

Cur uoluntas erga uetita magis uigila exqui- ſita, & libera.

1.

2

cetur cognitio. An uero in ijs, qui quod uetatur, quid & cuiusmodi sit, non ignorant, desiderium solutum ac liberum remissius est, tanquã uentus in plano dissipatus? qui si cohibeatur in angustias, ilico inualescit, & sumit uires ac impetum: ita uoluntas soluta lenta est, astricta uehementior fit & concitatior. Quæ in nobis naturalia sunt, non auscultant uoluntati, ut recte ualere, aut secus: & si sunt in nostro corpore non pauca, quorum facultates quidem à natura accipimus, actus autem eorum ex uoluntate oriuntur. ut posse audire, loqui, comedere, naturæ sunt munera: audire autem, uel non audire, loqui aut non loqui, comedere aut non comedere, ad libertatem referuntur. Quod si uoluntas imperatrix est humanorum actuum, penes ipsam est bene aut male facere, uirtus & uicium, laus & uituperatio, præmium & pœna.

DE MENTE IN VNIVERSVM.

EXpositæ sunt nobis pro uirili parte nostra actiones humanæ mẽtis: restat, quænam illius sit essentia inuestigare. Ipsa quidem illius essentia per se ignoratur: sed quando in hoc est à Deo condita, ut cum ipso ad immortalitatem beatitudinis iungatur, nihil possumus definire aptius, quàm si eius esse dicamus substantiæ, quæ & capax sit diuinitatis,

tis,& iungi cum ea posſit:tam capax utiq; diuinitatis,ut cognitio pariat amorem: adeo autem iungatur,ut æuo infinito ſit beatiſsima. Dicamus ergo humanam mentem ſpiritum eſſe,per quem corpus,cui eſt connexus,uiuit,aptus cognitioni Dei propter amorem,atq; hinc coniunctioni cum eo ad beatitudinem æternam. Nam mens noſtra ſicuti à ſummo ad imum deſcẽdit,quod eſt corpus,per amorem Dei autoris erga illam,qui deſcenſu eiuſmodi communicare uult ſuam beatitudinem & illi,& rebus omnibus,quibus ipſa eſt applicata,atque annexa:ita ipſa rurſum per cognitionem atque amorem ſuum erga Deum,ad originem ſeſe ſuam erigit,& reuertitur. uenit à ſummo ad imum,rurſum ab imo ad ſummum extollitur. Hic curſus in uita ipſa declaratur.homo enim de principio uiuit uitã ſtirpis,hinc beluæ,tum hominis:& quum ſe magis expurgauit,erexitq; ſupra res terrenas,fit angelus:poſtremo unitus Deo, quaſi deus quidã. Aſcẽſus noſtri gradus ſunt à materia ad ſenſus,ab his ad imaginationẽ et phantaſiam, ab hac ad rationem,tum ad contemplationem, poſtremo ad amorem, deſcenſus contrarius eſt omnino. Nec aliter peruerſus eſt animus,quum affectibus cedit iudicium,uel ratio phantaſiæ:quàm corpus,ſi capite in terrã poſito,& erectis ſurſum pedi

Animæ definitio.

bus tentet ingredi. Anima in unoquoq; homine una est: officia autem eius in ipsa illius essentia sunt sita, ut munia uel publica uel priuata in homine, & artes aut scientiæ. Ideo quum in aliquod opus est prorsum intenta atq; occupata, in alia se immittere haud facile potest. ut quum dolet, non potest contemplari: si acriter quid cogitet, aut contempletur, nihil cernit: quum est acriter in intelligendo, uel inquirendo, uel admirando intenta, non iudicat, ut in rei nouitate. admiratione autem, aut inquisitione subsidente, exurgit iudicium: quod uidemus cõtingere, sublata nouitate rei. Ideoq; monumenta ingeniorũ uetera, quæ ætatem pertulerunt, hoc est multorũ iudicia & censuras, iurè præponuntur recentibus, in quîs nouitas obstat iudicio. Tum & illi merito sunt in admiratione, qui pariter se in multa ingenij opera eodem tempore potuerunt impendere, ut Cæsar Dictator: & qui intentionem ab ijs quæ exterius incurrũt, ad intimas cogitationes possunt reuocare, ut solitum se facere in balneo & theatro scribit Seneca, & de Plotino Porphyrius circa negocia uitæ communis. Tum qui dolent aut laborant, si intẽtionem animi à præsentis molestiæ cogitatione auocent, minus eam sentient. Omnis autem animæ intẽta & uehemens exercitatio, debilitat instrumenta: quod est ei cum

cæteris

cæteris opificibus cõmune. ita uidemus oculum defixè intuendo, & aurem intentè audiendo defatigari: atq; eo magis, quum est dura atq; impenetrabilis materia. quemadmodum scriptio in charta scabra retundit pennam, & scissio nodi in ligno cultellum uel cuneum. Quocirca non excellens sensile corrumpit sensum, ut placet Peripateticis: sed difficile, & superans uim sensorij. eodem modo in intellectionibus, quæ à rebus arduis fatiscunt, & hebescunt: sicut oculus fulgore spectando. Et quoniam mens nostra est actus, quiescere omnino ab actione sua nequit, nisi potestate ualidè renitente, hoc est oppositio obice in instrumentis: uelut quum à mole obruitur in locis maternis, à crapula in ebrietate, ab inimicis uaporibus in attonitione: quæ omnia, & similia, uiolenta sunt, naturæq; illius repugnantia. unde quum emergit, cessante potestatis uiolentia, statim reducit se in actum suum: neque eam ad rem externæ ullius opis indiget, sed solum impedimento submouendo. quod si sit sublatum, non potest mens ullo pacto ociari: necesse est aliquid meditetur, & secum uoluat. eamq; illius motionem, si quis conetur sistere (ut sunt qui uolunt nihil prorsum cogitare) perinde fecerit, ac si cohibere uelit ignem, ne ardeat, conceptus in apta materia: alterutrum pro-

Anima an cessset.

fecto ſequetur, aut ut ignem extinguat, aut ut uis ignis ualidior ac uiolentior erũpat in obicem, ſic uel corrumpetur uita tam uiolenta contentione, uel pro una cogitatione, quam uelis opprimere, magna cogitationum & uiſorum perturbatio coorietur, hoc eſt planè amentia.

DE SOMNO.

POſt actionem dicamus de quiete, hoc eſt ſomno, qui eſt requies ac ceſſatio, non animi utiq; uniuerſi, ſed tantummodo ſenſuum: ea uero animantium eſt propria. Annotamus enim, animãtes omnes aliquando uti ſenſibus, aliquando ab eo munere ceſſare omnino, quaſiq; feriari: hoc ſomnum appellamus, illud uigiliam. Somnus uidetur conceſſus à natura, quoniam actioni ſenſuum finitæ quiete aliqua eſt opus. egent itaq; ſomni animãtes omnes: & quia egent, habent quoq;. nam benigna eſt in neceſſarijs natura. Sed in alijs quies hæc breuior eſt, in alijs longior. Ex euaporatione alimenti naſcitur ſomnus. incraſſantur enim qui ſunt circum neruos ſpiritus, ut ſenſuum impediatur functio. Solutio ſenſuum eſt uigilia, ſomnus alligatio. Aſcendit uapor hic ad cerebrum: ibi nactus humidam & frigidam materiam, humectatur magis, & denſatur, unde nubis in morem defunditur per totum corpus. Ideoq; animal dormiens,

miens, impos ſui conſternitur: quòd neruis conſopitis, quorum eſt origo in cerebro, ſenſus & membra omnia officio ſuo non fungũtur. cerebro autem degrauato, crebra fit in dormitatione mutatio. Anteriorem capitis partem, quæ eſt humectatior, plurimum inuadit ſomnus. unde & in oculis potiſſimum apparet, qui in ſomno omnibus clauduntur animantibus, præterquàm lepori, & hominum nõnullis. in lepore timori aſſcribitur, quod obdormiſcens non audet oculos claudere: ita deinde dormienti iam obrigeſcere. tum humore muſculos genarum premente, fit ad eum depellendum oſcitatio. Senſum etiam communem, qui in anteriore capitis portione ſitus eſt, obruit atq; opprimit ſomnus. Non eſt itaq; ſomnus attonitio, uel ſtupefactio animalis, ut in deliquio animi uel morbo: ſed quies ſenſuum externorum, ex euaporatione alimenti in uentriculo bullientis cerebro deuincto atque impedito. in ſomno ſenſoria tantum quieſcunt placidè: in attonitione autem, uel deliquio, animus & mens ipſa uiolentè opprimitur. Reficitur corpus ſomno, tanquam ſtirps ſalubri quadam irroratione. in uigilia nanque extenuantur agendo ſpiritus, reuocantur introrſus per ſomnum, refrigeranturq;, unde eſt conſpiſſatio. atque eo modo reparantur iterum labori uigiliæ.

Qua

Quæ ad somnum valeant.

Qua de causa dormientes frigent magis exterius, & in extremis corporis partibus, quàm uigilantes. 1 Adhæc crassa & frigida, somnifera sunt: crassa quidem ex se, frigida uero propter crassitiẽ ac den- 2 sitatem. Quies & solitudo, & silentium, inuitant somnum, tunc enim bilis conquiescit, & humores

Somnus vtilis è concoctione.

refrigerantur. Optimaq; est in somno concoctio, quoniam recipit se introrsus calor, quemadmodum in hyeme: & uegetatrix animæ facultas, melius munus suum exercet per quietem, quàm in uigilia. non enim dormiens actionibus sensuum auocatur, & delassatur. Itaq; animæ facultates uniuersæ, nutrienti concedunt. Elegãter Plinius Secundus somnum es-

Defatigatio quo pacto somnum conciliet.

3 se dixit, animi in mediũ sui recessum. Obrepit item somnus ex defatigatione, quoniam fessi nerui statim cedunt sopienti humori: ad hæc, quia plus est frigoris attenuato per exercitamenta & consumpto calore. quod ad animi quoque defatigationem potest transferri: ut in studijs, in mœrore, post metum. idq; euenit propter laborem & delassationem corporis, in illis animi concitationibus. Quòd si exiccatum atq; incensum sit corpus, non tam facile obdormiscit, sicut in morbis. quocirca infantes multum somno indulgent: senes uero non item, quanquam frigidis humoribus infestantur. quia deest illic calor, qui

Cur somnum impediant.

humores

humores illos feruefaciat ad euaporationem atq; irrorationem. Qua de causa bilioſi homines, ſi abunde humiditas ſuppetat, ſomnolenti ſunt. ſcilicet multa eſt euaporatio ex multo humore, cui ualidus eſt ignis ſubiectus. Nec aliud perinde bilioſos reficit, ut ſomnus: quemadmodum de Alexandro Macedone perhibent. Rationem qualitatũ corporis ſequuntur qualitates loci ac tẽporis: ut pluuio tempore longior eſt ſomnus, itẽ in humidis regionibus, & poſtquam ſumus largius inuitati. Excitatio à ſomno uel eſt à nobis ipſis intrinſecus, uel foris incurrit. Expergiſcimur noſtra ſpõte, reſoluto uapore tanquam uinculo, adeò ut liberum relinquatur cerebrum ad actiones ſuas: tum pungimur, atq; excitamur uel dolore corporis, aut inquietudine morbi cuiuſpiã, uel animi agitationibus, uelut metu, aut cupiditate. Sed quæ affectiones calidæ ſunt, citius adimunt ſomnũ, ut ira, amor, cupiditas: q̃ frigidæ, cuiuſmodi ſunt metus & mœror. nam ſæpenumero ex metu aut triſtitia delaſſati obdormiſcimus, quale eſt illud in Euangelio: Quũ ueniſſet ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœſtitia. Metus tamen uim adfert ſomno, quaſi q; manũ illi inijcit, ſubinde illud interrumpens cura ac ſolicitudine. Foris autẽ cõtingunt motus, ſtrepitus, punctiones, uellicationes, plagæ.

Excitatio.

1

2

hæc

hæc enim omnia denſitatem humoris diſrarant. Sed niſi ſit euaporatio ad certum quendam modum diſcuſſa, nõ ceſſat dormituritio, ideſt lucta ſomni cum actionibus ſenſuum. Non poteſt quidem tolli omnino ea effumigatio, quæ à uentriculo aſcendit ad caput: ſed eius denſitas ad certum aliquem modum efficit ſomnum, ſubtilitas uigiliam, hoc eſt ſolutionem ſenſuum. Et uariatur hoc autẽ pro qualitate & conſtitutione corporum, ut alijs alio ſit neceſſaria. uoluntas quoq; renitens, aliquò uſq; poteſt ſomnum cohibere atq; impedire. Somnus eſt animali propter uigiliam tributus, ut mox nauiter uigilet, promptiuſq; et alacrius uitæ munia capeſſat. Vita enim, ut ille dixit, uigilia eſt: ſomnus autem, imago quædam mortis, uel interliminium uitæ mortisq;: ut qui dormit, nec dici poßit mortuus, nec uideatur uiuere. Hac de cauſa Dominus noſter, & Apoſtolus eius Paulus, quos reliqui mortuos, ipſi dormientes nominant: quod aliquando expergiſcendi ſint, & ſurrecturi ad uitam.

Somnij finis.

DE SOMNIO.

DOrmiente corpore, non cõſopitur animus, cuius facultates omnes interiores continenter ſua miniſteria obeunt: eaq; actio Somnium nominatur. eſt enim ſomnium, actus animi interior, corpore

pore à ſomno occupato. Ariſtoteli non placet, quic quid animo per quietem obuerſetur, nominari ſomnium, ſed tantũmodo phantaſmata. Ea uero mihi uidetur eſſe quæſtio de uerbo, quæ ſcrutantem naturas rerum non debet torquere. multo facilius eſt ac promptius, ut quicquid animo mentiq; per quietem obuerſetur, ad rationem ſomniorum referatur. Somniant ea omnia, in quibus eſt ſenſus interior, qui rerum ſimulachra poßit per quietem intueri, quæ res ſenſibus ſunt per uigiliam obuerſatæ. Itaq; ſomniãt animãtes penè omnes: quoniam phantaſia non ceſſat. Nec in homine mens dormit, multo minus q̃ animus in mutis. quiete enim compoſiti, multa & inquirunt, & ſcrutantur, & colligunt, & ſolutiones illis quæſtionum occurrunt, quæ uigilantes fallebant. & qui uigiles ſunt indiſerti, ijs nox & quies facũdiam largitur. Sed quia phantaſia eſt per id tem poris à cenſura rationis ſoluta, haurit ex memoria, ſine modo ac ordine. inde exiſtũt tam multa in quie te ſtulta, abſurda, male cohærentia, ſicut in morbo, qui caput inuaſit. Somnia declarant manifeſtò, eſſe intus aliquid aliud à corpore, & ab anima uegetatrice, & ſenſorijs corporis, quod res abſentes ſentiat, & cognoſcat, quaſiq; uideat, atq; audiat. In ſpiritibus cerebri naſcuntur uiſa, qui ſpiritus à corde

ueluti

ueluti à fonte ſuppeditantur capiti. Itaq; & illorum ſpirituũ, & uaporum unde ſpiritus tenuantur, qualitatem ſæpenumero referunt ſomnia: eorum potiſſimum, qui in ea uia occurrunt ſpiritui aſcendenti, nempe in gutture, aut pectore, aut quo alio loco. quumq; halitus craſſi ſenſorium commune per quietem occupent, non poteſt id de ſenſilibus rectè iudicare, nec de ſenſuum actionibus. Eoq; quum quid ineſt in gutture humidæ pituitæ, uiſa obuerſantur de aqua: quum quid ſanguinis, de ſanguine: ſi atræ bilis, de rebus triſtibus: ſin flauæ, de rixis & litibus. ideoq; de huiuſmodi liquoribus medici ex ægrorum ſomnijs recte iudicant. Fit etiam nonnunquam, ut ſuccedentibus inuicem liquoribus contrarijs, de rebus quoq; contrarijs eodem ſomno uiſa imaginemur. Eadem prauitate de officijs corporalium ſenſuum communis ſenſus iudicat. nam ſi exiguum audiamus ſonitum, ingentes eſſe fragores remur: ſi caleſcimus, inflammari atque ardere, ſi quid relictum ſit humoris in gula, uel arteria, natare in ingenti flumine, atque etiam demergi: ſicut quæ per nebulam cernuntur, aut uitrum denſum, apparent maiora. Et quia motũ cordis ſequitur corpus, ſi uapore aliquo ſuſtollatur cor, aſcendere nos ſomniamus: & quidem uel ſcalas, uel collem arduum atque infeſtum,

quum

quum uapor ille extenuatur, & ſenſim cor ſubſidit, deſcendere: quum ſubito euaneſcit, & celeri motu in locum ſuum redit cor, cadere ac ruere per præceps, & arripimus uel toralia, uel ceruical. ſin humore multo ac denſo cor occupetur, angimur, & magnum pondus ſupra pectus uidemur nobis ægrè ſuſtinere: unde multis grauia in ualetudine incõmoda, nonnũquam etiam mors. Quòd ſi cum difficultate humor reſoluatur, aut commoueatur, uidemur nobis conari currere, aut aſcendere: detineri tamen atq; impediri magna aduerſa ui. Somniamus crebro quæ eodẽ die uel egimus uel uidimus: quod ideo contingit, uel quia recens eſt phantaſia & libera, nec alijs imaginibus diſtricta, uelut in pueris: uel quia eiuſmodi cogitatione occupati, tradimus nos quieti, quæ ſe ſtatim ſpiritui cõſiderationis offert, in illoq; ſeſe imprimit. quod etiam uſu uenit in ijs uiſis, quæ ualidior uis aliqua altè impreſſit, uelut crebra & cõtinua cogitatio, uel affectus quiſpiam cõcitatus, aut diuturnus: ut metus, amor, cupiditas, ira, inuidentia. ea enim phantaſia ſpiritum ſenſus communis attentionisq; celeriter arripit, cogitq; ſibi uni dare operam, cæteris omiſſis. quod uſu amantibus euenit & ijs omnibus, in quos dominatur perturbatio animi aliqua uehemens. Sunt nonnullis ſomnia fracta &

perturbata, alijs integra & ſedata, alijs terribilia, alijs iucũda. Pura & ſyncera exiſtunt ſimulachra, quum ſanguis eſt à ſordidis humoribus defecatior: ſicuti ſub auroram, peracta concoctione in nocte. eaq; de cauſa priſci Philoſophi ea uiſa prouerioribus habebant. Poſſunt quidem illa integriora eſſe, & magis compoſita deſcriptaq;: ueriora tamen non ideo erũt, haud aliter quàm ex fabellis fictis alia eſt alia elegantior & ordinatior, quum nulla ſit uera. Si ſit uapor tenuior & temperatior, fit ſomni curſus magis integer & continuatus: placide enim fertur phantaſia, ueluti lenis fluuiolus. ſin effumigatio ſit præferuida, rapitur phantaſia, diſcurritq; immodica celeritate per phãtaſmata in modum rotæ concitatiſſimæ. magna tum conſequitur permixtio & confuſio temporum, locorum, perſonarum: Romam cum Lutetia miſcemus, Cæſarem & Pompeiũ producimus in hæc tempora, idem homo rex eſt & ſeruus, componimus & diſiungimus abſurdiſſima, incredibilia, impoßibilia. quæ inſomnia perturbata ſunt, & (quoniam à tanta confuſione non ſolum cogitatio atq; intelligẽtia, ſed phantaſia quoq; ipſa abhorret) moleſtiſſima: & auerſamur ſomnum, ne in eiuſmodi uiſa recidamus, qualia ſolent in morbo aut dolore corporis, aut motu animi concitato & graui contin-

contingere, deniq; quoties cerebrum est male affectum. Reflectitur in se nonnunquam somnium, & nos uel somniare, uel nõ somniare reputamus. quod euenit ferè uel in lætis admodum, quum timemus ne sit inane spectrum: uel in ualde tristibus, quum uelle mus falsum id esse. Et quemadmodum phantasias uigilantium sequuntur imagines somni, ita è contrario: uelut in pueris, & ægrotantibus, & male affectis. qui territi simulachris somniorũ, eadem se expergefacti credunt aspicere: itaq; clamant, & fugiũt, & se occultant. Est dormitatio medium quiddam inter somnum & uigiliam, in qua uidemur nobis somniare, quæ reuera aspicimus uel audimus, licet tenuiter ac maligne: eodemq; modo in alijs sensibus, ut uocem loquẽtis, uel candelam ardentem, uel motum deambulantis in cubiculo, uel tangere rem aliquam asperam, aut læuem. id fit, quum nondum sensus communis est omnino consopitus. Et ex eadem causa quum dormientes stertimus, si paululum se communis sensus explicarit, percipit quidem sensile: sed quia non omnino liber, praue de eo statuit. censet enim sonũ illum esse tubas, aut buccinas, aut clamores, denique immanes aliquos strepitus. Sæpe etiam uidetur sibi loquentem aliquem audire, nec satis uoces discernere, aut intelligere. Literas quoq;

Dormitatio.

imaginamur nos legere, quas nõ bene distinguimus: in quo laboramus, & male afficimur. conantibus enim nihil succedit. Id uero inde fit, quòd phantasia non sumit ex memoria notiones satis impressas ac consignatas, uel memoria non suppeditante, uel phantasia lente nimis accipiente, ac maligne. Vicissim etiam existimamus nos exterioribus usurpare sensibus, quæ obuersantur considerationi iam dormientibus. Ex uisis nocturnis alia se ita imprimunt memoriæ, facile ut recordemur experrecti: alia leuiter, sed quorum possimus reminisci: alia tenuiter adeò, ut memoria aboleatur prorsum, uelut in ægris et ebrijs. Accidere etiam potest tanta uaporum atq; spirituum incrassatio & perturbatio, ut nihil somnietur. uinciuntur enim instrumẽta officinæ animalis, sicut in magna alluuione ebrietatis, & in infante, uel recentissimè edito, uel (si hoc quibusdam non probatur) certe in utero. Gentes quasdam tradunt orbis descriptores, nocturna uisa nõ habere. Homines noui, qui se affirmarẽt nunquam somniasse, nec crederent somniare alios, sed animi gratia id confingere ac referre, ut fabellam ad oblectationẽ narrantis & audientis: quod euenit, quia quæ per quietem offerũtur animo, non adeo infigũtur memoriæ, recordari ut possint expergefacti. eius uero duæ sunt

causæ

causæ, uel duricies ſpirituum, quæ non recipit: uel fluor qui non retinet, ut ſignũ nec in ſaxo imprimitur, nec in aqua. De prænotione ſomniorum magna eſt & uetus quæſtio, quæ etiãnum meticuloſos animos, & de futuris anxios multum torquet, an ſit in ſomnijs ad res euenturas ueritas aliqua, an ex conie ctatione illorum quæ quiete cõpoſiti uidimus, quæ euentura ſint poſſimus prænoſcere. Multa ſunt iam olim utranq; in partem diſputata, de re nec difficili admodum, nec obſcura. Id de quo dubitatur, nõ ſimplicem habet ſenſum. nam intelligi poteſt, uel ut ſomnia ſint ſigna, uel ut ſint cauſæ præſentium rerum, præteritarum, uẽturarum, quemadmodum de aſtris quæritur. Somnia cauſas non eſſe, indubitatum eſt: ſigna uero ſunt uaporum humorumq;, ut dixi, tanquam effecta, ſuarum cauſarum, nec ullius rei alterius utiq; naturaliter. Omnia enim in natura metas ſuas habent defixas, ad quas tendunt, ſiue recta inſtant, ſiue oblique. Non ſunt autem animantibus tributa à natura ſomnia, ut per illa retegantur nobis, quæ occulta ſunt & abſtruſa: ſed ſomniamus, quia uis animi aptum organum nacta, etiã corpore quieſcente neſcit quieſcere. At exeunt tamen inſomnia nonnunquam uera. fortuito id quidem certe, & per adiacens, non per naturalem eorum qualitatẽ: quem

Somniorũ prænotio.

admodum affectu territi uel illicefacti ſomniamus de periculis, quæ urgent: aut de bonis, quæ aduentant. tum ubi uehemens eſt animi intentio, inq; aliquod unum, quod facere deſtinauimus, incumbens, id uerſatur in cogitatione dormientis. Poſtremo, ſicut Ariſtoteles recte dicit, quum quotidie tam multa, tam uarie ſomniemus, mirandum non eſt, incidere nos aliquãdo in id quod futurum eſt, aut fuit, ſed nobis incognitum. ut qui crebro iaculatur, collimet aliquando neceſſe eſt, etiam ſi artis illius inſcientiſſimus. Immittuntur quandoq; à mente ſuperiore ſomnia, eadem arte & ui, qua mouetur ab eis phãtaſia. Quæ ſomnia cœlitus ueniũt, hoc eſt à ſanctis mentibus, pertinent ad nos de magno aliquo bono commonefaciendos, ſeu publico, ſeu priuato: cuiuſmodi leguntur in Sacris literis ſomnia Pharaonis, Nabucrodoſoris, Ioſephi. Nec male apud Homerum Neſtor iubet animaduerti diligenter, & expendi ſomnium Agamemnonis, qui imperator eſſet exercitus Græcorum: aliorum uero non eſſe tam curãda ſomnia. A dæmone ingeruntur uiſa, fallendi gratia, de rebus aut flagitioſis, aut uanis & ſuperfluis: ut nullum ſit ſignum euidentius, eſſe à noxia mente, quæ nobis per eiuſmodi illecebras ludificatur. Ex fine cenſeri poteſt ſomnium, unde ſit: tametſi natura-

le eſt

le est plerunque, quod nos affectui aut temerariæ persuasioni indulgentes, uel cœleste, uel hostile esse suspicamur.

HABITVS.

EX *facultatibus nascuntur actiones. quo fit, ut ad omnia quæ agit anima, facultates acceperit naturæ dono. Sed sunt tamen actus quidam, qui statim sequũtur naturam potentiæ, quum ea iam opportunitate sua quasi maturuit, factaq; est sui compos. suntq; actus illi, non minus quàm facultates ipsæ, naturales: ut audire ac uidere, quum ij sensus absoluti sunt à natura, ut in puero postquàm est natus, & in catulo canis post nonum diem ab ortu. His actionibus nihil est opus meditatione aut exercitatione aliqua, ut recte exeant: sed uigore maturo iam, & bene affecto. ipsa enim natura magistra est magna, et efficax. Sunt autem actus alij, qui usu indigent, & exercitamentis, quo prompte & recte edantur: ex quo usu nascitur assuefactio, in qua insunt & facilitas ad agẽdum, & pronitas. uocaturq; Græco uerbo ἕξις, à nostris ad uerbum transferentibus, habitus seu habitio: quæ est pronitas ad similes edẽdos actus ijs, ex quibus est genita. Nec ad actiones solas pertinet hæc assuefactio, sed ad passiones quoq;, quæ etiã quodãmodo actiones sunt in*

facultatibus animalis, ut quæ patiendo uim ſuã exercent: quocirca actionẽ pro utroq; uſurpabimus. Fit porrò interdum, ut genus actionis naturale ſit: ſpecies uero uel adiectum, aut circumſtantia ſit exercitationis. uelut ſenſus quidem naturæ ſponte accepimus, uidere, audire, guſtare, olfacere, tangere: at poſſe facile perferre ſpecies abſurdas, fœdas, formidoloſas, ſonitus abſonos, horribiles, ſapores acidos, amaros, & alia huiuſmodi, in conſuetudinis partes cedit. Ex hac conſuefactione, pronitas & facilitas eſt in opifice, aptatio autem in inſtrumento. quemadmodũ exercitatione fit faber aut pictor promptior ac peritior, organum autem habilius, uelut manus: interdum quoq; externum inſtrumẽtum, niſi quum ex reſiſtentia materia deteritur, ut penicillus, aſcia, ſerra, dolabra. ſic habitus in animo, & illum doctiorem reddit, & ſpiritus aptiores ad exercitamẽta eadem: qui tamen immodico quandoq; uſu deterũtur, ac proinde depraũatur. Trahit ad ſe cõſuetudo hæc animum, in quo inhæſit, quæ pronitas nuncupatur: ita ut quum eſt habitio longo uſu confirmata, uires propemodum obtineat naturæ. eò enim ferimur non ultro ſolum, ſed libẽter, & familiaria fiunt nobis iucũda. nec ſolum in his quæ agimus, ſed in illis etiam quæ patimur, quæq; ſunt ingenio noſtro inimica,

conſuetudo

consuetudo minuit molestiæ ac laboris sensum: ut morbus & dolor leuiores sunt à familiaritate. Idcirco sapienter, qui præcepit deligẽdam esse optimam uitæ rationẽ, eam consuefactione futuram suauem. & Plato nõ parum ait referre, quẽadmodum quisq; iam inde à puero sit formatus atq; assuefactus. Radicatio hæc habitus data est animo nostro, ut alia omnia, ad bonum ipsius. Nam quod bene & ut conuenit agere, usu & exercitatione esset parandum, nisi cõtinuatio & tempus confirmaret facultatem, quo liberius deinceps atq; expeditius posset, aptius sciret, libentius uellet eundem in modum operari, frustra esset labor omnis susceptus, & animus noster ad præclaras suas actiones semper ueniret rudis, nec quicquã excellenter ageret, quod nihil esset illi tempore profectum. hæc quidem in his quæ nos agimus uoluntario: at in ijs quæ inuiti patimur, quam misera esset uitæ cõditio, si inter tot aspera & acerba positi, nihil adferret leuamenti assuefactio. Habitus ut creuit, confirmatusq; est tempore, ita tempore quoq; minuitur, desuetudine, uel aliqua ingenti uiolentia perrumpente: uel intrinsecus, ut ueneno, aut morbo: uel extrinsecus, ut plaga, aut uulnere. quemadmodum ferunt quosdam literarum cognitionem ex ægrotatione amisisse, alios ex ictu saxi uel

Habitus causa.

baculi: quæ uidentur mihi instrumenti habitum afficere magis, quàm artificis. Nam hi quibus talia accidunt, conualescũt postea, & ad pristinam peritiam reuertuntur. quod non fieret, si impressa sibi ab assuetudine uestigia artifex ipse amisisset.

DE SENECTVTE.

ANimæ corpus subituræ aptat materiam Natura in formam membrorum, iam uero ingressæ paulatim accommodat interna instrumenta, quousq; ad perfectionem eam perducat utiq;, quam materiæ qualitas & cõstitutio posßit recipere, ac sustinere. Hæc autem instrumẽta ad summum sui iam perducta, deteruntur usu ipso, & relabuntur paulatim in torpedinem prioris molis: postremo corrumpuntur penitus, ac intereunt. Aptatio membrorum fit in utero, accommodatio uero spirituum ac humorum in infantia. Iuuentus est uelut uigor quidam, & usus perfectionis organorũ: senectus est detrimentum: corruptio uero atq; inhabilitas instrumentorũ, mors. hæc quidem, sed naturali cursu, sine uiolentia. Nec male, qui hominis ætatem & diei & anno

Pueritia. assimilarunt, ut pueritia sit tempus matutinum & uer, iuuentus meridies & æstas, senectus serum & autumnus, mors autem hyems & nox. Calor præcipuum est uitæ siue adminiculum, siue instrumẽtum.

is in

is in infantia ſenſim accipit uires ac robur, conſumenda humoris redundantia, quam infans ab utero eduxit: cuius indicium eſt ſomnus ferè perpetuus. Redacto autem humore ad eum ſtatum, qui alendo fouendoq; ſit calori ſatis, non obruendo, ardet ac uiget calor: quæ eſt animantis iuuenta. ideoq; calidiores animantes, ſi alimentum calori congruens ſuppetat, longius iuuentam extendunt. Langueſcit autem calor, quum exiccatur ſuccus, non quiuis, ſed ipſi conueniens. nam in ſenibus tametſi in extimis partibus redundant humoris excremẽta, unde ſunt excreationes, lemæ, lippitudo, mucci, diſtillationes: intima tamen aridiora ſunt, nerui ac medullæ. & quæ pituita extrorſum promanat in ſenibus, ex debilitato calore accidit. is enim fatiſcens & defeſſus, humores illos non ualet concoquere. Quocirca in contemperatione calidi & humidi ſita eſt iuuentus: ſenectus autem, ubi alterutrũ deficit. cito enim ſeneſcunt exucci, tum & uuidi, ac frigidi. Senectutis comites ſunt, caluitiũ, canicies, rugæ. Caluitium ex ſiccitate prouenit quum humore cõſumpto eradicantur capilli, haud aliter quàm ſtirpes ex arena. eaq; de cauſa criſpi celerrimè calueſcunt. & in parte anteriore capitis fit caluities, quoniam ea minus eſt ſolida atq; ſpiſſa, quàm poſterior: ſicut Aphrodiſæus

Iuuenta.

Senectus.

Caluities.

diſæus inqt in Problematis, ſeu ſi quis eſt alius eius operis autor. Caniciei autẽ pituita eſt cauſa, ideoq; in temporibus primum capilli incipiunt albeſcere: hinc in brechmate ac ceruice, quod eæ partes humectiores ſint, quàm occipitium. pueri autem tametſi uuidiores quàm iuuenes, non canescunt tamẽ, quod ex frigido liquore gignantur cani: non ex eo, qui ſit caloris ardore feruefactus. Rugæ autẽ certius ſunt ſenectæ argumentum, quàm uel cani, uel caluities. cõtrahitur enim cutis, humore illo ſalutari areſcente: quod potißimum in ijs contingit, quorum conſtitutio multum bilis collegit, ſeu uitellinæ, ſeu nigræ: ſed potius nigræ. nam & uitellina in hanc tandem, procedente tempore, concedit. quippe deuergens ætas ad eam qualitatem ſolet inclinare: quemadmodum autũnus anni, & ſerum diei. Nec ſolum qui ita ſunt naturaliter compoſiti, celeriter ſeneſcunt (eſt enim contemperatio maxime iuuentuti contraria) ſed qui uel morbo, uel animi motu, uel loco, aut exercitamentis, in atræ bilis tyrannidem incidunt, breuiter conſeneſcunt, & corrugãtur: ceu qui laborant febri quartana, qui anguntur metu, odio, inuidia, & potißimum ægritudine: qui habitant loca obſcura, dediti continuis acribuſq; ſtudijs, & uehementi ſpeculationi.

Rugæ.

De Vitæ

DE VITAE LONGITVDINE.

VIta est conseruatio eorum instrumentorum, quibus anima utitur in corpore. Præcipuum autem illorum est calor, & propter calorem humidum calori congruens, pastus & conseruatio illius. quæ igitur uiuẽtia duas has qualitates diutißime possunt conseruare, uiuacißima sunt. Prima diuturnitatis ratio & causa posita est in cuiusq; constitutione, ut ea calida sit atq; humida in neruis, medullis, liquoribus, spiritibus. Secunda est, ut eiusmodi contemperatio diutißime perseueret. multũ ad eam rem faciunt alimenta, locus, exercitationum actionumq; modus, & ratio. Nam qui calidis admodum rebus uescuntur, succum illum salutarem corpori exarefaciunt, & euaporat calor, ut extenuatum cor uires omnes amittat, atque adeò breui quoq; uitam ipsam: nisi forte tam sint pituitæ abundantes, ut ea illis victus institutio conducat. Qui item feruidas regiones incolunt, haud facile librationem illam calidi ac humidi retinẽt. exhalant uidelicet plurimi spiritus, & exugitur corpus, unde senectus acceleratur & mors. Qui item in uuidis locis & palustribus habitant, multis uarijsq; infestantur morbis, ex redundantia pituitæ. Morbi autem uia sunt ad mortẽ expedita, utique quum infestant uitalia. nam alij sunt, Morbi.

qui

qui uitam non contrahunt. Ergo in locis ſubfrigidis & arentibus puriora ſunt, ac proinde uegetiora corpora, atq; æuum productius. quippe calor frigiduſculo conſeruatur cœlo per antiperiſtaſin, ſicut in hyeme magis quàm æſtate: & ſiccitas cœli ac ſoli putres humores diſcutit. huiuſmodi eſt habitatio in collibus, locis editis & patentibus, qui auris ſubfrigidis aſſiduò perflantur. aer item apertus ac liber purgat corpora, nec ſinit contabeſcere, & ſub dio alacriores fiunt animantium ſpiritus. Exercitatio quoque temperata accerſit & auget uires, quoniam calorem excitat, & neruos corroborat. ideoq; quæ exercent ſe, longius ducunt ætatem, quàm ocioſa. Sed labor tamen immodicus uires debilitat, & frangit corpus. Mares in omni genere, quia plus caloris ſortiti, uiuaciores ſunt natura, quàm ſuæ fœminæ: ſed Veneris uſus nimius æuum illorum decurtat, ut fœminæ ſint illis ſuperſtites. Recte Hippocrates: Cibus, potus, ſomnus, Venus, exercitatio, omnia mediocria. Minuta animalia, quæq; minus habent caloris, ætate ſunt breuiora q̃ magna, uelut apes quàm canes, aut oues. & ex ijs ut quæque ſunt plus ſolidi caloris nactæ, ætatẽ longius proferũt: ut apes quàm ueſpæ, hæ quàm muſcæ, muſcæ quàm culices. Accedit his, quòd exigua animalcula iniuriam temporum non

rum non ſuſtinent, feruoris, rigoris, humorum, aridítatum. quemadmodũ nec herbæ, propter exiguum calorem, & raritatẽ materiæ. Arbores autem, quæ denſiore ſunt mole, multas æſtates & multas hyemes perferunt: & ex arboribus maxime omniũ palma, quia calidiſſima eſt inter arbores. Quod autem cõſtipatior eſt arborum materies quàm animalium, minorq; inter qualitates earum pugna, diuturniores ſunt illæ quàm animantes. Non ergo quæ corpora ſalubriora ſunt, ea longius æuũ propagant: nec quæ morbis affecta, citius intereunt: ſed ex caloris humoriſq; huic congruentis examine & conſeruatione uſu id euenit, tum generatim, tum ſigillatim.

DE MORTE.

COrruptis inſtrumentis, aut deficiẽtibus, ceſſat uita, ſequitur mors. quẽadmodũ detritis aut amiſſis malleo, incude, forcipe, & alijs armamẽtis, ceſſat fabrica, & indicitur ocium fabro. Itaque mors eſt defectus inſtrumentorũ animæ, per quæ uita prorogatur, & diſcedit anima, non ex inconuenientia quapiam corporis cum ea: ſicut nec animam & corpus proportio aliqua & conuenientia copulat. neq; enim eſt proportio inter me & pennã, qua hæc exaro. niſi quis forte congruentiam uelit eſſe inter opificem, quà eſt opifex, & inſtrumẽtum habile: de

bile: de quo equidem nihil pugnauero. Vita omnis sita est in calido, quemadmodum sæpe dixi: & propter calidum in humido quoq;. Mors est naturalis, quum humore, hoc est caloris pastu arescente flaccescit calor, & ad postremum extinguitur, ut lucerna oleo absumpto. Est autem mors uiolenta, quam gentiles præter fatum dicebant esse, quum casu aliquo uel humor detrahitur, uel calor extinguitur oppressione quapiam, siue interna, ut in ueneno, ingluuie, & alluuione immodica potus, quemadmodum quum nimium olei in lucernam infunditur: siue externa, ut spiritus cor refrigerantis in arteria uel ore compressio, quale est quum ignis lapidibus, aut multo cinere de repente obruitur, ac opprimitur. Omnium qualitatum commixtio, quasiq; cõtemperatio necessaria est uitæ animãtis, aliarum per se, aliarum autem propter alias. una quælibet earum qualitatum si desit, non potest uita produci. sed omnium potissima est calida & humida, quæ sita est in sanguine, cuius exhaustione animans quàm citissime extinguitur. De membris autẽ sunt quædam principalia, sine quibus animal non possit conseruari. omnium præcipuum est cor: hoc primum uicit, ultimum omnium emoritur. sicut uicissim oculi incipiunt postremi uiuere, & primi moriuntur. tum quæ sunt cordi proxima

Mors naturalis.

Mors uiolenta.

xima, iecur, pulmones, præcordia: ea deniq; omnia, quæ hic de causa, uitalia nominantur: cerebrum quoq;, & caput. Sunt alia membra uiliora, quasiq; infimi ordinis, quibus amputatis remanet nihilominus uita: ut manus, brachia, pedes, crura, oculi, nasus, auriculæ, nates. Animalia uero insecta, discissa uiuunt nihilominus, ut uermes, uespæ, apes: quod illis est cõmune cum stirpibus. Verum inter bruti & hominis mortem hoc interest, quod bruti anima, quemadmodum & sensuum nostrorum uigor, perit omnino in morte: nostra autem anima superstes est suo cadaueri. Itaq; mortem hominis ita licebit definire. est animæ à corpore disiunctio, seu discessus: de quo aggrediamur iam dicere. Mors hominis quid.

DE ANIMAE HVMANAE IMMORTALITATE.

ANimæ nostræ an extinctæ suis corporibus sint superstites, nec ulla ui fati perimantur, quæsitum est à ueteribus sapientiæ sectatoribus. Que disputatio molestior est facta atque intricatior, ex hominum partim ignorãtia, partim malicia & prauitate: qui omnia corporis sensibus metiẽtes, induxerũt animum nihil credere, nisi quod sub illos caderet. alij delicijs immersi ac uoluptatibus. omnia cuperent cum illis pariter concidere, hoc est cum

corpore: nec esse ullum iudicem, qui uitæ huius rationem à nobis reposceret. Sed nos quando locus hic in uniuersa & uita & pietate, imò in hominum beatitudine, aut extrema miseria, tanti est momenti, fusius paulo eum prosequemur: neq; est attingendum leuiter, quod periculosum est non perfici. Si solis sensibus habetur fides, & intra illorum limites concluduntur omnia, ut quibusdam uidetur, nimis crasse de rebus statuentibus, nec animas tribuemus mutis animantibus, quippe quas nec cernimus, nec sensu ullo percipimus: neque effectiones siue formas esse in rebus naturæ censebimus, nihil denique præter molem hanc, quam aspicimus, & attrectamus: quod est disciplinæ omni contrarium, tum ab omni iudicio humanæ mentis uehementer alienum ac abhorrens. Parui pueri si uideant armatum patrem, postea ea ipsa arma constituta recta in stipite, existimant esse eundem ipsum patrem, adeunt, colloquuntur, & non moueri ac respondere admirantur, terrentur, indignantur, denique etiam in fletum prorumpunt. pueri idem, & homines fatui, pictas imagines in tabula uel tapete uiuos esse homines iudicant, & ad loquendum prouocant, & ad epulas inuitant, & de cibis offerunt, ut edant. idem iudicium est bestijs, ut ficta & simulata pro

ueris

ueris accipiant: nec ij qui ſenſibus tantum ducuntur, ab infantibus & morionibus diſtant, ne dicam à beluis, qui corpus hoc torpens ac brutum hominem eſſe aiunt: & quum cadauer proiectum aſpiciunt, nihil fuiſſe aliud hominem ſuſpicantur, tametſi oculi & ſenſus iſti ipſi corporei, quomodo aliquid in clauſo loco deprehendunt latêre, niſi ex ijs quæ foras prodire conſpiciunt, ut ignem ex fumo, animans ex uoce, morticinum ex fœtore. Quis uero non annotat, quantum ſit inter hominem & brutum interualli? ut inferiora alia prætéream. homo tot artes manu exercet, tam uaria profert, tot opera admiranda magno ingenio inuenta & exculpta, uagatur mente per naturam uniuerſam habet rationem & ſermonem, in quîs omnibus diuini ingenij uis quædam atq; imago elucet. Quod ſi hominem propter ſimilitudinem corporis parem in naſcendo & moriendo facimus beluis, neceſſe eſt ut propter mentis tantam tamq; euidentem differentiam faciamus præſtantiorem. Et ſi renunciatur tanto bono immortalitatis, renunciandum eſt quoque ingenio, rationi, menti, per quam ſumus immortales. & ſi ea uidemus ſigna in homine, quæ teſtantur illum cœleſtis ac diuinæ eſſe originis: conſequens profecto eſt, ut aliquid in eo inſit maius ac præſta-

bilius, quàm quod ſpectari poßit oculis, aut manibus tractari. Nullus, inquiunt, redit ad nos ex altera illa uita, qui nos certiores reddat, qui ſit illic ſtatus rerum, quid agatur. Hoc quidem dicit uulgus, aliquid ſe acutum inueniſſe ac protuliſſe exiſtimans: ſed hoc eſt, qualia eius ferè omnia. Tranſeo quòd multæ animæ fato iam defunctæ, in ſua ſunt reuerſæ corpora: aliæ uiuentibus ſunt loquutæ, & aliquid eis ſignificarunt. quæ ſunt noſtræ pietatis, hoc eſt ſupra naturam. Cæterũ ſi nullus in Indiam commearet, nullus ab Indis ad nos, nec India eſſet protinus, neq; Indi? tot annorum millibus uſque ad hanc ætatem nemo ad nouũ iſtum orbem nauigauit, nec ullus ad nos eorum, neq; ultro & citro alteri de alteris audiuimus, aut cognouimus: quid mirũ, ſi nec inter animos corpore ſolutos & nos corporeos nullum ſit conſuetudinis commercium? Magna quidem & uaria & difficilis inter nos & nouos iſtos homines uia, ſed confici tamen poteſt, & eſt confecta. inter nos uero, & cœlos aut inferos, naturæ legibus impoßibilis. inter corporea & incorporea nulla eſſe poteſt conuerſatio: neq; nos illorum conditioni apti ſumus, quàm diu corpore hoc claudimur corruptibili. Adde, quod mortuorum animi maioribus uel bonis perfruuntur, uel premuntur malis,

quàm

quàm ut de rebus terrenis, hoc est de nugis uacet cogitare, uel libeat. Quid, quod nos alij nolunt reuisere, alij non possunt. Si quis in sua ciuitate factus esset magistratus, nollet utique ad exilij sui insulam reuerti. itaque hic non expetit: qui uero in carcere aut ergastulo detinetur uinctus, non potest. Sed sanè quocunque nos conuertamus, sursum deorsum, circumcirca, omnia docent, testantur, clamant, immortalem esse animam humanam: natura, & necessitas causarum, proportio & similitudo, uita & congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas nostra ex illius beneficẽtia. Principio rerum omnium ueræ germanæq; essentiæ ipsæ per se non cognoscũtur à nobis, abditæ latent in penitissimis cuiusq; rei, quò mens nostra in huius corporis mole & tenebris uitæ non penetrat. Ex inhærẽtibus, & actione potissimum, quid & quale quicque sit, ratio nostra colligit. Nam sicuti est ab Aristotele animaduersum acute, res omnis sic habet se ad esse, quẽadmodum ad operari: eius uidelicet opera & actus, qualitatem quantitatemq; & ingenium essentiæ declarant. Primum omnium actiones ipsas animæ perpendamus, de quibus actionibus prima est, cognoscere. id uero est quodammodo capere, comprehendere, concipere, hisq; nominibus consignatur. nulla est porrò cognoscendi Cognoscere

gnoſcendi facultas,& uis,quæ id cognoſcat,quod proportionem non habeat cum natura ſua aliquam. Cognitio enim uelut imago eſt quædam rerũ,in animo expreſſa tanquam in ſpeculo.Non poteſt autem reddi ab ſpeculo corporali, quod ſit ſpiritale,aut quæ aliorum ſunt ſenſuum quàm uiſus : neq; id exprimetur,quod proportione eſt ipſo ſpeculo maius, ut mons totus proxime admotus,niſi procul recedat,ut ex interuallo naſcatur proportio : neque id, quod non eſt ei obiectũ è regione.Senſus noſtri externi,nempe extenſi & præditi quantitate,non capiunt quæ ſunt quãtitatis immunia,nec quæ molem habent ampliorem,quàm pro eorũ ambitu,neq; abſentia.Senſus interni non capiunt ſpiritalia,nempe angelos & Deum. Mens ergo quæ hæc capit,cognoſcit,comprehendit ſola ex rebus ſublunaribus, ſpiritus eſt,ut illa ipſa:& quæ intelligit illorum immortalitatem,immortalis quoq;.alioqui nullo caperet modo id,à quo infinita amplitudine excederetur.Apertius hoc oſtendit,quòd ex uniuerſa æterni tate illam,quæ immẽſa duratione nos præceſſit,non poſſumus cogitatione comprehendere,& obruitur magnitudine mens noſtra:hãc uero quæ interminatis pòſt ſeculis ſequetur,facile capimus,& intelligimus.ut liquido appareat,illam uaſtiorem eſſe noſtra

anima

anima, nec ullam habere cum ea siue proportionem, siue analogiam, hanc uero alterã habere: illi nõ esse aptam, huic esse. Ex eodem cognitionis fonte facile colligitur, plantarum & brutorum animas ex ui & potentia materiæ aptas instructas q; produci, mentẽ nostram peculiariter à Deo gigni in corpusculo, supra uires materiæ ac naturæ huius. Nihil enim assurgit aut transgreditur id, à quo accipit essentiam & uires. alioqui nõ iam ab illo acciperet, sed à prio re aut ulteriore aliquo in quod tenderet. Sensus nostri interni atq; externi, tum beluæ, quæ illis sunt solis præditæ, nihil cognoscunt aliud, quàm quæ sunt naturæ huius, quam cernimus: non ascendunt superius. Mens nostra non contenta cœlis, sideribus, angelis, usq; ad Deum ipsum peruenit, nec ulterius potest progredi. quid hoc arguit aliud, quàm animas mutorũ à natura hac progigni, supra quam sese non attollunt: nostrã uero à Deo supra naturæ huius potestatẽ? Itaq; animæ nostræ contingit, quod de aqua fontana dicitur, ut tam alte assurgat, quàm descenderat, nec possit altius. nec aliter quàm mens nostra non modo intra Dei cognitionem sistit, uerũ etiam multo inferius: sic sensus, multum infra naturæ huius opera subsistunt, neq; intima illius penetrant, sed in extima semper facie uersantur. Moses in mundi

originibus, non obſcuris uerbis uidetur hoc ſignificaſſe. nam quum alia omnia ſolo Dei dicto narret eſſe cõdita: ubi ad hominem uenit, non naturæ eam tribuit potentiam, ut hominem procrearet, ſed Deo
» ſoli. dicit enim: Faciamus hominem ad imaginem &
» ſimilitudinem noſtram. & paulo pòſt: Inſpirauit
» Deus in faciem Adæ ſpiraculum uitæ. per utranq; ſententiam & originem à Deo propriam, & animorum immortalitatem denotauit. Cæterum ne quis in hoc fallatur, tametſi ſupra uires naturæ huius ſiue elementaris, ſiue cœleſtis, ſiue angelicæ ſit, animam hominis à Deo creari, naturaliter tamen creatur à Deo, hoc eſt lege ab illo ordinata, atq; ſtatuta, non ſecus quàm alia omnia. non enim quoties homo cõditur, nouum edit Deus miraculum, hoc eſt præſcriptæ legi uel contrarium uel diuerſum. niſi quis fortè naturæ huius miraculum uocet, in quo nõ diſſentio: ut non immerito Mercurius Triſmegiſtus, ſiue quis eſt alius, magnũ miraculum eſſe hominem dixerit. Deus in materiã præparatã iam atq; aptam immittit animã, ſupra materiæ ipſius & opificis naturæ uires, ſed lege ab ipſa ſtatuta. Quocirca & genitis in adulterio ac fœdo inceſtu animas tribuit, quoniam hi quanquam contra bonum & pium, non tamen contra legem illam à Deo poſitam gignũntur:

quod

quod fieret, si cinædis id quoq; concederetur, aut eiusmodi. Et animam nostram non à Naturæ facultate, sed Dei unius procreari beneficio nõ solum est uerum, sed interest humani generis uerum esse: & quia interest, uerum est indubie. Inducta enim anima in corpus non Naturæ ope, sed proprie ac peculiariter à Deo, debet homo præcipuam & potissimam partem sui non Naturæ, sed Deo, illumq; tanquam unicum mentis suæ parentem agnoscit, quam soli ipsi deuoueat, & consecret: neque in eam iuris quippiam alteri ulli impartiatur, quàm Deo, summo & præpotenti patri spirituũ unico. Multum in corpus hoc & sensus omnes uendicant sibi potestatis & iuris, parẽtes corporum, tum liberi, natura ipsa, patria, necessarij, mens uero solius est Dei, eamq; sibi uni reseruari iubet ad felicitatem nostram: quoniã illius ipse unus est autor, & progenitor. Quod si anima non à Natura hac Dei administra & opifice profertur, sed à solo Deo, consequens profecto est, ut nihil in natura sit, quod eam possit extingere: solus id potest Deus. non est autem credibile, Deum ipsum per se condere, quod mox sit perempturus. quid enim attinebat id fieri? quin potius humanæ animæ, & progignendæ & corrumpendæ, sicut aliarum animantium potentiam Naturæ concedebat?

debat? cur ſibi uni reſeruabat, quod communi legi ac conditioni erat ſubditurus? Hæc de cognitione: iam de appetitu. Cognitio omnis, ut aliàs eſt ſæpe & à nobis, & ab alijs ferè demonſtratum, propter appetendum aut fugiendum eſt animanti indita. Eſſe nunc ſenſus noſtri capiunt, quemadmodum & muta. nam quale ſit beluarum ingenium, & quemadmodum ſint affecta, ex noſtris tum externis ſenſibus, tum internis, certißimam coniectationem licet ſumere: uidelicet quos habemus cum illis communes, ac prorſum ſimiles. Itaq; feruntur pecudes ſolum ad nunc: appetitus enim conſeruationis eſt in illis non ex cognitione rerum, ſed ex artificio naturæ. Ideo facultas progignẽdi non eſt principalis officij, nempe cognoſcentis, ſed uegetantis, hoc eſt infimi. Homo autem eſſe interminabile cognoſcit: quod quia uidet conducibile ſibi eſſe ac bonum, expetit quoq;. Itaq; naturalis eſt hic appetitus: ſi naturalis, ergo dere nobis congruente atque apta, nec fruſtra ingenitus. expleri igitur poteſt, & ut expleatur aliquando neceſſe eſt: alioqui non ſolum inanis eſt tanti boni oſtenſio, ſed crudelis. Expetitionis huius eſſentiæ perpetuæ, quæ nũquam intermoriatur, indicium eſt auiditas prorogandi nominis in omnia ſæcula pòſt uentura, quod adeò eſt à natura inſitum humanis pectoribus

ctoribus, ut etiam qui extingui omnia arbitrantur cum uita, famam nihilominus affectent, & bene audire uelint iam sepulti. uelut signifer impietatis Epicurus, natalem suum diem celebrari testamento cauit, & epulum sectatoribus suis dari luna uicesima. Naturalis enim illa ueræ immortalitatis cupido infecta & corrupta tenebris mentis, prauis animorum cupidinibus, in hãc alteram degenerauit cupidinem famæ, haud aliter quàm quum bonum semen in solum uicioſum incidit. Affectus item ipsi, qualis sit & mentis nostræ & sensuum natura, declarant: quodq; sit inter illos discrimen, & sensus dico tam internos quàm externos. Si enim incipiat animus de morte sua cogitare, sensus interni & phantasia modo longam uitam hanc fore imaginentur, de altero illo interitu non admodum permouentur, imò facile eiusmodi cogitationem sine sensu aliquo deglutiunt. mens uero ipsa ijs tenebris inuoluitur, tantopere confunditur, ut nihil magis expauescat, & refugiat. uel ipsi illi qui in maximis uersantur malis, et impetu quodam animi cæco mortem appetunt, cupere tẽtq; sese aboleri penitus, si paulisper à desperatione in se uacaret redire, ac conquiescere, deq; animi extinctione cogitarent, damnarent prorsum sententiam priorem, interitumq; illum horrerent, maiusq;

id esse

id esse malum ducerent, quàm illa omnia quibus uexantur atq; affliguntur. Contrà uero quum de morte hac corporis euenit in mentem, sensus omnes ilico percelluntur: mens uero si sana sit & quieta, stat immobilis, & errorẽ trepidationemq; illam sensuum ridet & castigat. Idcirco apud Platonem in apologia acutissimus philosophorum Socrates ad iudices & populum Athenienssem uerba faciens de morte sua, quòd multitudo sensibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantum usus: Si non moritur animus, maiora me expectant bona: sin moritur, nihil sentiat mali. In carcere uero inter discipulos rerum cognitione excultos, & sapientiæ studiosos, nihil posuit in dubio, sed constanter, multisq; argumentis conatus est euincere ac persuadere, animos nostros corporibus suis superstites perseuerare. Quid ex his efficitur? an non manifestò, mortem mentis cõtra ipsius naturam esse? idcirco illam eius mentionem reformidare, ac exhorrere: sensus uero de hac tantum uita esse solicitos. mortem hanc corporum ad mentem nihil pertinere: corporis esse, & eorum quæ sunt corpori annexa, sensuum uidelicet internorũ ac externorum. Quid quòd mens in prauo habitu corporis, uelut si affectu sit perturbata, phantasmatis confusa, imperita

rita, flagitiosa, scelesta, impia, magis ad recordationem corporeæ mortis cõcutitur, quàm quum sobria est, sana, serena, quieta, docta, innocens, pia? Quæ ramus iam utrius iudicium certius sit, ac uerius, perturbatæ an quietæ, ægræ an sanæ, indoctæ an eruditæ: in recto corporis statu, an praue affecto: scelerataæ ac impiæ, an piæ & sanctæ. Ex delectationibus quoq; essentia deprehenditur humanæ mentis. delectationes enim eo sunt maiores, suauiores, diuturniores, magisq; stabiles, quo res eæ quæ uoluptatem adferunt similiores sunt facultati animi, quæ oblectatur, maioremq; cum illa & uicinitatem & proportionem habent. Quum de genere est aliquo uel forma iudicandum, ab ijs sumitur specimen ad pronunciandum, quæ sunt in illo genere optime affecta & constituta, id est maxime secundum generis eius ueram atq; incorruptam naturam. Non ignoro multos esse homines brutali ingenio, qui uoluptatibus sensuum capiantur unice: sed nos præstantissimas ac generosissimas mentes contemplemur. Illæ uero plus delectantur internis sensibus quàm externis, plus mente quàm phantasia: & ex mente, potissimum contemplando: & ex rebus, quas contemplantur, illæ eas iucundissime capiunt, & diutissime tenent, quæ sunt supremæ, quæ corporeæ molis expertes

pertes, quæ æternæ. has enim animus auidius expetit, ac retinet, minusq; illis perſcrutãdis atq; intuendis defatigatur. Hæ igitur res ſpiritales & ſempiternæ, conformiores ſunt menti, quàm corporales: illarum naturæ ac ingenij magis eſt conſors & particeps, quàm iſtarum. in illis enim mirificè acquieſcit, tanquam ſuis ſimilitudine, ac proportione: quemadmodum interiores & exteriores ſenſus rebus corporatis capiuntur, nec alias uel coniectando aſſequi poſſunt. Quod ſi mens tam eſſet quàm ſenſus mortalis, non minus mentes excellẽtißimæ & diuinis proximæ, caducis rebus tenerentur ad uerã & ſolidam uoluptatem, quàm ſenſus ipſi. Iam ipſa corporum noſtrorum conſtitutio, & facies in cœlum erecta, cœleſtes nos eſſe teſtificatur, intentos ſemper illuc tanquam in patriã, ad quam proficiſcimur. Et corpus ipſum, quemadmodum ſe habeat animus, oſtendit. erectus eſt enim hic, & ſublimis magis multo quàm corpus, aſcẽdens per gradus rerum inferiorum, nec conquieſcens, donec ad cœleſtia & diuina peruenerit: ibi demũ ſiſtit, & acquieſcit. ut ex motu, & ex quiete manifeſtum fiat, quemadmodum in rebus omnibus naturæ, quis ſit ei locus naturalis. Cæteræ animantes, ut terreſtres, terram ſemper intuentur, in qua eſt bonum ipſarũ. noſtrum uero bonum, ſi non

eſt in illa

est in illa cœlesti æternitate, quorsum pertinet excelsum caput in homine, & oculi in cœlum suspectantes, an ut in tãta uitæ huius calamitate, et asperrimis rebus locum illum speciosissimum, atq; à miseria omni remotum intuentes, magis nos uita discruciet, & exacuatur uanum illius fœlicitatis desiderium: atq; eo uehementius & acrius, quo quisq; ingenio uel eruditione plurimum est præditus atq; excultus, uel uitæ huius incommodis ac miserijs pressus, & diu uexatus. nam fortassis hominum aliqui pecorum more sine sensu hæc prætereunt, siue ex mentis torpedine, siue ex ebrietate fauentis fortunæ. Et de nascẽdi modo in hac mortalitate intelligi potest, qualis sit modus ille renascendi in æternitate. Nam sicut in locis maternis huic luci fingitur ac formatur homo, ita in hac luce paratur illi alteri, præ qua lux hæc nostra tenebræ sunt, & nox obscurissima. Nec aliter quàm quũ tempus nascendi appetit, flaccescit uita uteri, quasiq; infans emoritur, illo utiq; uiuendi genere, ad eundem modum, quum homo è uita orbis huius excessurus est, & tanquam pariendus ad uitam alteram, moritur hac uitæ ratione, ut uiuat altera tanto præstantiore, quanto hæc est lucis huius melior, quàm illa uteri. Itaque paramur in utero uitæ corporis, in corpore autem uitæ mentis.

Comparatio uitæ huius cum ea uita quam in fine degimus uteri matris.

Horret

Horret animus discessum ex hac uita, propter ingentem mutationem: & sic est affectus, quemadmodum infans nasciturus, si ei sensus aliquis daretur noscendi & cogitãdi. Exit enim & infans nascens, & homo moriens, uterq; in lucem nouam, faciemq; rerum admirandam: qua nouitate uterq; perterrefactus, nollet ex suo gurgustiolo prodire, nisi urgeretur artificio naturæ. Non est profecto dubitandum quin hominis mors magnam habeat cum ortu cognationem & similitudinem, propter eam imperfectionem quæ est infanti in utero, & homini in hac uita. Nam si perfectus esset suis omnibus partibus, atq; absolutus infans in locis maternis, nihil ei esset opus ortu: sed quum ei sensus sit tributus, & facultas cognoscendi, quæ exercere non potest in utero, egreditur in hanc spacioſam lucem, ubi sentire possit, & cognoscere. Hactenus quidem communia nobis omnia cum beluis. at uero quia beluæ hic fungũtur muneribus suis omnibus & facultatibus à natura inditis, hic uiuũt ac intereũt: homo cui donata est mens, qua nihil aut parum admodũ utitur in hac uita, profecto ortum alium habet, in qua mentis obeat munia, quod in libris de Veritate fidei Christianæ docuimus. sicuti & de illo quoq; disputauimus, si anima sit mortalis, omnia ad uitam hanc pertinere, frustraq;

straq; hominem esse conditum: quãdoquidem nullo penitus fine proposito, uel nõ eo certe qui excellentia eius sit dignus, atque adeò res omnes in cassum essent à Deo productæ. Quorsum enim creare attinebat? scilicet ut posteaquàm paulisper sese ostendissent, subducerentur? ut bibat homo, edat, dormiat, uoluptuetur, nihilq; absit à bestijs, longe etiam quàm ille miserior? qui quod potißimum ipsi est, atq; optabiliſsimum, nunquam assequitur: quod Aristoteles & Theophrastus fatentur. Quod si homo, cui corporea sunt parata omnia, qui solus uti potest, & uult, & nouit, si ustra est inductus in uitam: quanto magis ea omnia, quæ illius sunt gratia procreata. uana ergo omnis creatio, & Dei maiestate immensaq; sapientia indigna: quod absit. imò nec ulla est recteoris mundi prouidentia. Hæc enim tria ita sunt connexa, & cõiuncta existimatione ac persuasione, di uelli ac dissociari ut nullo modo nec possint, nec fas sit: Dei rellgio, Dei prouidentia, animæ nostræ immortalitas. quisquis unum istorũ tentarit labefactare, aliorũ quoq; fidem concutiet. Nam si animæ non sunt immortales, bene aut secus factorũ nullæ sunt pœnæ, nulla præmia. Hæc enim omnia in decursu præsentis æui permista & confusa cernimus: ut nihil aliud sit hominũ uita, quàm merum latrocinium.

Nulla est ergo Deo cura de nobis. Quòd si nos non curat, quorsum à nobis coletur? uana & stulta persuasio fuerit, religio Dei ac pietas. At nos tamen, homines omnes, & nationes quãtũcunq; barbaras, et ab humanitatis institutione alienas atq; abhorrentes, animaduertimus adduci naturaliter ad religionẽ aliquam, laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mãsuetudinem, patientiam, æquitatem. Fieri ergo nõ potest, quin hæc sint bona, & cõtrarijs potiora: cuius rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac iudex. testantur igitur, nos illi curæ esse, & pietatis præmium alibi expectandum. Quod si illic est uirtutis precium, & hominis finis, anima profecto illic uiuet: & retro idem ualet, si anima illic uiuet, finis hominis illic est. finis enim ad ultimum & perfectißimum pertinet, qui ea de causa finis nominatur. Quod si plurimorũ & sapientißimorũ hominum autoritatibus aliquid tribuimus, præter tacitũ illum humani generis cõsensum, habemus expressum alterũ & manifestum. quandoquidem non solum doctis & ab humanitate instructis nationibus, sed feris ac barbarißimis, ut Getis, Scythis, Indis, & in hũc Nouum orbem tamdiu sepositis, & latentibus, persuasißimum est animas hominũ hinc in alia emigrare loca, digna ijs rebus quæ

in uita

in uita gesserint. Ex professoribus autem sapientiæ ignobilissimi, & qui in delicijs extremum bonorum suorum posuerant, animam fecerunt mortalem: scilicet ijdem illi, qui religionem omnem, qui cultum & amicitiam diuorum, qui prouidentiã, qui diuos ipsos funditus extirpauerunt. Post hæc autem per prauam persuasionem euersa, non erat animorum immortalitas incolumis mansura, quæ coniuncta & complicata est cum causa prouidentiæ ac pietatis. Sapientissimi uero & sanctissimi philosophorũ nunquam sustinuerunt animam mortalem affirmare, & quasi damnare capitis, ut Pherecydes Syrus, antiquissimus in Græcia mentis cultor, Pythagoras, eius discipulus Socrates, Plato, Zenon Stoicus, & innumerabiles qui ab his ueluti fontibus dimanarũt. Socratis unum ex argumentis est in Phædone Platonis, naturale esse hominibus desiderium sciẽdi & sapientiæ, quæ quum in uita hac contingat exigua, uel nulla potius, futurum esse absq; dubio, ut desiderium hoc alibi expleatur. quippe quod naturale est, de nihilo esse, ac superuacaneum non potest. Nam quemadmodum frustra essent oculi astructi animalibus, si nũquam daretur cernere, semper in nocte ac tenebris uitã acturis: ita et cupiditas ueritatis, si nunquã essemus illam assecuturi, superuacanea res esset

ac deridicula. Qui in reputatione ac persuasione certissima cessat Theophrasti querela, quod natura longissimam mutis animantibus uitam concessisset, quarũ nihil interesset diu uiuere: homini uero perbreuem, cui tãtum expediret longam uitam degere, ad assequendam sapientiam maximum hominis bonum. nunc uero quum incipimus sapere, morimur. non hæret in diuinam sapientiam & bonitatem iusta ulla querimonia. Satis longam ætatẽ accepimus, ut hic quantum cõueniat, discamus. in altera erit copia sapientiæ, & satietas. in hoc enim æuo quantulum esset, quod in sapientiæ curriculo promouere-mus, etiã si quadruplicaretur nobis uita, & ad quingentos aut mille annos perueniret? Non perfert sapientiæ fulgorẽ mens nostra, angustijs huiusce corporis & obscuritate oppressa: haud aliter quàm noctuæ oculi lumen solis, quæ est Aristotelis magistri similitudo. Quocirca tantus philosophus non in accusatione naturæ, hoc est Dei sapientissimi & optimi debebat sistere, sed ex ea admoneri sapientiæ huius, cuius tantum & tam acre desideriũ humanis pectoribus natura indidisset, alibi profecto esse locũ, & explendæ auiditatis opportunitatem. De Aristotele, quid senserit, nihil habeo dicere. obscurus est, lubricus, uafer, in hoc etiã, ne à more suo discedat.

Aristus sententia de immortalitate animæ.

Vno in loco dicit, ſi intelligere poteſt mens abſque phãtaſia, ſeparari poteſt ab ea: ſin ſecus, non poteſt. quod ab eo nõ ſatis eſt pro acumine ingenij illius animaduerſum. Anima enim in hoc corpore non poteſt niſi corporaliter omnia intelligere, hoc eſt per corporea inſtrumenta, quæ exteriora ſunt, ſenſus: interior autem imaginatio, non aliter, quàm qui per uitrum aliquid intuentur, non poſſunt aliter cernere, quàm ut illud ſinit uitrum. Alio tamen in loco idem ait Philoſophus, ſeparari mentem à ſenſibus ac corpore, ut immortale à caduco. In hanc præſtãtiſſimorum philoſophorum, imò philoſophiæ totius ſententiam, optimus quiſq; mente ac ſenſu uadit. Nam mortalẽ eſſe animã malis & deſperatis hominibus optatur, et expedit: boni auerſantur, & tanquã noxium refugiunt. Si enim quod paulo antea dicebã, cogitatione reuoluat quis, abſumi prorſus omnia in morte, quaſiq; in perpetuas tenebras abſorberi, quis bonus & generoſi cordis nõ exhorreat mortem? quæ huic conſolatio ſuffecerit, aut animatio, quo minus mortẽ reformidet, & refugiat modis omnibus, eãq; cum ſumma impatiẽtia expectet & perferat, quum neceſsitas coget? uel in ipſis medijs cruciatibus, quũ in uotis eſt mors, & inuocatur tãquam portus è tantis tẽpeſtatibus, eſt tamen quies in illis aliqua, & in-

terceſſatio,& cõcitatus animus mortem inclamat: qui ubi paululum reſedit,cõſolatur ſemetipſum ſpe, uel quod ceſſabit dolor,uel quod tempus & aſſuefactio leuiorem reddet:deniq; grata eſt quomodocũq; lux hæc,etiam miſerrimis.quid illis,qui nullis corporis aut uitæ incõmodis uexantur? Age uero quæ deſperatio homini probo,ſi ueniat illi in mentẽ ſuorum recte cogitatorum aut factorum,qui nullum in uita præmium ceperit:imò contrà,quod ſæpius euenit,malam pro beneficio gratiam,uelut paupertatem, infamiam,dolores, morbos,cruciatus, ſupplicium,nullam uirtutis compẽſationem reliquam eſſe poſt uitam,nec plus eum accepturum quàm improbum & ſceleratũ.Nam memoria nominis nec ſemper contingit,& iniqua eſt,quæ & prauis facinoribus laudem & gloriam tribuit,& uirtuti ac probitati uel neglectum, uel(quod indigniſſimum eſt) dedecus. nec ampla eſt,propter diuerſitatem ingeniorũ,morum,ſentẽtiarum in nationibus.alijs enim alia uidentur pulchra & laudabilia: nec diuturna eſſe poteſt,omnia conſumente uetuſtate.Nec quicquam ad uita functos pertinet.nec Achilli prodeſt ſua gloria,uel Socrati:nec Catilinæ, aut Therſitæ nocet ſua ignominia.Quid porrò,poſtea quàm uir ſapiens per cœlos,per ſidera, per elementa omnia ſit animũ

ſit animi intentione ac uigore peruagatus, per ſtirpes, animantes, homines, angelos, uſque ad Regem mundi, per res ueteris memoriæ quæ geſta ſint, quæ contigerint, quid illi acerbius poteſt nunciari, aut quod minus conſolationem admittat, quàm ſi in hac tanta pulchritudine, tam amœno atq; admirabili ſpectaculo extinguenda ſit mens tantarum diuitiarum ſpectatrix, receptaculũ, theſaurus? ut nullo amplius futura ſit ſenſu, nullo in loco, non magis quàm bruti animus abiectus, uilis, torpẽs, nulliusq; capax excellentiæ. Quis eſt qui poſt hanc conſiderationem mortem non pertimeſcat, etiam in grauiſſimis uitæ malis poſitus? contrà uero quanta bono & ſapienti conſolatio ad caſus omnes uitæ atq; infortunia, ſcire paratum eſſe locum quietis, non priuationis atq; orbationis omnium, ut ſomniarunt ſtulti: (quomodo enim quod non eſt, quieſcit) ſed felicitatis conſtitutæ à Deo æquiſſimo, potentiſſimo, optimo? quàm ijs largietur, qui ad bene & ſancte uiuẽdum bonam uoluntatem attulerint uere, atq; ex animo. Hæc quæ de hominum ſententijs atq; autoritate attulimus, eò pertinent, ut fiat liquidum ab ea parte naturam & uerum ſtare, à qua ſtant boni & ſapientes, nempe à noſtra. rectius uidelicet atq; integrius eſt horum iudicium, quàm malorum, aut dementium. Accedit

iudicio & maximorum hominum, & maximæ partis humani generis iustitia, probitas, religio, & uirtutes omnes, quæ omnia immortalitate animæ nituntur: ac hæc quam in partem inclinant, & ueritatem eódem inclinare necesse est. pro his enim cuius faciet ueritas, quàm pro sceleribus, flagitijs, improbitate, atq; impietate, quæ mortalitatis animæ comites sunt certissimæ. Sed nec mirãdum est magnopere, in definienda atq; statuenda animæ natura falsos philosophorũ quosdã minutos, ut inquit Cicero, ac ignobiles: quũ alij amplioris nominis in ijs quæ sensibus usurpamus, tã fœdè sint prolapsi, ut quòd nix esset nigra, quam uiderent candidissimam: quòd ignis frigidus, quo nihil tangerent ardentius. Illud porrò est in uitæ negocijs sententijsq; miserrimum, & non fletis lachrymis deplorandum, quod ad uerum & bonum nulli sunt autores satis locupletes, & firmæ fidei: ad falsum & malum quiuis sufficit. ut non iniuria sit illud à Mimographo dictum, Ad tristem partem strenua est suspicio: nimirũ, ut Ouidius inquit, quod nos in uicium credula turba sumus, mali uidelicet & obscuri, idcirco ad falsum & malum tanquã nostri simile proclines. Quàm multi sunt, qui Epicurum derident, Plinij refellunt, imperitos uocant, ut ea quæ in rebus uel uitæ uel naturæ adferrent, non

satis

satis habere explorata. at eosdem ipsos quum prouidentiam & religionem tollunt, ijdem illi amplectuntur & collaudant: adeò inualuit in eorum mentes caligo uiciorum & scelerum. Sunt qui aiant esse è reuitæ, credi animã esse immortalem, quemadmodum etiam deos esse, quòd aliter homines nec conseruaturi essent sanctam societatem, nec quicquam recte facturi, nisi cohiberentur metu illo, restare alteram post hanc uitam, & deos uindices, quos ideo à metu θεοὺς esse nominatos, quasi δεοὺς. Quid dicitis? Magno igitur mendacio opus est, ut homines uelint bene agere. O miserandam conditionem uirtutis, si nõ potest hominibus nisi per ingens mendaciũ persuaderi. quum nullæ duæ res tam sint inter se amicæ & cõcordes, quàm uirtus & ueritas: nempe germanæ à Deo genitæ, & humanis mẽtibus sicut utilissimæ, ita etiam integris iucundissimæ. Ergo Deus potentissimus, sapientissimus, optimus, ea lege & conditione creauisset hominũ genus, ut induci ad bene agendum per ueritatem non posset, sed per mendacium: & tantus artifex ad perfectionem operis sui instrumentum non è domo atq; opulentia sua ipsius desumpsisset, sed ab inimico suo diabolo mẽdacium, quo nihil est à Deo alienius, qui est mera ueritas. Quid restat igitur, nisi ut qui ingenij aut doctrinæ

bono deprehendisset mendacium, ueluti qui hoc dixerunt, & ab eis edocti ac moniti soluti essent eo metu, quo prius alligabantur, & ut quisq; esset doctissimus uel acutissimus, ita & pessimus quoq;, quãdo superstitione iam esset liber, nec deos ullos metueret, nec aliud quicquã nisi pœnas legum: ita quo proprius accederet ad hominis perfectionem cultu ingeni, atq; institutione, hoc & ad maliciam & scelera esset armatior ac procliuior: quippe cui arcanũ esset detectum, ficta & simulata esse omnia, quæ præciperentur de uirtute ac probitate. Atqui existimatio hæc maxima est humani animi corruptela, & à perfectione auertit. ideoq; sententia hæc semetipsam refringit, ut quo quis sit perfectior, eo imperfectior: quo melior, tãto peior: quo magis homo, ac uerius, hoc naturæ ferarũ similior, et ab homine remotior. En quãta rationũ acies pugnat pro nobis, idest pro ueritate. nam nos quid sumus? ueritas est fortissima, maximis uiribus fulta & cõmunita. Quid expectamus? an ut animas ipsas exiliẽtes cernamus è moribũdis corporibus, tanquã fumum è flamma? Neq; tum deessent, qui præstigias se dicerent metuere, & impostũram oculis suis fieri: ut quum niuem albam cernerent, & ignem ardentem. quid enim satis fuerit ei, qui animo obstinauit non assentiri? ut iam non

agatur

agatur res apud tribunal rationis, ſed affectiõis pra uæ, ac pertinacis. An tot unquã adducta ſunt à philoſophis argumẽta ad id corroborandum, quod tam exploratum certumq; nos habere credimus, quàm ea quæ manibus contrectamus, aut cernimus oculis? Si decima argumentorum pars ab aduerſa ſtaret parte, quis poſſet iſtorum ſuſtinere importunitatem atq; inſolentiam, qui nunc inopes ac deſtituti ab omni ratione, iudicio, mente, magno tamen adhuc faſtidio nos aſpernantur, & contemnunt, noſtramq; ueritatem quaſi ſtultitiam derident, quòd rationibus habemus fidem: quum illi nihil aliud pro ſe habeant, niſi forſan, non ita eſt, ſuſpicor, aut credo non ita eſſe. quibus de cauſis & rationibus adducor, ut exiſtimem ſententiam hanc de animæ immortalitate, quum ſit tanti ponderis, totius probitatis ac religionis fundamentum non eſſe inter fidei articulos relatum, quod ſcientia poſſit comprehẽdi. Nam quibus tandem, aut quot argumẽtis aſſequemur ſcientiam, ſi hæc non ſuffecerint? Quidam affectantes uideri philoſophi, aiunt in fide pietatis animam eſſe immortalem, in lumine autẽ naturæ mortalem: quo quid dici poteſt imperitius, aut demẽtius. quaſi nos quid uideatur diſputemus, nõ quid ſit. nos uero nec fidei lumẽ, nec naturæ inquirimus, ſed ueritatẽ ipſam, quæ

non

non gemina est, sed unica. Age uero, quid est naturæ lumen? num non humana ratio? Cedo, an plures aut euidentiores inuentæ rationes sunt pro ijs, quæ scire nos arbitramur ex causis naturæ, ut sententia nostra fert, certissimis ac perspectissimis? & adferri aliæ possent permultæ, & allatas esse ab alijs non dubitandum. latissima enim res est ueritas. Sed ego eas tantum posui, quæ mihi in mentem uenerunt. Velim autem mihi ad postremum dici, cur alia omnia quæ de anima traduntur, paucissimis & leuissimis coniecturis fulta recipiuntur pro indubitatis: hoc unum tanto rationum agmine stipatum ac munitum pro infirmo habetur. & illa quidem stabilia atq; indubitata nobis esse nostra nihil interest: hoc unum tam ualde interest, quantum est iam declaratum. Profecto liquido apparet, uim esse aliquam homini infestam, atque inimicam, quæ ueritatem nobis tam necessariam procuret uertere in controuersiam: à cuius perniciosissimis tenebris tueatur nos

Deus, lux uera & immensa.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

IO. LODOVICI VIVIS
DE ANIMA ET VITA,
Liber Tertius.

SEQVITVR pars animæ de affectionibus, ad cognoscendum & difficillima propter uarietatem, & necessaria, ut tantis malis adferamus remedium, morbisq; tam sæuissimis medicinam. estq; tractatio hæc non satis diligenter à ueteribus sapientiæ studiosis uel animaduersa, uel tradita. Stoici, quos Cicero secutũ se profitetur, omnia hæc argutijs suis peruerterũt. Aristoteles in Rhetoricis tantum de materia hac exposuit, quantum uiro politico arbitratus est sufficere. Nos pro uirili parte nostra singula argumenti huius subtilius exactiusq; persequemur. Cõdidit omnia Rex naturæ, ut illis de suo impartiretur esse, quo essent: de sua uero beatitudine, ut bene essent, quantum quidem cuiusq; uis caperet, ac natura. ad quæ sua assequenda & conseruanda munia, attribuit facultates: ad esse quidem, pronitatem, ut se quicque ab iniuria tueatur corrumpentis, quoad eius possit efficere: ad bene autem esse, appetitum boni, auersionem à malo, ut

lo, ut in bonum feratur appetitus, à malo declinet & fugiat. Quocirca cognitio tum sensuum, tum interior omnis, propter iudicandum est animanti addita: iudicium uero, ad nos uel impellendos, uel retrahendos. Retractio autem ipsa, boni alicuius fit gratia: quippe quæ est discessus à malo in bonum. Quapropter omnia, boni causa facimus, similes Autoris nostri, qui est optimus. nam & à malo fugimus propter bonum, & bonum propter seipsum expetimus. Sed in boni electione, magni nos in uita errores uersant. Bonum est simpliciter, quod prodest simpliciter: bonum cuiq;, quod ei prodest. huius è regione situm est malum, quod nocet. Bonum ut natura est unum, ita etiam nobis: nempe illud, quod uere est tale, cuiusq; participatu nos & boni simus, & ea de causa beati. Cæterum cæca ignorantia, multa in nos inuexit bonorum genera, in animo, in corpore, in externis: quæ non est hic percensendi locus, à multis sunt fuse enumerata atque explicata, & sæpe à nobis alibi. Ergo istarum facultatum, quibus animi nostri præditi à Natura sunt ad sequendum bonum, uel uitandum malum, actus dicuntur affectus siue affectiones, quibus ad bonum ferimur, uel contra malum, uel à malo recedimus. Bonum & malum in præsentia id uoco, non tam

Bonum.

Malum.

Affectus.

l. V. de anima dicebam. Affectus e facultatibus animi, qua de bono malo e finitato ne- gotio iudicant. Sunt autem quæ a motu ipso animi ad bonum negatur. Tollit perturbationem Verbi.

tam quod reuera tale est, quàm quod quisque sibi esse iudicat. nam quid bonum esse existimemus, quid malum, iudicij est: eóq; tanta circa hæc opinionum fraus, quoniam multæ sunt, & prædensæ in iudicio nostro tenebræ. tametsi in hac quoq; parte semina quædam habemus à natura ueritatis ingenita, ut antea posuimus: sed ea tamen admodum uniuersalia, uelut ex duobus illis Dei muneribus bonum esse, conseruationem suiipsius, & beate uiuere. quum uero ab hoc capite ad partes descenditur, multi statim existunt lapsus, grandia præcipitia. Sunt quidam animorum motus, seu impetus uerius naturales, qui ex affecto corpore consurgunt: ut edendi cupiditas in fame, bibendi in siti, mœror in morbo, uel premente atra bili, exhilaratio in liquido & puro sanguine circa cor, offensio ad plagam. ij iudicio anteuertunt: reliqui omnes quantumcunq; celeres & prærapidi, iudicij sententiam sequuntur. non enim mouetur animus, nisi præiudicatum sit bonum esse, aut malum, id quod est obiectum: idemq; in brutis usu euenit, in quibus non sola imaginatio parit affectum, nisi & existimatio accesserit, quæ illis iudicij cuiusdam locũ obtinet. Sed & mẽtis nostræ agitationes incitatissimæ sunt, nec requirunt ea tempora, quæ utique nos facile deprehendamus

hendamus atq; annotemus. idcirco præuertere non-
nunquam animi motus iudicio putãtur. Mente ergo
aliter atq; aliter edocta atq; instituta, mutantur affe
ctus augmento & decremento, uel tolluntur pror-
sus, atq; in aliorũ uim & quasi ius concedunt. Quæ
iudicium moueant, inq; uarias sententias traducant,
dictum est à nobis superiore uolumine. Consequẽs
etiã est, ut eadem illa ad concitandos sedandosq; ani
mi motus ualeant. sed non semper ad affectum exci
tandum opus est iudicio illo, quod ex rationum col-
latione de rebus statuit: illud sufficit, & est frequen
tius, quod imaginationis mouetur uisis. Itaque sola
phantasia trahente ad se tumultu suo speciem quan-
dam opinionis & iudicij, quod bonũ sit, aut malum
quod est ei obiectũ, in omnes animi perturbationes
uersamur, timemus, lætamur, flemus, tristamur: quo
fit, ut manifestò ad partem corporis uergant, in quo
tantopere dominatur phantasia. Quamobrem affe-
ctus omnes in præsentia in easdẽ illas qualitates tri-
buemus, ex quibus corporis natura constat: ut alij
sint calidi, alij frigidi, alij humidi, alij aridi, alij ex
horum aliquibus commixti: nam humani corporis
cõtemperatio, ex his ipsis qualitatibus efficitur. &
cuius quisq; affectus est naturæ ac ingenij, in simili
corporis natura facile tum nascitur, tum augetur: in
contraria

contraria non perinde. Hæ autem corporis temperationes aliàs incitantur atq; exacuuntur, aliàs comprimuntur & coercentur internis atq; externis rebus. internæ sunt, affectus ipsi. nã tristitia facit frigidos & aridos, lætitia calidos & humidos. Affectus enim rationẽ corporis non recipiunt modo, sed præstant. corporis autem sunt cibus & potus, ætates, morbi: nõ utiq; perpetuo, nec per omnia, sed plerunq;. Hæc multum mutant in corpore: unde etiam affectus uariantur, in ijs præcipue, qui se animo suo auferendos permittũt, nec rationis exactiq; iudicij clauo seipsos moderantur. His accedunt cogitationes crebræ, studia magna, difficilia, ardua: reddunt enim melancholicos. Sententiæ quoq; de rebus: ut Democritus semper ridebat, tanquã in perpetuis hominum stultitijs atq; ineptijs: Heraclitus semper flebat, tanquam in cõtinua hominũ miseria. Hinc sunt externa: tempus naturale, ut quatuor anni partes, et diei horæ: tum nostrum, quo continetur status rerum, seu publice, seu priuatim. locus item naturalis, noster: quæ omnia sunt alibi fuse explicata. In loco est habitatio, & uestitus, & comites. iam negocia & actiones intentæ, uehemẽtes, laboriosæ, deliciosæ, molestæ, difficiles, placidæ, leues. Cæterum affectionum non est simplex appellatio. nam facultatem

tem naturalem in animo dilatandi ſui ad bonum, & contrahendi à malo, affectus ſunt: & earum actiones in animo eodem cenſentur nomine. conſuetudines quoq;, quæ ex actionibus inualuerunt, quæ ἕξεις Græco uerbo nominantur, hoc eſt habitus: quæ omnia tenẽda erunt deinceps, ne fallamur. quod autem horum uſurpabimus, facile de ſenſu intelligetur. Et quandoquidem animus erat habitaturus in corpore, indita eſt animanti ab admirabili artifice Deo facultas hæc affectionum, ut quibuſdam ueluti ſtimulis excitaretur animus, ne iacens penitus obrutus q; mole corporis, ueluti ſegnis aſinus torperet perpetuò, bonisq; ſuis indormiſceret, & in eo quod illi ualde expediret, ceſſaret. itaq; uarijs tanquam calcaribus hinc inde ſubinde excitatur: aliàs autem cohibetur freno, ne ruat in noxia. Homini etiam ijdem iſti non deſunt ſtimuli ac fræni, qua parte eſt animans, cui ſunt eiſdem de cauſis neceſſarij. Sed nos nimium & exacuimus hoſce ſtimulos, & grauia fecimus hæc lupata, dum leui atque expeditæ neceſsitati immane pondus adiecimus ſuperfluitatum. At uero, quemadmodum in maris motibus eſt alius auræ tenuis, alius concitatior, alius uehemens, quiq; horrida tempeſta te mare omne à fundo uerrat cum arena ipſa & piſcibus: ſic in his animorum agitationibus quædam

Affectuum finalis cauſa.

Affectuũ in genere uarietas.

ſunt

ſunt leues, quas uelut initia quædam dixeris ſurgentis motus: aliæ ſunt ualidiores, aliæ animum uniuerſum cõcutiunt, deq; rationis ſede ac ſtatu iudicij depellunt. quæ uerè ſunt perturbationes, & impotentiæ: quòd quaſi iam animus ſui non ſit compos, ſed in alienam poteſtatem reciderit: & cæcitates, quòd nihil deſpiciat. nam primas illas, affectiones rectius dixeris: alteras, commotiones, ſeu concitationes, quæ Græci πάθη nominant, quaſi paſſiones. patitur enim animus uniuerſus illo uelut ictu & agitatu: qui quum eſt uiolentior, fit confuſio. Qui autem affectus uſu inualuerunt, uicia & morbi animi recte nuncupantur: quod aptius competit in affectus prauos, de quibus alia eſt tractatio. Et ſunt affectus nonnulli in tranſitu, tãquam pudor ex uerecundia, metus ex inani ſonitu: alij manent, ut metus aut reuerentia, diutinè confirmata: omnis denique affectus, uel uſu radicatus, quiq; conſuetudinem frequentia actuum duxit, uel diuturna & ualida quapiã actione infixus. Sunt quidam à natura inditi, ex conſtitutione corporis: & ſi longa quoq; aſſuefactio in uires naturæ migrat. Affectus ut ſunt in parte animali carni adiuncti arq; adhærẽtes, quo iudicium eſt contagio corporis infectius, magisq; immerſum carne, hoc ſurgunt & graniores & plures: nec ſolum

internos animi ſenſus perturbant ac peruertunt, ſed externos quoq;. Ita amantes, irati, metuentes, cerne re ſibi & audire uidentur, quæ nuſquam ſunt. certe omnes qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingũt, inquit Poeta. quo eſt autem purius iudicium, & celſius, eo pauciores & magis leues affectus admittit: tãto ſcilicet accuratius deſpicit, quid quaq; in re ſit bonum & uerum. ita fit, ut commoueatur tum rarius, tum lentius. Nam ingentes illæ agitationes & præturbidæ ab ignorantia ſunt & inconſideratione, aut à falſo: quod bonum malum'ue maius cenſemus eſſe, quàm reuera ſit. nimirũ per nebulam intuentes imperitiæ, nec in unum aliquod bonum, quale oportet, intenti ac defixi agimus: ſed bonorũ & fines & media, plurima & uaria nobis præſtituimus, quæ ſubinde locis occaſionibuſq; mira inconſtantia permutamus. Adde quòd non conſiderantes ſurgentem motum, nec nos habentes in noſtra poteſtate, obĳcimus nos ipſi tempeſtati auferẽdos, non quò ipſi uolumus, ſed quò ei libuerit. quumq; non ſtatuto mentis iudicio res aggrediamur, & obeamus, ſed arbitratu Naturæ: tantum commouemur, quantum Natura poteſt. ſunt enim actiones naturales non ex limitibus uoluntatis noſtræ, ſed ex facultatis cuiuſq; ſumma uiac potentia. Multò ſunt omnia in ſapiente diuerſa.

is enim

is enim nec in eligendo bono fallitur, & unum aliquod sibi proponit, paucasq; ad illud uias, easq; exploratas ac certas: nec permittit se regendum negocijs, sed regit ipse negocia, habetq; se in suo iure ac potestate, ut surgentem ui naturæ affectum, statim rationis freno compescat, cogatq; recto iudicio cedere.

ENVMERATIO AFFECTVVM.

MOtus omnis animi de bono est, aut de malo, quatenus contrarium est bono. estq; uel ad bonum, uel à malo, uel contra malum. Bonum autem & malum, uel præsens est, uel futurum, uel transactum, uel possibile. absentia boni pro malo est, mali autem pro bono. Bonum simulatq; est menti cognitum, allubescit continuo: primaq; est ea uelut surgentis motus aurula, quæ allubescentia nũcupatur. ea uero confirmata, fit amor. Motus autem de bono præsenti, quod sumus assequuti, lætitia: de bono futuro, cupiditas nũcupatur, quæ intra amoris limites includitur. Primus motus de malo est offensio, allubescentiæ contraria: quæ confirmata, fit odium: de malo præsenti mœror, de futuro metus. Motus in malum præsens, ira, inuidia, indignatio: in malum futurum, fiducia & audacia. Sub amore sunt, fauor, reuerentia, misericordia: sub lætitia, delectatio: sub

Allubescentia. Amor. Lætitia. Cupiditas. Offensio. Odium. Mœror. Metus. Ira. Inuidia. Indignatio. Fiducia. Audacia. Fauor. Reuerentia. Misericordia. Delectatio.

cupiditate. ſpes: ſub mœrore, deſiderium. Superbia monſtrum eſt ex multis mixtum, ex lætitia, & cupiditate, & fiducia. Extendunt ſe hi omnes affectus ad præteritum. itaq; & odimus, & amamus, & miſeramur iam olim uita functos ad poſsibilia etiã, & ad tanquam præterita: ſicut in fabulis, quas eſſe falſas ſcimus. & ad futura, tanquam præſentia: iam nunc odimus Antichriſtum. & tanquam futura: ut ſi narretur fabula, fore aliquem uirũ uirtute & magnitudine rerum geſtarum præſtantiſsimum, amamus. & ad præterita, tanquam futura: ut quum hiſtoriam legimus, tenent ſuſpenſum animum ſpes ac metus, quem tandem exitum res capient. Illud annotandum, quoniam affectus ſunt animorum motus, uel actu, uel poteſtate ac ui, non haberi pro affectibus æquanimitatem, & tranquillitatem cordis, ut manſuetudinem, ſecuritatem: quippe quæ non ſint motus. nec opera affectus nuncupari, nec naſci ex iudicio, contrà quàm Stoicis placuit: ſed eſſe naturalia, prout quiſque eſt animo habitus: ut fletum in mœrore, exanimationem in metu, exultationem & geſticulationem in lætitia immodica. Affectuũ alij ſunt natura ſua ualidi, ut amor atque odium: alij de cauſis extrinſecus illis additis, ideſt foris aduenientibus. Sed omnes tamen ex conſtitutione corporis præcipuas

præcipuas nanciſcuntur uires, ſicuti dudum dicebam. In affectibus, quemadmodum affectuum inter ſe alij ex alijs facile ſuppullulant, ita & alij ab alijs coercentur, & reſtinguntur. Ex amore inuidia oritur, & odium atq; ira: ſi quis rem charam oderit, aut læſerit. ſicut ex iracundia cupiditas ultionis, & lætitia uindictæ. & ſi quis quid amat, euenturum cupit, & ſperat, ut eo potiatur: non euenturum timet. ſi eueniat, lætatur: ſi non eueniat, quum cogitabat, atq; expectabat, in mœrorem ſe abijcit. Viciſſim magna lætitia mœrore diluitur. inuidia à miſeri cordia, uel metu: & alio mœrore premẽte, alius maior aufertur, uel metu dolor, aut ægritudo, ut in pugna, & præſenti diſcrimine. currit enim claudus, hoſte urgente. Itaq; ſunt hæ tempeſtates inſtar undarum & fluctuum, quorum ſequẽs modò priorem auget, aliàs minuit, & opprimit. Nec ſecus quàm in ciuili diſſenſione, nemo meliori auſcultat, ſed potentiori: ita in diſſenſione affectuum, nullus iuſtiori paret, ſed ualentiori, illi ſcilicet qui ſui iuris uniuerſum animum fecerit, cuiuſmodi eſſe incitatus amor conſueuit. nam quòd quis ob metum cedit victori aut latroni fortunas, uxorem, liberos: id facit, quia plus amat ſe quàm illos. nanque qui contrà mauult mori in ueſtigio, quàm aliquid tale perpeti, & qui

Origo & pugna affectuũ inter ſe

hoſtem ex odio, uel inimicum ex iracundia, uel inui dioſum ex inuidia acriter perſequitur, & acerbe ac cipit, etiã cum ſuo magno diſcrimine hoc facit: quia ſemetipſum amat uehementiſsime, & in eo ſibi obſe quitur, atq; adeò indulget, imò uerius ſeruit. nam qui ſe ipſi non tam tenerè diligunt, minus ſunt in aſperitate actionum pertinaces, nec tanto rapiuntur impetu ad explendas animorum cupiditates.

DE AMORE.

QVod bonum eſſe iudicatur, ſimulac uoluntati eſt oblatum, mouet eam continuo, & allicit ad ſeſe congruẽtia quadam naturali: qualis eſt ueri cum mente, formoſi cum oculo. Motus hic uoluntatis eſt exhilaratio illius quædam, & tãquam frontis exporrectio, atq; arriſus, quo uoluntati placet illud quaſi bonum, & ſibi congruens. Allubeſcentia ſit nobis appellata: quam exterioribus ſignis teſtantur muta, ſaltibus, uocibus inconditis, adulatione. homo uero placiditate uultus, exporrectione ſupercilij, exhilaratione, riſu. deniq; tam homo quàm bellua ad primum boni conſpectum deponit feritatem, ſi quam habet, & incipit illi admanſueſcere. Allubeſcentia confirmata eſt amor. hunc licet intelligere uoluntatis ſiue inclinationem, ſiue progreſſum ad bonum. exit enim uoluntas obuiam bono uenienti, ut id

Allubeſcentia.

Amor.

ut id complectatur: unde nascitur coniunctionis ex petitio, quæ si propter nos est, ut per bonum illud bene sit nobis, imò uero non alia de causa iudicatum est bonum, quàm quod nobis cõducibile, beneq; esse nobis per illud potest: amor hic cupiditas, seu concupiscentia nuncupatur, quæ duas habet partes. nam si bonum expetimus, quod nondum possidemus, de futuro est, uocaturq; desiderium. sin de eo quod consecuti iam sumus, in præsenti nominatur appetitus conseruationis, seu retentionis. Hunc in modum diligimus omnia, quæ utilia esse existimamus, aut iucunda animo, corpori, fortunis: quin & Deum hac ratione non pauci, quòd autor largitorq; sit ingentium bonorũ. Est quum res propter seipsam amatur, quia in se bona, detracto respectu omni nostrarum utilitatum. Verus est hic & germanus amor, qualis amicorum inter se. cuius specimen omnium manifestissime conspicimus in parente erga filium. Ex amore amicitia nascitur, quũ id quod amatur, redamat, & reciprocatio est in beneuolentia. Bonum hoc, in quod amor fertur, non extantis est modo temporis, sed in transactum recurrit: ut erga uiros ea uirtute insignes, quam nos plurimi æstimamus, & quæ in uenturum se porrigit. adde etiam ad res fictas & fabulosas, propter imaginationem ueritatis, de quo supra disse-

Cupiditas. Amor propter rationem. 1.

Desiderium. 2

Amor propter rem. 2.

Amicitia.

Bonum quod amatur. 3

4

pra dissérebam. Bonitas ex operibus colligitur. Bo-
Boni qui. nos censemus eos, qui probè sunt officio suo per-
functi erga Deum, patriam, parentes, principem,
herum, amicos, liberos, necessarios, propinquos, fa
miliares, socios, ciues, peregrinos: quæ officiorum
ratio in humano genere patet latissimè, quando ut
rectè est à M. Tullio scriptum, nulla uitæ pars seu
publica seu priuata, carere potest officio. Habentur
pro uiris bonis, qui quàm plurimis profuerunt, pro-
sunt, proderunt. Et quia unusquisq; sibi est charissi-
mus, amat eum qui ipsi benefecit, aut ijs quos ipse
amat, ut filijs, aut amicissimis. amor enim omnia red
dit unum. Nam qui nobis, aut ijs quos habemus be-
neuolentia coniunctos profuit, eum rite fungi suo
officio ducimus, & bonum esse uirum, qui amet,
quod amari est dignum. quisq; enim uidetur sibi &
bonus & dignus, qui ametur. nec conseruare se ac
tueri cuperet, ni hunc in modum esset affectus. eti-
am qui ipse sibi manum uiolentam adfert, charita-
te sui hoc facit, ut se uel urgentibus uel impenden-
tibus malis subtrahat. Ex hoc amore nostri oritur
amor erga filios nostros, tanquam partem nostri: er
Similitudo, ga consimiles, erga opera nostra. Similitudo enim
amoris cau amoris est causa, tanquam in alterum ipsum: quo-
sa. niam similitudo idem quodammodo efficit, eoq; ani
mantes

mantes omnes ad similes sibi formas facile aggregantur. & pueri complectuntur, ac deosculantur specula, in quibus imaginem sui aspiciunt, quoniam inesse intus arbitrantur puerulum aliquem, sibi similem. Quantam existimari conuenit fuisse illam amoris flammam, quæ in animo Adæ ad primum Euæ conspectum excitata est? in qua ille uelut semetipsum est intuitus, aspectu nouo penitus. Sed ad amorem conciliandum fortior est animorum similitudo, quàm corporum. ea uero ex eadem constitutione corporum existit, & pari proportione contemperationis, ex eisdem studijs doctrinæ, persuasionibus, uitæ institutis ac moribus. Vsus quoq; & assuefactio animum animo adaptat: unde amicitiæ inter consanguineos, necessarios, ciues, condiscipulos, consectaneos, familiares, domesticos. Est in quibusdam hominum admirabilis animorum congruentia, quæ illos occulto quodam naturæ concentu statim coniungit nexu uoluntatum, ut quos antea nunquam uideramus, ad primum conspectum diligamus: sicut contrà inconuenientia & aduersitate quadam animorum, auersamur, & odimus quosdam prorsum ignotos: alios etiam de nobis bene meritos adduci nullo pacto possumus, ut bona fide diligamus. Non tam est hæc interdum similitudo

litudo temperamenti corporei, quam competentia quædam animorum inter se, ad constituendam harmoniam, qualis est sonorum in concentu musico, & proportionis humorum in sano corpore, ut alter alterum non propter similitudinem appetat, sed ob proportionem: quo quasi absoluta fiat ea cõiunctione harmonia, & gratus quidam existat sonus, idem scilicet uelle, & idem nolle. quo fit, ut non raro homines diuersissimis ingenijs, maximeq; cõtraria corporum constitutione, firmissimas tamen inter se colant amicitias. De hoc amore meritò Plutarchus inquit, nescias unde uenerit, aut quomodo irrepserit. At quemadmodum ex operibus interiorem bonitatem iudicamus, sic imaginem animi existimamus esse faciem: hac de causa formosos naturaliter diligimus. Formosa facies, inquit Mimus, muta commendatio. nisi fortè experti sumus improbum animum, & tanquam deformem hospitem habitare in formoso hospitio. Commendabilior est facies non adeò speciosa, ut uenusta & grata, atque in modestiam ac moderationem cõposita: hoc uidelicet certius est animi rectè constituti argumẽtum. Sed sunt tamen causæ aliæ, cur amorem ad se pulchritudo attrahit, ut paleas succinum: quas ex Platone & Platonicis desumemus. Nam ut mundus per amorem ex informi

Forma amorem cõciliat

Impedimẽta.

Pulchritudo gratiæ conciliat amorem.

ex informi factus est non formatus modo, sed formosus quoq; : ita & amor infusus per mundum, ad pulchritudinem rapitur, ut sit fonti illi unde derivatus est conformis. Adde quòd pulchritudo omnis uelut radius quidam est, & uestigium immensæ illius ac diuinæ pulchritudinis, eoq; pro magno bono accipitur, illamq; admiramur. & quemadmodum diuina species ueros amores elicit, ita imago illius imaginem quoq; amorum. Quid quòd pulchritudo corporum, pulchritudinem nostrorum animorũ refert, atq; exprimit, & quasi proponit ob oculos concinnitate, elegantia, proportione, concentu seu harmonia? perfectio enim interior, perfectionem exteriorem gignit. illa uocatur bonitas, hæc pulchritudo: quæ ueluti flos quidam uidetur esse bonitatis, quasi seminis sui. unde est illa Græcorũ καλοκαγαθία. Itaq; animus noster in formositatem tanquam in similem propendit, in qua non sine admiratione ac beneuolẽtia corporaliter expressum cernit, quod ipse spiritaliter à Deo tributum possidet. Consimilem ergo naturam amplexatur animus, aspernatur deformitatem tanquam dissimilem, & à se alienam. est enim in animo cuiusq; species quædam uel à natura, uel ab arte, uel à consuetudine depicta bonitatis ac pulchritudinis, uel contrà maliciæ ac deformitatis.

tatis. Pictura rei exterior picturã illam interiorem contingens, si cõgruit cum nostro bono & pulchro amatur: sin cum malo & turpi, reijcitur. unde existit tanta in iudicijs boni & mali, pulchri & deformis uarietas & dissensio. Hanc animorum cõgruentiam cum corporibus, licebit intelligere ex opere & operis imagine in opificis animo. His accedit, quòd bonitas autoris omniũ adduxit illum ad creationem huius tanti operis. pulchritudo autem radius est bonitatis per uniuersa diffusus: ut quicq; plurimũ eius accepit, ita est amabilissimum. Nam amoris parens est bonitas: ut pulchritudo & amor, ex eadem uideantur parẽte progenita. ex quo fit, ut non una sit decoris ratio. Primus enim in rebus condendis radius in mentem incidit, ornans eam intelligentia, & contemplatione, quæ est suprema speciositas. secundus fertur in animam, illustrans eam cognitione. tertius in effectiones graduum inferiorum, fœcũdans illas seminibus ad propagãdum genus. infimus etiam ualde turbidus, ad molẽ materiæ pertingit, delineans depingensq; illam uarietate formarum. Hæ sunt pulchritudinũ omnium notæ ac rationes, diuinæ illius ac immensæ lucis splendores. Intelligentia ad duos primos illos amorum gradus scandit: imaginatio autem sistit in posterioribus. inde sunt amores corporum, &

rum, & cupido gignendi in pulchro, uel de pulchro: ut formam educat pulchro ſimilem, erga quod eſt affectus. Amoris efficacitas ultima & ſuprema eſt, ex multis unum facere, ex diuerſis idem. Quocirca qui amato bene uel cupit, uel facit, & amanti uidetur idem præſtare: atque eo magis, ſi illius cauſa. ut in commendatione, eadem ratione & illos diligimus, quos charos eſſe ſcimus ijs, quos amamus. Amor enim ut natura ſua eſt coniunctor & copulator, quocunq; ſeſe conuertat, adnectit ſemper & adiungit: ſicuti odium ecõtrario diſiungit, diſſoluit, ſeparat. Cauẽdum tamen, ne quod amatur ex eo ſit genere, quo uelis ſolus potiri. tunc enim riualitas exiſtit, & inde maleuolentia. Vertitur crebro amor concupiſcentiæ in uerum. Amo ſanitatis cauſa medicũ: eam poſtquàm is reddidit, amo illum uerè, atq; ex animo. tanquam uirum bonum. quo autem bonum, quod accepi, eſt mihi præſtabilius, & frequentius, hoc magis gliſcit amor. Ideoq; maximus & ardentiſsimus eſt in Deum, ſi quis naturam illam beneficentiſsimam rite contempletur. Amor omnis, qui originem ex debita gratia ſumit, eo eſt flagrantior, quo uel nos minus ſumus remunerati: uel qui profuit, minus expetiuit, aut expectauit: quo in numero præcipui ſunt parentes

humani

Amor ũnies

Effectus.

Riualitas.

"

"

humani, sed omnes excedit Christus. Pro beneficio est malum auertisse, ac depulisse. sicut pro maleficio, impedimentum atq; obex boni. Sed non est purus amor, & uerus, quousq; utilitatis respectus omnis sit abolitus. & quemadmodum amatur benefi-

Purus amor, sine mercede.

cus, ita & benefaciens amat eum, cui profuit, non secus quàm opus suum: ut filium pater, & magister discipulum. Quin etiam plerunq; euenit, ut iuuantis & benefacientis charitas sit ardentior, quàm eius qui usus est beneficio. amor enim illius est ex bonitate, huius ex necessitate. in illo est decus & gloria, tanquam in maiore, & potiore: in hoc autem uelut inferiore, quidam (ut sic dixerim) pudor. Ergo fortius habet & præstabilius amoris principiũ, benefaciens: nempe uoluntatem suam, & bonitatem. amor autem ut est de bono, facilius & fortius proficiscitur ex bono in bonum, quàm ex necessitate in bonum. benefaciens agit, quia uult: qui recipit autem, quia eget. rectéq; illud dicunt uulgo, Amorem etsi naturæ igneæ, descendere, non ascendere. Magis amat parens filium, magister discipulum, tutor pupillum, quàm contrà: maximusq; & ardentissimus amorum omnium est Dei erga nos, quem sapientissime diuus Ioannes non amantem, sed amorem ipsum nominauit. et Dionysius in Sacris nominibus: Confidenter

fidenter id quoq; ueriſsima ratione dicemus, quod ipſe Autor omniũ pro bonitatis magnitudine omnia amat, omnia operatur, omnia perficit, omnia continet, cõuertitq; ad ſe omnia. Verum inter omnia quibus amor elicitur, nihil eſt amore fortius, ac ualidius: nihil amorẽ æquè conciliat, ut amor: nulla certiora ſunt aut potẽtiora philtra. Hoc non fit uerbis, inquit ille in Epigrammate: Marce, ut ameris, ama: modo uerè tamen, ac bona fide. nam ficta & ſimulata nihil obtinent uirium, ac neruorum. Ignis in tabella pictus non calfacit, nec rugit aut ſæuit leo marmoreus. Hæc amoris reciproca generatio, ſiue occulto quodam naturæ tactu accipit ſemina, & deuinctione illa rerum omnium inter ſe, quod nonnullis philoſophis placuit, ita ut ſi unum aliquod attigeris, paria & ſimilia moueantur: ut in chordis teſtudinis. ſiue quòd à quo nos amari cognoſcimus, hunc bonum eſſe uirum arbitramur, debitumq; officium congruenter exequi, qui quod amandum ſit amet: eaq; de cauſa, ut bonus redamatur. qua de cauſa ſæpenumero amans non redamatur, quòd amatus amari ſe non ſentit. Platonici rei huius altius radices inquirunt. aiunt enim magnam amoris parentem eſſe ſimilitudinem, propterea quòd quum quiſq; ſit ſibi ipſe à natura conciliatiſsimus, ſimilitudo autem eſt

Amor amorem elicit.

ceu natura quædam in pluribus eadem, alterum ipsum similitudo efficit. quòd si tu sis mei similis, ego necessario sum tui: hinc sequi, ut quæ similitudo te ut me ames inducit, eadem ipsa me ad te amandum adducat. Accedit huc, quòd amãs amati faciem atq; imaginem in animo suo insculpit ac imprimit. qua de causa amantis animus speculum quoddam redditur, in quo amati relucet forma. Quum ergo amatus in amantis sese animo intuetur, & recognoscit, amare illum compellitur, in quo quasi se habitare intelligit, quemadmodũ infantes imagines suas in speculis deosculantur. Ad hæc amans semetipsum sibi aufert, et dedit ac mancipat amato. hunc ergo iam amatus, ut rem suam, charam habet, curatq;. Si conspici à nobis uolũtas ipsa posset, ex ea de amore iudicaremus: quod solus facit Deus, scrutator cordium. Sed quoniam uoluntas nostra magnis & multiplicibus est involucris contecta, ut ad eam nec oculorum nec mentis nostræ acies penetrare ualeat, ex operibus de illa statuimus, prout sunt hæc magna, crebra, gratuita, prompta. Quòd si quis non potuit opera præstare, at dedit sanum & præsens consilium, declarauit se conari uel tentando, uel manifesta indicatione affectus alicuius, qui uoluntatem patefeceret, ut si quos ipsi odimus, oderunt: amant, quos amamus: irascuntur, quibus

Amoris indicia.

tur, quibus irascimur: lætantur in nostra lætitia, tristantur in nostro mœrore, & lachrymas dant, quæ ad manifestationẽ interioris habitus uolũtatis præualidæ sunt. Ergo qui nobis obsequuntur, qui laudant nostra omnia, quibus boni uiri uidemur, eos dignos amore atque amicitia nostra ducimus. Obsequium amicos, ait Comicus, ueritas odium parit. qui curant nostra oblectamenta, qui auertunt tristia. Contrà autem, reprehensores, & in contrarium tendentes, quiq; nos pudefaciunt, auersan.ur, & deuitamus. nam in illis idem uidetur affectus inesse, in his contrarius ac repugnans, ijs quidem, qui speciosa utilibus præferunt, aut uanas delicias solidis & mansuris emolumentis: quales sunt adolescentes, & uiri uoluptatibus assueti, quibus gratior est leno, aut scurra, aut aleator, aut corruptor bonorum ingeniorum, quàm uir sapiẽtissimus & prudentissimus. nimirum mauult sus lutum, quàm amaracinum. Ab omnibus amorem impetrant simplices illæ & mansuetæ uirtutes, æquitatis, modestiæ, moderationis, frugalitatis: siue ob innoxiam excellentiam, seu quòd inferiorem omnes amplectimur, superiore grauamur, specie quadam libertatis, quæ in depraua-
ta Natura tanquam solo uiciato in arrogantiam degenerauit. Accedit huc, quòd modicis & mo-

deratis, & blandis, & mitibus, atq; obsequentibus existimamus nos bonos uiros uideri, honore & beneuolentia dignos: grauibus autem, censoribus, castigatoribus multò secus. Inter mansuetas uirtutes
,, est sobrietas, taciturnitas: tales diligimus. minime autem loquaces, aut futiles, aut in malis amicorum scrutatores, quæ improbi homines non ad ferendam opem inquirunt, sed ad curiosam quandam cognoscendi auiditatem, plerunque etiam ut habeant quod cum notis possint garrire, ac arrodere: de quibus est illud Horatij:

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est.

Hi sunt in perquirendis familiarium damnis uehementer solliciti, in prosperis uero remissi ac securi.
,, Aptos quoq; ad amicitiam remur, qui iniurias facile uel obliuiscuntur, uel remittunt. ut rursum odiosi
,, sunt, qui recordari præ se ferunt. His accedunt, qui
,, beneficia non exprobrant. Illius quoq; amicitia valde expetitur, cuius sit erga amicum fides ac beneuolentia spectata: quemadmodum Dionysius Siciliæ tyrannus tertium se addi optauit amicitiæ Damonis et Pythiæ, philosophorum de schola Pythagorica, quorum monumentis literarum celebrata est fides in
,, capitis periculo. Et ut iucundi sunt anteacti labores, sic etiam illi iucundissimi, qui in ipsis laboribus nos

non

non deſeruerunt, ſed adfuerunt pro uiribus. unde illud, Amicus certus in re incerta. Ex quo affectu Dominus noſter dicit ſuis diſcipulis: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in afflictionibus meis. Quos metuimus, amare non poſſumus: ut uiros potentes, non item bonos, & prudentia ſine iuſtitia, ſuſpecta eſt. aſtutia enim, & fraudulentia cenſetur. Fiducia de aliquo ex eadem pullulat radice, qua & amor: nempe iudicio boni. Itaque amor auget fiduciam, & fiducia naſcenti amori multum adminiculatur. Eſt amor affectus calidus, & in calidis cõſtitutionibus atq; ingenijs facile concipitur: tum circumſtantijs calidis, loco, tempore, actionibus. ſed pleriq; calidorum leuibus de cauſis amorẽ deponunt, partim quia facile offenduntur, partim quòd ſubeunt affectus alij, uelut ſpinæ, quæ amorem præfocent: inuidia, ira, ſuperbia. Tranſeunt quoq; ex lubricitate ac leuitate ad alios amores, qui priores excutiunt. Quòd ſi ſanguis ſit tenuis, & ſpiritus rari, extinguitur leui motu flamma, in leui materia concepta. Sin uero denſa ſit materia, & firma, nec facile mutationibus cedens, in calida contemperatione ualidiſſime amor dominatur: niſi quòd periculum eſt ab alijs præferuidis affectionibus, ira & arrogãtia & inuidentia. Minus offenduntur tẽperati, et ſanguinei, eamq; ob

Impedimenta. Vide fo: 308 lect 30.

Fiducia.

Amor calidus.

Interjuncta.

Non conſeruãs.

Conſeruãs.

Tum color non differt a conſtitutione in denſa materia quæ non cedit.

causam amorem diutius & fidelius conseruant. est enim in his amor non tam ardens quidem, sed plus tamẽ habens fomenti. Priores illos ceu stupas quasdam dixeris, hæc ligna. impetus quidẽ in illis maior est, in his perseuerantia. Videre est iuuenes amicos, quorũ alter pro altero uitã euidenti discrimine obiecerit, quod pater uix auderet pro unico suo, & quidem ex uulgari amicorum nota: sed stupa est hæc subita flamma correpta. patris autẽ amor maior est, solidior, diuturnior. Frigidi ergo lentius amãt, & segnius: sed si in eis semel amor eualuerit, amãt flagrãtius & cõstantius. accẽditur uidelicet densa & siccamateries, magnus diutinusq; igni fomes, ut ferrũ.

CVPIDITATES.

CVpiditas est appetitus boni, quod cõducibile uideatur, uel assequendi, si absit: uel conseruandi, quum adest. Conducũt bona partim ad esse, partim ad bene esse. Ad esse pertinent necessitates uitæ tuendæ ac propagandæ, quæ naturales nuncupantur, cibus, potio, medicina, ignis, tectum, indumentum: qui appetitus potius dicuntur, q̃ cupiditates, in quibus impetu rapitur animus tacito naturæ stimulo punctus, atq; incitatus trãsilit iudiciũ, neq; illi auscultat. ut in siti, & fame, quæ ideo malesuada dicitur: & in prægnantiũ appetentijs, quæ picæ

Appetitus.

nominantur

nominantur. Vt bene autem sit nobis, accersimus tum commoditates, ut cibum aptè paratum, uinum uel ceruisiam in potionem, lanam & linum textum, adiumenta extrinsecus à beluis & hominibus: tum uoluptates & delicias per sensus omnes, quæ longius petuntur. nos alia confinximus, ut nobilitatem, decus, famam, dignitatem, opes, gloriam: & hæc omnia non solum numero, sed ingenti mole ac magnitudine adauximus. unde examen erupit cupiditatum, sine termino ullo, ac modo: ut meritò Plinius Secundus dicat, nulli animantium libidinem esse rerum omnium maiorem, quàm homini, quum alioqui paucissimis indigeat. Homini cupiditas est astructa, ut quod bonum sibi esse credat, expetat, sequatur q; : adeptus uero retineat, & conseruet. Bonum autem hominis uerum & solidum, est Deus. itaque usque ad Deum concupiscendum se extendit. qui quoniam est immensus, fit ut & cupiditatis quoque nostræ laxitas immensa sit, nec re alia expleri queat, præterquàm Deo ipso. ibi demum sistit, & conquiescit. Quo res nobis uidetur tur conducibilior, hoc acrius expetitur, & diligentius asseruatur. Sed in conducibili uariant hominum sententiæ. Iuuenili animo conducibilissimum uidetur uoluptas, uiro decus, ægro sanitas,

Cupiditatis causa.

ſeni uictus, principi gloria, cuiq; ut eſt uel corpore, uel animo affectus: de quo ſupra diximus. Calidi acutas habent cupiditates, & uehemẽtes, & quas celerrime uellent expleri: ſed mirabiles et uarias, ſicut de amore diximus. frigidi autẽ, pauciores et ſegnes, ſed pertinaces, intenti in illam unam, quamcũq; ſibi delegerũt, uel quæ animum inflammauit. Fiducia cupiditates minuit, timor auget. Qui ſecuri ſunt, non defutura quæ ſint opus, ij nec in parãdo, nec in conſeruando ſunt anxij, uelut adoleſcentes, & uiri animoſi, & ebrij, quibus multus & præferuidus eſt ſanguis circa cor. adde etiam neceſsitatum inexpertos: & qui quemadmodum uel acquirãtur utilitates, uel amittantur, ignorant. Qui uerò metuunt ne deſit, auidè tum quærunt, tum cuſtodiunt, ut inualidi, ægri, mulieres, ſenes: denique quibus ſanguis eſt ad cor exiguus, rarus, tepidus. naturaliter enim hi anxij ſunt & ſolliciti, ne deſit, haud quidem argumento aliquo, uel cõiectura uenturæ neceſsitatis, ſed metu & ſollicitudine premẽte cor. quo fit, ut ex lautiſsima & profuſiſsima iuuenta, naſcatur ſæpenumero ſenectus præparca nimis & ſordida: & qui ſani ac ualentes erant liberales, in morbo attendant ad rem nimis abiectè, ut cibos quoq; ſalutares auerſentur, ſi cariùs ſint empti, quàm uellent. ſobrij quoq; auari

liberales

liberales fiunt, ubi incaluerunt mero. Præter hos omnes, qui quod concupierant non absque difficultatibus sunt adepti, arctius id retinent: seu timore suscipiẽdi rursum laboris, seu quòd ægrè parta chariora sunt, quasi magno empta, ut gnauo & laborioso negociatori sua pecunia, matri filius: & nos CHRISTO, qui redemit nos uniuerso suo sanguine. sicut uicissim, quæ facile obuenerunt, negliguntur: ut ferè hæreditates. Ad assequẽda quæ concupiscimus, addita est homini cura, & sollicitudo, & audacia: ad retinẽdum autem, & custodiendum, metus, & cautio, & contra nocumentum inuadens audacia. Cupiditates acceperunt ex rebus nomina particularia: uelut ex ære auaritia, ex honore ambitio, ex gustu gula, ex Venereis libido, & alia quæ sunt infinita, & sua cuique genti ac linguæ, in quo Græci copiosi sunt. sed potissimum annotantur ea in usum uitæ, in quibus uel uitium uersatur, uel uirtus: sicut de pecunia, & honore ac dignitate, quæ sunt iustitiæ: de gustu & tactu, quæ continentiæ: de cognoscendo & sciendo, quæ curiositas. Nam indifferentia, ut cupiditas equorum, uenationis, spectaculorum, & alia, infinita sunt: ideoq; sub artis præcepta non ueniunt, neq; ullum fuerit ea persequi operæprecium.

DE VTROQVE AMORE MIXTIM.

Dicamus nunc de amore in genere. nam falsus fictusq; cupiditatis amor, uerum amorem actionibus suis crebro æmulatur, atq; exprimit. Gignitur amor omnis ex bono, & in bonum tendit. boni autem natura fert, ut cum eo cupiamus coniũgi, propter illius congruentiam nobiscum: unde existit
,, delectatio, & beatitas. Idcirco amoris meta extrema est, coniungi usq; ad unitatem, quoad eius effici possit. quo uero uincitur arctius, & in eãdem essentiam, hoc amor uerius perfectiusq; finem suum nanciscitur, & in absolutionem consistit ingenij ac naturæ suæ. Scitè admodum & aptè à Platone ficta est fabula, quòd quũ Vulcanus duobus inter se amicissimis occurrisset, quiq; amoris mutui magna ederent signa, delectatus illorum inter se beneuolentia, iussit ab se petere donum Dei munificentia dignum. Cui respõderunt illi: O Vulcane faber deorum, oramus te, ut tuis istis instrumentis & camino refingas nos ambo, & ex duobus unum facias. Ergo
,, coniunguntur homines propter communia commoda, quibus eadem sunt profutura, & noxia, ad illa consequenda, hæc autem depellenda, modo ne impediant inuicem: alioqui offenderentur citius, & resilirent. huiusmodi sunt, qui communes habent inimi-

Fabula de Vulcano.

cos:

cos: de quibus est uetus uerbum, Coniungunt homines mala. tum qui eadem uehuntur naui, quiq; eandem urbem incolunt, qui eidem nauigio cõmiserunt suas merces. Est amor precij, quo maxima bona plurimi facimus, & maximas utilitates: & ex utilitatibus, ut quanq; plurimi æstimamus, ita habemus charissimam. ac proinde qui eam nobis procurat, hunc magnopere diligimus. Iuueni uoluptates atq; oblectamenta corporis sunt bona præcipua, senibus opulentia, alijs sanitas, alijs honor, fama, decus, gloria. ut Romano existimatiores gratioresq;. qui fines dilatarunt imperij, quàm qui ad uirtutem iuuenes ipsorum formauerunt. & uulgus eas uirtutes magis diligit, quæ in commune prosunt: ut humanitatem, iustitiam, affabilitatem, liberalitatem, commoditatem, simplicitatem: quàm reconditas illas, quamlibet uenerabiles & admirabiles, animi magnitudinẽ, constantiam, firmitatem, integritatem, ac sanctitatem uitæ. Itaque fauorabiliores erant populo Rom. Pompeius & Cæsar, q̃ Marcellus & Cato, etiamsi hic uenerabilior. hac de causa uirtutes quæ alijs profuerunt, propter earum similitudinem quæ nobis prosunt, benevolentia prosequimur: ut pietatis officio esse functum erga patriam, parentes, propinquos, necessarios: seruasse fidem, etiam hosti datam.

quod

quod fecit Attilius Regulus. Auerſamur autem officij negligentes, aut immemores. uelut ingratos, impios, inhumanos. Rex Alfonſus Aragonius quum eſſet multis Neapolitanorum procerum inuiſus, & potiſſimum Andegauenſi factioni, diligi eſt cœptus, poſteaquam deprehenderunt eum uenantem in ſyluа, adiuuiſſe ſua manu carbonarium, aſinum ſuum in foſſam delapſum ſubleuante. Sed in amoris æſtimatione non eſt ſimplex ratio. eſt enim preciũ aliud perpetuum & fixum, aliud quod præſens animi motus ſuadet ex eo, quod nobis in præſentia bonum uidetur, ſiue in utilitate, ſiue in ſpecie à nobis ficta. Longe pluris ſanitatem facio, quàm cibum, uel condimentum menſæ appoſitum: impetus tamen me rapit, ut cibum non perinde ſalubrem ac ſapidum comedã cum iactura ualetudinis, in quo facto aut non uenio in comparationem reputationemq; ſaporis & ſanitatis, uel ſpero non tantopere fore damnoſum corpori, aut me facile adhibiturũ remedium. Eodem modo multi uiri haud quaquam mali, detrimentum faciunt diuini fauoris, propter aliquod in rebus uitæ compendiũ: nunquam id admiſſuri, ſi quid agerent, conſiderarent. ſed uel ſubit animos eorum obliuio ingentis boni, uel ſe id recuperaturos confidunt.

Amoris æſtimatio.

Amoris actiones.

Amoris uires atque actiones hæ propémodum ſunt.

Primum

Primum uoluntas est animi uniuersi dominatrix & rectrix, uolũtatis amor. rapit enim illã amor ad sũm bonum, qui motus est omnium incitatissimus: quoniam celerrimus per se, & in præcipiti uoluntatis. nascitur enim & gliscit uolente ipsa ac libente, ut tanquam impelli uideatur per pronum. quocirca affectionum omnium amor fortissima est, & potentissima: ut merito sit illud consensu tot seculorũ approbatum, Amori cedere omnia tanquam victori. Et alioqui si quis subtilius perscrutetur, ex amore inueniet, quemadmodum antea dicebam, affectus omnes profluere. sequimur, & concupiscimus uidelicet, quæ amamus: fugimus & odimus contraria ijs, quæ amamus. ut morbum, quia diligimus sanitatem: dedecus, quia diligimus decus: ideoq; qui non norunt bona, nec ea diligunt, neq; ijs aduersa mala uel oderunt uel reformidant, ut pueri gladios, aut præcipitia: & ille Satyrus, qui quum igne uolebat ludere, nunquam antea sibi uiso, ignarus nocumenti illius. Nec reformidant rudes homines ignorantiam, nec uiri mali sua flagitia: grauiora mala, quàm quibus corpus affligitur. quoniam quantum sit & scientia & uirtus bonum, nec nouerunt, neq; considerant. Et sicut amor ex iudicio pulchri aut boni surgit, ita ubi uires est nactus, idem ipsum iudicium confirmat: ut iam amplius

amplius ſtatuere nõ poßit de bono aut pulchro, quod amat, niſi uehementer ſit immutatum, & adeò ſubito, depræhendi ut mutatio in deterius queat. nam ſilentè ac paulatim commutetur, opprimitur mutationis ſenſus ſub amoris potentia uiolenta. Poſtea uero quàm amor latè per animum extẽdit regnum ſuum, tranſit quoq; eadem cenſura ad alia, ut bona iam & pulchra amanti in amato uideantur, quæ non uidebantur prius. unde amor cæcus dicitur. Eoq; amans ſemper apud animum ſuum & amati bona auget, & uicia uel deformitates extenuat. Strabonem, inquit Horatius, appellat pater filium pætum: & pullum, male paruũ: hunc uarum, diſtortis cruribus. Patres noui, qui inſignes filiorum deformitates, & quidem in oculis & facie, iurarint ſe nunquam animaduertiſſe. alios qui rectißima eſſe omnia, maximeq; decentia affirmarent, in notabili prauitate. Hinc fides erga ea, quæ amatus dicit. habet hic enim in amantis animo iudicem, ſecundum ipſius cauſam ſemper pronunciantem. Eſt interdum amor prævalidus cum iudicio aliarũ rerum. ut qui filium amat, uel uxorem, quam eſſe deformem, aut rudem, aut tardam ſatis uidet. quia tamen charitas eò non pertinet, ſed ad uxoris aut filij perſonam, non refrigeſcit ardor. Sed illud tamen præſtat beneuolentia, quòd tolerabilia

iudicat

iudicat hæc uitia in charo capite. Amor quando-quidem ex iudicio boni oritur, in manu nostra est eum non admittere. nihil est enim tam excellenti & pura bonitate aut decore præditum, quin admistum habeat aliquid, quod nobis possit displicere, aut non expedire, unde minus censeatur nobis bonum, ac proinde appetendum, qua in ratione Deum solum excipio, quem si, non ut ipse est (nam id factu non esset possibile) sed ut humana mens corpore hoc clausa potest, contemplaretur, concitatius in amorem raperetur illius, quàm mens ad complexum certissimarum ueritatum. cerneret enim bonum absque nocumenti ullius admistione. Cætera omnia aliquid semper aut præ se ferunt, aut inclusum continent, propter quod possint uel ab examine iudicij reprobari, uel à libertate uoluntatis reijci. Quid, quod quamtumcunque aliquid bonum iudicetur, possumus nihilominus ab eius intuitu atque intelligentia, auertere animi attentionem? Potest uoluntas iudicij oblationem segniter accipere, aut in ea prorsum cessare. Quocirca elici amor potest, ut ille dixit: exprimi non potest. & Claudianus, Non extorquebis amari. At uero ubi semel amor est dominatum nactus, & se quasi in uoluntatis possessione constituit, excutere eum non

est in

est in manu nostra, quum libet. Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur, inquit idem Publius mimographus. Egregriè Plutarchus: Amor sensim illabitur, sed ingressus non facile discedit, etiamsi alatus. Cogit uidelicet de re chara subinde cogitare. cogitatio crebra efficit omnia illius familiaria. ita arridẽt, probantur, allubescũt omnia: & quo magis allubescunt, hoc altius radices agit amor in pectore. Nec crebrã tantum cogitationem facit amor, sed intentam quoque, ut uelit omnia amati perscrutari ac nosse. Charitas, inquit sanctus Apostolus, omnia scrutatur, etiã profunda Dei. Amor corporis corporaliter uult iungi, amor animorum animis, ut sit in duobus corporibus animus unus: quæ est maior, & uerior, & diuturnior copula. unde existit idem uelle & idem nolle, & amicus est alter ipse. Aptè Horatius, dimidium animi sui Vergilium appellauit, cui erat amicissimus. Ergo quæcunq; ad amicum pertinent, amicus uocat sua. Vnde Pythagoricorũ lex, amicorum esse communia omnia. & sæpenumero quæ amicorum sunt, diligentius amici curant, quàm sua ipsorũ, recordanturq; illorum, obliti sui. Amor est appetitus fruendi bono, idest se illi adiungẽdi: ut & ipsum amans amati, hoc est boni contactu fiat bonum. Amor concupiscentiæ applicari & adiungi uult ea

coniunctione

coniunctione, qua ſatis fiat uel deſiderio, uel retentioni. uinum bibo, cibum edo: quod olfacturus ſum, non tam propè admoueo: longius etiam ſonos, & quæ aſpicimus: ueſtem applico corpori, aut ſeruo in ueſtiario: pecuniam in arca, aut eo loci, unde me capturum confidam, quum libebit. eſt qui ſe diuitem iudicet ex nominibus codicis: eſt qui ex mercibus in nauigijs, aut in manibus ſociorum, aut procuratorum. non eſt eadem in rebus omnibus charis applicatio apud homines omnes: ea modo quæruntur, quæ uel ad uſum ſufficiant, uel pariant uoluptatem. Amici, qua datur, coniunguntur præſentia corporũ, conſpectu, alloquijs, cõuerſatione, mentione, memoria, quumq; non poſſunt, quantum cupiunt, unà eſſe, ac conuerſari, ſequitur moleſtia & mœſtitia: atq; eo maior, ſi parum ſit, quod coniũctioni obſtet. ita quo abſunt propius, & diſtinentur, hoc ægrius atq; impatientius ferunt ſeparationem. Quin etiã qui functos uita diligunt, quatenus datur, cum illis uerſantur, crebra illorum cõmemoratione ac recordatione, uiſendo loca ubi ſoliti erant conuiuere, & congredi, aſpectu deniq; earum rerum, quæ memoriam illorum renouent. quæ omnia erga abſentes amicos facimus. Hæc in amore coniunctionis expetitio data eſt homini, ut cum uero ſuo bono uelit uniri, qui

Coniunctionis ratio, ac modi.

Cõiũctionis appetitus cauſa quæ.

est Deus: quo uelut Deus quidam effectus, ut sic loquar, cõsors sit sempiternæ beatitudinis illius. hæc demum uera est, solida & fructuosa coniunctio, amorisq; precium amplissimum: cõiunctiones autem reliquæ inanes sunt, & absque fructu. ut si quis ad examẽ reuocet, quid amici in mutuo illo amore expetãt, nihil inueniet esse magis uacuum: nempe esse unà, conspicere sese, colloqui. Amor cum fruendi desiderio torquet, non ex amore, quo nihil fieri potest suauius: sed ex desiderio, quod quum differtur, affligit animum. Sed si spes affulgeat fruendi aliqua, non solatium modo, sed delectationem quoque adfert. nam sicut amor in fruitione magnam habet oblectationem, ita in spe non paruam, imaginatione uelut in rem præsentem adducente. Quo fit, ut cupidorum pleriq; uanas sibi spes comminiscantur: & alijs pollicentibus rei expetitæ successum, facile adhibent fidem. hac uia auari homines crebrò capiuntur à fraudulentis. Amor cupiditatis, intrò respicit ad se: amicitiæ autem, foras ad eum, quem amat. & amans paulatim moritur in se, uiuit autem in ipso amatum. Viuo ego, iam non ego (ait Apostolus) uiuit autem in me Christus. Desinit enim de se cogitare, se curare, sibi prospicere: de amato cogitat, amatum curat, amato prospicit. Hæc est quæ uocatur

tur Ecstasis, quum amans oblitus prorsum sui, totus extra se est, totus in amato, & amatus in eo. quòd si flamma illa intrò se conuertat ac recipiat, minus ardebit foris. Ita euenit, ut qui seipsos amant acriter, frigide alios diligant, omniaq; ad semetipsos referant, & ad ea quæ sibi putant bona: ueluti uoluptates, delicias, honorem, dignitatem, potentiam. Videas quosdam nec uxori, nec liberis, nec alijs charissimis nominibus parcere, dum cupiditatibus suis seruiunt: uidelicet seipsos flagranter amant, ad reliqua tepidi, seu gelidi potius. Amor concupiscentiæ bona optat amato, propter semetipsum: ut dulcedinem & generositatem uino, robur & agilitatem equo, formam atq; elegantiam amicæ, opes benefico: itaque optat ea, quæ bona esse sibi censet. Longè aliter amor bona omnia amato cupit & procurat propter ipsum, non propter se: neque germanus amor est unquam mercenarius, non petit præmium sui, non expectat, quod esset contra amoris ingenium. nam si expeteret, iam non amaret illud quia in se bonum, sed quia sibi expediens. Considerationem boni habet amor, unde nascatur: non utilitatis, quò tendat. exemplum est manifestum in filijs, quos parentes absque ullo prorsum respectu suarum utilitatum, mercedis, fructus, amãt propter

Ecstasis.

Effectus physicus.

ipſos tantum. Talis eſt amor Dei erga nos, talis eſſe debet noſter erga illum. Nam coadunationem non deſiderat amor, tanquam operæ mercedem: ſed eſt meta, quò ille naturæ ſuæ ſponte fertur. Quemadmodum enim non amas te, ut tibi proſis: ſed prodes, quia amas. ſic non amas, ut uelis coniũgi, ſed uis coniungi, quia amas, nec deſideras coniungi, ut delecteris: ſed ad id tamen ſequitur delectatio, ex tactu boni noſtri, & tãquam poſſeßione ac complexu. is eſt amoris fructus, & finis eius deſiderij, qui amorem ante unionem comitatur. Amor autem ut connexor eſt, ita etiã æquator. æqualitatem enim adfert, quantum naturæ rerum ferunt, quas coniungit, ut ſuperiora demittant ſe ad curam inferiorum, ſicuti Dionyſius docet ex Hierotheo: æqualia inter ſe conſocientur, inferiora autem ad ſublimiora & præſtantiora erigantur. Amor pro ijs quos charos habet, meticuloſißimus eſt, & anxius: ut ebrioſus, ne pruina noceat uitibus: amator ne amicam æſtus aut rigor lædat: negociator pauet tempeſtates, amicus amico timet, pater filijs, maritus uxori, uxor marito. & caſta illa matrona,

Quando ego non timui grauiora pericula ueris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Idcirco moleſtus eſt amor omnis erga homines, ac

Æqualitas in amore.

Amor meticuloſus.

res

res humanas. nihil est enim cui non multa timeãtur, quamlibet contra fortunæ casus circũsepto & munito. iucundissimus est erga Deum, de quo nulla ad nos potest redire cura uel molestia. omnia sunt illic tuta, omnia gaudiorum & felicitatis sempiternæ plena. in alijs amoribus plurimum est molestia, in amicitia sollicitamur metu cõtinuo, in cupiditate curis & anxietatibus, in conseruatione sollicitudine: in libidinoso autem quæ sunt incommoda, non est enarrare. Amor in periculo, si sperat se facile posse euadere, cautus est, & formidolosus: ut Thyestes dicit filijs apud Senecam, Vos me facitis meticulosum. si proposita sit difficultas, fiat audacissimus. Amor nunquam esse ocioſus potest. stimulus est enim uoluntatis, quo illa ad actiones & opera instigatur. semper molitur aliquid, & excogitat, quod gratum fore amato putet, quod prosit non amato solum, sed ijs quibus amatus uelit prospectũ. quod si opera non possit præstare, at uotis, desiderijs, bene precando, faustis ominationibus amati commoda prosequitur. optimè ei cupit, & euenisse gaudet: & non euenisse omnino, aut contra animi sentẽtiam euenisse dolet.

Ex amore concupiscentiæ nascitur riualitas, & inuidia. expetũt enim multi, quòd unus possidere solus cupit: ut in amica, & locuplete amico, & quæstu. Riualitas.

Candor. Ex amore animorum nascitur candor, & communicatio. Qui bonum virum amat, rivalem non timet, imò multos vult habere socios affectus sui. ut qui Deum amat, omnes vellet adducere in consortium talis amicitiæ: miserrimosq; esse ducit illos, qui sunt ab ea alieni. Amicus autem, qui solus vellet charus amico esse, non verè ac perfectè amat, sed expetit aliquid sibi utile: nempe ut solus fruatur amici colloquijs, eruditione, divitijs, opibus, fama, gloria, & eiusmodi. Cupit amans offerri grande aliquid & arduum, quod in amati gratiam obeat, gaudetq; si id cõtingat. Ibant discipuli gaudentes à conspectu concilij, quòd digni essent habiti contumeliam pati propter nomen Domini IESV. Nihil recusat amor subire, non graue, non difficile, non humile & abiectum, sive sit supra vires, sive præter dignitatem & autoritatem personæ. omnia ducit sibi levia, omnia decere, quibuscunq; gratificaturum se amato credat. Nec solum dulcis iucundusq; est amatus amanti, sed omnia quæ sunt illi grata: ut filij, propinqui, amici, etiam famuli, & canes. unde est illud: Diligit canem, qui & herum eius. quicquid deniq; memoriã refricat illius, gratum est: ut vestes, sudariola, imagines, loca, & huiusmodi. Nisi fortè amori admixtus sit mœror, tum tristia sunt amati monimenta

monimenta, ut filij, quum obijt immaturè, uxoris, mariti. Et quatenus amans in perpetua est cogitatione de amato, & cura, auocatur calor à uentriculo ad cerebrum, unde sequitur cruditas, & sanguinis exhaustio, & in ore pallor, ac toto corpore: anhelitus item compressio, tum ex intentione uehementi animi suspiria, potissimum uero ad aspectum, aut mentionem rei charæ, tanquam uideatur spiritus ceu graui onere leuari. Accedunt quoque non raro lachrymæ, quoniam ex calore illo capitis colliquescit humor à cerebro, distillans per oculos. Cantillant sæpe ad refocillandum animum, contentione imaginationis defessum: intentissimè atque inconuenienter spectant rem charam, nec aliò deflectunt oculos, utique nec cogitationem. Variant in facie rubor & pallor, ex accessu aut discessu sanguinis. eadem de causa modò feruent, modò rigent: nescium loco consistere. iactatio membrorum crebra atque immodica, perpetua querimonia, laudationes importunæ atq; ineptæ. In amore autem Cupidinis subita indignatio, procacitas, petulantia, crebræ suspiciones, ac uanæ. In amore, inquit Terentius, hæc omnia insunt: iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum. & quæ ab alio Comico in Cistellaria describuntur amoris actiones & opera.

Amans languens

Credo,inquit,ego primum amorem apud homines carnificinam commentum, iactor,crucior,agitor, stimulor,uertor in amoris rota miser:& quæ sequũtur. Ac ut diutius amãtes sint unà,detinet alter alterum inani loquacitate,narratiunculis & fabellis undecunq; petitis:ut mireris,unde tanta uis uerborum possit profluere.Sunt quibus uel perturbata,uel nimium intenta mens non sinit longos sermones facere:unum aut alterum uerbum dicunt,longis interuallis.ut, O amores,uita,spes,suauitas, ô formam cœlestem ac diuinam. Amores omnes concupiscentiæ abblandiuntur:laudant,atque in assentationem transeũt,etiam homines grauissimi si quid ualde cupiunt,seruiunt indignis,& fortissimi timent,& impudentissimi reuerentur,& auari mittunt munera, & demittunt se superbi.cupiunt enim quacunq; ratione animum explere,& desiderio satisfacere:inq; hoc unum intenti,nec personæ,nec ingenij sui habent rationem.per molestias & asperitates ad uoluptates contendunt,ut ambitiosi per abiectionem & seruitutem ad potẽtiam.Dominari ut possint,inquit Ausonius,seruire uolunt.quales sunt,qui in principum comitatibus miserrimam perpetiuntur seruitutem,ut aliquando tandem in regis gratiam,partemq; potentiæ aliquam euadant.reges quoq; ipsi exercitibus

tibus ſuis, hominibus inſolentiſſimis atq; impuriſſimis ſeruiunt: ut per illos tum latius poſsint regnare, tum magis ex libidine animi ſui. Amor ex calore illo ingenti impellit ad grandia opera edenda atq; admiranda quæ uires, ingenium, facultatem excedunt. aggrediuntur res magni animi, ſeu ultro capeſcendis periculis, ſeu fortiter ſuſtinendis. profundunt patrimonia, nec pluris faciunt quàm ſtipulas. Et ſi dederit homo uniuerſam ſubſtantiam ſuam pro charitate, ſicut eſt in Canticis Solomonis regis, hoc uero pro nihilo æſtimabit. Auget idem calor ingeniũ, excogitant rationes acutas, inueniunt conſilia præſentanea, fundunt uerſus, exiſtunt de repente facundi: quorum omnium nihil ſunt prorſum, ſi amor reſtinguatur. Augetur amor & crebra cogitatione de re chara. affigitur enim, & inhæret animo altius: nihilq; eſt perinde amori inimicum, atque oblitio. Quòd ſi quo magis cogitatur, hoc plura occurrant bona, accenditur tanto acrius beneuolentia, quemadmodum eucnit in Dei charitate: idem contingit, ſi qua inſperata atq; inopinata exiſtant bona, quamuis prætenuia. ea enim pro ingentibus habentur, quia præter expectationem: atq; eo magis, ſi contra id quod expectabamus. ut ſi computare ſciat, quem ſolum arare poſſe autumabamus: & ingenioſe

Amor grandiũ operum autor.

Augustija

genioſe reſpondeat, quem nos tardum eſſe ſuſpicabamur. ſcilicet tantum amatur bonum, quantum de illo poſſumus intelligere. Cognoſcitur autẽ res primum, ut ametur: ſed cognitionem eſſe oportet tantam, ut quæ ad eliciendum amorem ſufficiat. Vbi uero cum re chara ſumus connexi, melius eã noũimus, nempe propius. & tũc fruimur. Ex priore cognitione credimus eſſe bonum, in poſteriore experimur: quod ualet in omni amore. quocirca amoris fructus

Fruitio. fruitio eſt, qui eſt delectationis actus, non ſolum uoluntatis, ſed etiã intelligentiæ ut in Deo. Itaq; amor medius eſt inter cognitionẽ inchoatam, & plenam, quæ eſt in unione: in qua deſiderium ſemper abolebtur, non ſemper amor. imò inflammatur acrius, quo plura & grandiora bona in unione inueniuntur, q̃ obtulerant ſe primæ cognitioni, quæ amori dederat originem. Conſuetudo etiam quæ mala reddit leuiora, uel moleſtias ipſas interdum iucũdas, cauſas amori cõtrarias extenuat. itaq; ex ea amor & purior fit, & flagrãtior. Aſſuetos minus offendunt incommoda, non mentis modo, ſed etiã corporis, quorũ præſentem præcipimus doloris ac tædij ſenſionẽ. Nec tantum frequenter recolendo gliſcit amor, uerum amans quæcunq; uidet, auditq;, ad amatum refert, ſiue comparatione, ſiue ſimilitudine, ſiue recorda-

tione

sione aliqua obliqua: semper est uidelicet in conside ratione, & quasi aspectu amati. Crescit itẽ amor, quum quod amari iudicamus dignũ, non amatur ab alijs. cogit se amor in amãtis pectore, & ualidiores uires colligit: ut calor in puteis, & animantium corporibus hyberno tempore. Sic mater exosum alijs filium, impotentius amat. nam si ab alijs etiam diligatur, uidetur uel diuidi & secari in plures, uel motus ille animi accensus indignitate rei conquiescere. ita fit amor minus acer ac uehemens. Nisi forte id amemus, quo uelimus potiri soli: ut in amore cupidinis. Augetur item amor ex commiseratione, ut parentũ erga liberos paruos, inualidos, ægros, pauperes, miseros, peregrinantes, periclitantes: ut in bello, aut nauigatione, aut itinere graui ac difficili. Quo plures sunt causæ, quo maiores, hoc amorem, qui inde nascitur, par est magis intendi: ut si cuiusquam bonitati accedat paternum hospitium, propinquitas, familiaritas, & alia eiusmodi. Cupiditates rerum naturalium terminum habent aliquem. eorum uero quæ nos excogitauimus, nulla est meta, nullus modus: uelut diuitiarum, opum, honorum, potentiæ, gloriæ. quod non ex illorum contingit ingenio, sed ex falsa nostra de illis existimatione. Nos enim illa inuenimus, ad tranquille, placide, beate uitam degendam.

illa

illa uero tum quòd animum ipſum non attingunt, id circo nec iuuare poſſunt: tum quòd ut maximè appli centur, leuia ſunt, inania, nec tantum animi profun ditatem explere ualent, tantum abeſt ut nos beatos efficiant, ut animus in illis tum excogitandis, tũ parandis, tum etiam tuendis incredibiles miſerias ſubeat. Ergo incitatæ ſemel uanis indicijs auaritia atq; ambitio, exeũt in immenſum. Ita enim reputat apud ſe animus, ſi uel pecuniam uel honorem quem expetit nanciſcatur, iucundiſſimè ſe ac beatiſſimè uicturum. nactus autem, eodem loci uidet ſe conſiſtere, ac non raro etiam peiore: neq; illuc mittit cogitatio nem, res ipſas nõ poſſe id natura ſua præſtare, quod ipſe ab eis poſtulat: ſed uicium in magnitudinem rei transfert, quòd nondum ſit tantum conſecutus, quã tum ſatis ſit, ut uoti fiat compos. quare ad alia acquirenda ſe accingit: quæ adeptus, eodem errore inuoluitur. ita cupiditas nullum inuenit exitum, nuſquam conſiſtit: ut iure conqueſtus ſit Pſaltes Iſraelis, Vniuerſa uanitas omnis homo uiuens. Qua de cauſa non uitæ neceſſitates ueræ pariunt, & augent cupidines, ſed falſa noſtra de illis perſuaſio. quemadmodũ in ſenibus, quos Cato Ciceronianus meritò obiurgat, quòd parent eo plus uiatici, quo minus reſtet uiæ: ſed metus id facit, ut opinio neceſſitatum. Con

ſerua-

ſeruatio autem harum rerum, quæ extra nos ſunt poſitæ, ex eodem manat fonte: & iudicium extendit ſe non ſolum ad neceſsitates incumbentes, aut quas exiſtimamus euenturas, ſed quæ poſſent accidere: tũ ad uoluptates, ad quas multi & opes & potentiam referunt, quod per illa parare oblectamenta poßint, quæcunq; concupiſcant. Delectatio quoq; iam deguſtata detinet nos in diuitijs: in imperijs, potentia, gloria: nempe honor, obſequium aliorum, omnes dicto noſtro eſſe audientes, nos nemini. Cupiditas conſeruandi refrigeſcit, quum id quod poßidemus, adeò eſt exiguum, ut non ſit ullis neceſsitatibus futurum remedio, quod faciunt, qui ad inopiam reciderunt, aſpernãtur, & effundunt id puſillum quod reſtat. de quo eſt uetus uerbum, Seram eſſe in fundo parſimoniam. Minuitur amor inter initia haud magno negocio: ideo amorum magiſter principijs monet obſtare. & in tragœdia: quiſquis primo obſtitit, pepulitq; amorem, tutus ac uictor fuit. Et ſicut ualida et crebra cogitatiõe augetur, ita cuerſione animi aliorſum deteritur, ut in occupatiõibus & negocijs uarijs. Ocia ſi tollas, inquit, periere Cupidinis arcus. Quòd ſi in ſcrutatione rei charæ, aut quĩ ex uicino inſpicitur, malicia inſignis occurrat intuenti, aut deformitas, refrigeſcit ardor, & retardatur impetus.

Cõſeruatio.

Minuitur.

Amor quomodo minuatur.

petus. Exoritur quidem nonnunquam amor temerè, nullo uel exiguo ſaltem iudicio: ſed ſi deinceps iudicium accedat exactius, diſſoluitur, niſi in amato cauſæ amoris inueniantur. atq; hoc penitius amor reuellitur, quo fœdius in eo uicium deprehendimus: uelut quum ex ijs uicijs, quæ nos maximè abominamur. uel quum eſt cupiditatibus noſtris contrarium, & noxium: ut quum ad ambitioſum honorem denigrat ad auarum nocet rei familiari, ſegni & pigro adfert laborem ac moleſtiam. Itaq; filij occiderunt patres, & patres filios, regni cauſa: & auarus pater ſumptuoſum filiũ domo exigit. Lacæna filium interemit, quòd è prælio domum rediſſet fugiẽs: & ebrioſi homines uxori ac liberis detrahunt neceſſariũ uictum, ſi non eſt aliunde quod potent. Ad hæc ſi uicium eò ſit ſitum loci, quem nos pulcherrimum eſſe credebamus, & unde amor fuerat progenitus, uehementer nos offendit: ueluti ſi deformitatem in eo depræhendimus, quem de ſpecie amabamus: aut ſi infantiam in eo, quem de facundia: imperitiam in eo, quem de eruditione: infidelitatem in eo, quem de fide: uerſutiam in eo, quem de ſimplicitate: adq; hunc modum in cæteris. nam ſicut bona inexpectata amorem pariunt, atq; augent: ita expectatorum frustratio diminuit, & abolet. Quapropter in amicis, quo meliores

ſunt

sunt, hoc magis roboratur amicitia, quæ diuturna est maximè inter bonos: inter malos autem, non est amicitia, sed familiaritas, & consociatio, aut conspiratio, atque ea infirma & breuis. Nec solum mala amorem restinguunt, sed bona etiam, quum minora sunt expectatione, aut alterius generis: ut quum habet quis multa quidem amanda, sed nobis inutilia, quæ nos utilissima fore sperabamus. Diluitur item amor crebris offensionibus, & eo citius ac leuius in iracundo, & superbo, qui non tam se redamari cupit, quàm honorari. Amici felicitas amicum inuidum abs se arcet, ac fugat. nam sunt qui amicos miseros ualde diligunt, fœlices oderunt: præsertim ubi quis est dignitate euectus. pleriq; enim inferiorum amicorum suspicantur ab altiore se despici, ac pro nihilo haberi. Amantium iræ (inquit ille in fabula) « amoris est redintegratio: quod de amore uenereo di « ctum, non raro in amicitias conuenit. quoniam in re conciliatione renouati animi ualidius inflammatur, tanquam resumptis uiribus ex interuallo offensionis: ut terra fœcundior est à quiete, & caminus ardet fortius guttulis aquæ aliquot aspersis. Accedit, quòd sensus dulcedinis iucundior est post acerbitatem, aut asperitatem. tum dolemus nos offendisse eum, quem habere oportuerat placatum, ita maiore

animo

animo redimus ad amicitiam, & diligentius in posterum cauemus, ne quid existat molestum in amore: qua ratione confirmatur. discordiam tamen esse oportet breuem, & de re non graui: alioqui diriminitur concordia. ut si diutina fuit offensio: uel dixit alter eorum, aut fecit, quod alterum quoties recordatur, male pungat. Eiusmodi iræ non solum amorem extinguunt, ut copia aquæ ignem: sed quãdo inualuerunt, solent in graue odium & rabiem exire. sicut arctius aqua conglaciat, quæ frigori exposita est calens.

Amoris remedia extrinsecus.

Amatori, cuius est præ impotentia affectus mens emota, opus est ut paulatim animus tanquam ex peregrinatione domum reuocetur per musicen, per conuiuia, & epulas exquisitè & lautè apparatas, per uinum clarum & liquidum, etiam si sit opus usq; ad ebrietatem (ut non immerito dixerint ueteres, sacra Liberi pertinere ad purgationem animi) per omne genus lusionum & exhilarationis, foltijs, taxillis, fritillo, contemplatione tapetum, tabularum, spectaculorum, amœnitatum, ædificiorum, agrorum, fluminum, piscatione, uenatione, nauigatione, fabulis, narrationibus festiuis, admirandis, occupatione, labore magno usq; ad sudorem, ut corporis meatus ad expurgationem pateant: ita ut etiam aperiri uenam conducat, quo prior sanguis effluat, succedat

ſuccedat nouus, unde & noui ſpiritus. alio quoque affectu uehementi ſummiſſo, ut cupiditate opum, honoris, metu, indignatione, ira. & hæc oportet eſſe diutina, donec animus in alteram partem inclinans confirmetur, ne in priorem amorem ſtatim relabatur. Hæc de amore quæ potuimus: cuius uires, ut ſunt magnæ, ingentes, incredibiles, ita & nobis inexplebiles. Amore ſumus conditi, amore perficimur, amore beamur. Maxima ſunt amoris, profundiſſima, reconditiſſima & incomprehenſibilia myſteria. Sint tamen hæc à nobis in præſentia ſatis dicta.

DE FAVORE.

PRoximus amori eſt fauor, naſcituŕq; ex iudicio boni alicuius, & eſt quædam beneuolentia: ita ut nullus ſit amor abſq; fauore, fauor autem eſſe aliquis ſine amore poſſit, quũ alicui, quem non amamus, cupimus tamen benefactum. Fauor ergo cum amore fortior eſt & diuturnior, leuior autem & breuior extra illum. Eſt enim fauor, amor inchoatus. nam incipimus amare illum, de quo bene ſentimus, & quem dignum re aliqua bona cenſemus. & uiciſſim erga quem eſt in animis noſtris umbra amoris aliqua, uel gradus, huic fauemus: ut propinquis, conſanguineis, ciuibus, ſocijs, familiaribus: notis Fauor.

item, magis quàm ignotis. nam notitia ad amorem est aditus. Ac quemadmodum fauere linguis, est uocibus bene precari: sic fauere animo, est bene optare ac cupere. Iudicium hoc de alicuius dignitate uel simplex est, & uniuersale ad omnia, unde fauor uniuersalis oritur: qualis est erga simplicitatem atq; innocentiam, ueluti aduersum pueros. illi enim ætati fauetur ab omnibus, sine inuidia. & aduersum animantes omnes nouas, in qua ætate etiã lupis, & leonibus, & uulpeculis parcimus atq; blandimur. Est idem iudicium de formosa facie, quæ est, ut habet Mimus, muta commendatio. Deniq; causæ omnes, quæ ad amorem, ad fauorem quoq; ualent. Est alterum iudicium de dignitate ad unam rem aliquam, ex quo fauor nascitur circa illud unum: uelut in competentia, de magistratu: in ludo, ut quis quid adipiscatur, quo eum censemus uel dignum simpliciter, uel competitore digniorem. Eaq; de causa fauor non raro ex odio suboritur, ut in aduersarium eius quem odimus inclinet, uel in eum cui non fauet inimicus noster, aut contra illum cui fauet. Existit item fauor ex misericordia: ut quum quis est ab aliquo iniuria affectus, qua non est dignus, alia in re cupimus illi id detrimentum resarciri. Olim Athenis dux quidam capitis reus prætură petijt, ut post repulsam magistratus facile

tus facile iudicio absolueretur, tanquam animi ex sa tietate ultionis in misericordiam uersi ob repulsam, inciperent iam fauere. Eodem è fonte est, Iniquum petendum, ut æquum auferas. Sed in alijs quoq; miserandis exempla sunt innumera. Fauor quum non est amore fultus, res est quæ leuissimis de causis tollitur: & eo citius, si contra rem nostram aut nostrorum tendat, sicuti si quid in eo fauore insit uel damni, uel periculi, uel molestiæ. Quod iudicium de dignitate temerè est, exiguáq; de causa susceptum, leuissimè quoq; ponitur. Cui enim precio inducti fauimus, huic uel persoluto precio tanquam causa sublata, desinimus fauere: uel non persoluto, ex indignatiõe male uolumus. Si cui ex odio aut inuidia alterius fauimus, residente illo animi motu, flaccescit fauor: quæ quotidie in certaminibus, & ambitione ciuili contingunt.

VENERATIO SEV REVERENTIA.

VEneratio ex iudicio magni boni oritur, quod bonũ nobis non nocet. nam si nocere existimemus, aut nociturum, metus est. Habet nihilominus ueneratio omnis metus aliquid, pudorisq; admistum. est enim compressio seu contractio animi, ex cogitatione magnitudinis bonæ, aut certe nobis

innoxiæ. Posita est autẽ ueneratio in collatione magnitudinis cum paruitate uel suametipsius, uel alienа, quam nos tamen non habemus pro exigua: quippe ueneration omni est admiratio adiũcta: quæ non admiramur, ea neq; reueremur. Et sicut ex reputatione suæipsius magnitudinis dilatatur animus, ita ex reputatione alienæ comprimitur. Vnde nascitur suimet detractio æstimationis & despectus, qualis est nostri ipsorum, quum ad diuinæ maiestatis reputationem mens se sustollit. Scitè Ouidius:

Protinus intrauit mentes respectus honoris:
Fit precium dignis, nec sibi quisque placet.

Porrò honor non est, sicut Aristoteles existimauit, & eum plerique gentiles sequuti, precium uirtutis: sed testificatio, qua testamur nos sentire atq; existimare uirtutem in illo inesse, quem honoramus. Ea uero exterior est significatio, qua declarat animus summittere se celsitudini, uaria apud uarias gentes. nostris quidẽ, poplitem flectere, genu ponere, quæ sunt deijcientis se: caput aperire, quod est Græco & Romano more seruitutis indicium, sicut pileus libertatis: loco & uia cedere, assectari, deducere, reducere, quibus fatemur illũ esse potiorẽ: silentium, quo uel audiẽtiam damus, uel metuimus reprehẽsionem: uerba nostra, quæ præstãtiam illius declarent.

Sed

Sed nulla eſt tamẽ amplior, quàm quum admiratione excellentiæ animus ita obſtupeſcit, nullam ut ſignificationem exteriorẽ poſsit edere, attonitus, & extra ſeipſum raptus. ſtupefacit enim animũ ingens ueneratio, & cogit ſui ac debitorum officiorũ obliuiſci. Ita coram ſenatu uel multitudine præſtantium uirorum, aut apud magnum aliquem principem dicturi ſæpenumero ſibi exciderunt, ut ne uerbũ quidem poſſent proferre eorum quæ cogitarant. Tum inſignem aliquem aut præcellentem uirum ſalutantes, obliuiſcimur crebro & alijs qui adſunt debitum honorem impartiri, intento prorſum animo in unicam uenerationem illius. Sed hæc bonorum amplitudo pro cuiuſq; animo cenſetur. alij aliter exiſtimãt, ut in omni uita. In Deo præter cæteras excellentias duæ ſunt maximæ potentiæ, ac bonitatis. ſub potentiam uenit ſapiẽtia: quæ in terris imaginem referunt potentiæ, pariunt uenerationem: quæ bonitatis, charitatẽ. Eſt potentia ad agendum bona, eſt ad reſiſtendũ malis. In externis bonis, quo in genere ſunt principes & homines opulenti: in corporeis, cuiuſmodi ſunt ualentes & formoſi, propter coniecturã naturalem, ſimilem intus habitare animũ. unde eſt illud: Species digna imperio. In animo ſunt animoſi: in mẽte ſunt prudentes, ſacũdi, eruditi, ſapiẽtes: in uolun-

Diuiſio excellentiæ.

tate ſunt iuſti, moderati, fortes, conſtantes, & inui-
cti à caſibus, inſultuq; eius quã uocant fortunã. Bo
nos autem, hoc eſt iuſtos, moderatos, tẽperantes di
ligimus magis q̃ reueremur: etſi quidam, qui reliqua
bona omnia nõ magnifaciũt, plurimũ iſtis reuerẽtiæ
Maieſtas. deferunt. Maieſtas eſt ſupremus honor erga ſumma
bona, à maiori dicta: quaſi honor in mediocribus
uerſetur, maieſtas in maximis. & ſi honor maieſta-
te eſt latius quiddam, nẽpe genus, ſed ſermone com
muni diſtinguuntur. Poetæ feſtiuiter finxerunt Ho
noris & Reuerentiæ filiam eſſe Maieſtatem. quam
fabulam Ouidius in quinto Faſtorum, facetiſſimis
uerſibus perſequitur. Ex reuerentia amor prodit, ſi
magnitudinẽ cenſeamus bonitate temperatam: qua-
lis eſt in Deo, qui ut eſt maximus, ita & optimus. ti
mor autem, & hinc odium, ſi noxiam nobis uel eſſe
ſuſpicemur, uel fore: qui affectus tenet eos, qui ſo-
lam Dei potentiam reputant, iudicijq; ſeueritatem
extra clementiam. Acutè ille: Qui apud te audent
Cæſar dicere, magnitudinem tuam uidentur igno-
rare, qui non audent, bonitatem. Admiratio tuetur
reuerentiam, itaq; admiratione conſumenda deteri-
tur ueneratio. ideoq; uſus & familiaritas ueneratio
nem adimit. quemadmodum ferunt in Apologis de
uulpe, quæ ad primũ leonis cõſpectum exanimata,
tertio

tertio iam congressu cœpit cum illo familiarius lusitare, adeò ut apud homines rudes & crassos non solum pereat familiaritate reuerentia, sed transeat sæpenumero in contemptũ, sicut ille ait in Comœdia. Conseruatur nihilominus in usu & cõsuetudine ueneratio, si ij cum quibus uersere, intelligẽtes sint uerę magnitudinis, quã eo colunt ardentius, quo propius admotam certius ac subtilius cõtemplantur, uel si quotidie aliquid sẽ nouum proferat in magnitudine, uel si tanta ipsa sit, ut facile semetipsa à contẽptu uel neglectione uendicet. Verba & facta grauia, uirilia, cõstantia, sublimia, sine uanitate & manifesta arrogantia, qua nihil est inuisius, magnitudinem decentia, tuentur ueneration em: contrà eleuant eam uerba & facta puerilia, muliebria, ludibunda, scurrilia, lasciuia, leuia, uana, inconstantia, demissa, abiecta, ab excellentia illa aliena atq; abhorrentia: tum etiam arrogantia, fastidiosa, iactabunda, iracunda, minacia. Non bene conueniunt, nec in una sede morantur, Maiestas & Amor, ait Poeta quidam. uidelicet amor officij sui & dignitatis oblitus ab- blanditur, precatur, deijcit se, ineptit, nugatur: inter quæ ueneratio prorsum elliditur, quæ alioqui tenues admodum & debiles iacit radices, quæq; leui motu extirpentur. Tollitur enim ueneratio, sublata

opinione eius excellẽtiæ, unde fuerat orta. Ea porrò opinio facillime diminuitur, propterea quòd omnis hominum præstantia uilitate est commixta, quæ ex imbecillitate nostra citius sese foras profert, quàm lenta excellentia. Nostra etiam iudicia ex depraua-tione naturæ, quæ uiciosa sunt, aut mala, celerius apprehendunt, tanquam sibi cognata, & similia. Ad hæc amor cuiusq; erga semetipsum inconsultus, un de superbia capit originem, efficit ut & cupiat, & libenter credat se ab altero non excelli. Affectus penè omnes concitati uenerationem impediunt, & cogunt conquiescere: ut ira, inuidia, odium, amor, non solum erga uenerabilem, sed etiam aduersus a-lios. scilicet perturbatur iudicium, ne possit aut no-lit rectè de præstãtia statuere: adeò ut præsente uel inimico, uel despecto, signa reuerẽtiæ in alium con sultò omittamus, ne uideamur eum, quẽ odimus, aut contemnimus uenerari. quod fecisse Aeneam sacri-ficantem ferunt, qui prætereunte Diomede adora-tionis cultusq; diuini exteriores notas intermisit, ne honorem eum hosti habuisse uideretur: quod con-tingit crebro in uita communi. Nisi fortè alius affe-ctus maior urgeat, qui nos signa illa cogat edere: uelut cupiditas, aut metus. ut quum timemus, ne illa nobis officij prætermissio noceat, aut speramus ali-

quid

quid uel cupimus ab illo, quem ueneramur. Vitium & uilitas in rebus alijs, quàm unde cœpit uenera-tio, quàm est cũ excellentia illa iudicio nostro con-iuncta, tam deterit uenerationem. Si enim ex iudi-cio est nata prudentiæ, infirmitas corporis, aut igno bilitas nihil eam lædit: deterit autem sermo rustica-nus, educatio parum urbana, iracundia. Et si sunt quidam, qui in uno aliquo statuentes fontem bono-rum omnium, ei qui sit fontis huius expers, nullum credant inesse bonũ posse præstans, & uenera-tione dignum: ut quidam in claritate natalium, quidam in eloquentia, alij in grammatica, aut scribendis uersibus, alij in decore formæ, plerique in diuitijs. Multi stultè ac iniquè diuersissima coniungunt, ue-lut uestitum, ingressum, sessionem cum eruditione: ut qui illa non habeat satis ad ipsorum arbitrium composita, hunc nec eruditum esse iudicent. sicuti nec magnatem, qui non loquatur superbè, & pra-uè scribat: nec bonum militem, qui non ad uerba singula deieret.

DE MISERICORDIA ET SYMPATHIA.

MIsericordiam Aristoteles finiuit dolorem de malo, quod nobis uidetur accidere indigno. id uero malum dicit esse φθαρτικὸν, seu quis di-

cat corruptiuum, aut corrumpens: quales ſunt morbi, mors, fames, ſitis, tormenta, plagæ, ſpoliatio. & quæ ſunt eiuſmodi, quod fortaſſe ab eo poſitum eſt. quia non de rebus Naturæ diſſerebat, ſed de præceptis ciuilibus. reliquarum enim rerum commiſeratio in curiam & forum non uenit, ſed omnia malorum genera in hãc affectionem incidunt. miſeramur deformes & mancos & tardos & rudes & ſtultos & improbos. Indigni ſunt malis noſtra opinione boni uiri, & qui recte functi ſunt officio, tum innocentes ad eam pœnam quam perferunt: & homines uniuerſaliter innoxij & ſimplices, ut infantes & pueri & mente capti: tum qui malis illis ſunt impares, ut mulieres, ſenes, ægri, delicati, laboribus magnis & ærumnis: adde ijs, qui magna ſunt fortuna deturbati. illi etiam, quibus nõ licuit bonis ſuis frui: ut quum uir magni ingenij in medio ſtudiorum ſuorum curſu tollitur, ſicut Io. Picus: uel deſtinatus magnis opibus, ante obitam hæreditatem obit mortem, uel deſignatus magiſtratus non potuit honorem capeſcere. Eo eſt autem miſeratio intentior, ſi pro bonis ſperatis incidit in mala inopinata: ut regni hæres in captiuitatẽ & ergaſtulum. quale eſt quod impiorum animis quotidie accidit, nec nos miſeret.

Qui fortiter & uiriliter perferunt ſuas calamitates,

tes, magis uidentur illis indigni: eosq; sæpius misera
mur, qui misericordiam non implorant. Pericula,
quoniam malis sunt proxima, misericordiã mouent:
ut in bello, & nauigatione, & uia latrocinijs infa-
mi. Si qui sibi ac suis malum accidisse putant, in mœ
rore sunt potius, quàm in miseratione. quòd si quis
indigno sibi, aut charißimis suis accidisse existi-
met, adiuncta est mœstitiæ miseratio: quod licet de-
prehendere ex uerbis, quibus conqueruntur imme-
rito se malis illis premi: quæ est suimetipsorum com-
miseratio. Similitudo & sympathiam efficit, & mi-
sericordiam mouet, ut erga similes ætate, moribus,
constitutione, studijs, dignitate, genere. Sympathia
est uelut tactus unius facultatis, cui aliæ facultates
similes concinunt, quemadmodum ferunt in duas
chordas diuersarum lyrarum ad eũdem tonum ex-
tentas, alteram alterius tactui accinere, & respon-
dere. Plurimũ animus afficitur ijs alienis malis, quæ
tanquam ex uicino contemplatur sibi etiam immine
re. Inter similia autem transitus est facilis. uidelicet
quæ longius spectat animus, negligit, tãquam ad se
non pertineant: ut mediterraneus homo graue nau-
fragiũ, uel monachus ærũnas militares. Festiue phi-
losophus quidam & acute, rogatus à quodam quasi
per contumeliã, cur homines diuites citius cæcis &
surdis

surdis & claudis elargirentur, q̃ philosophis egenti
bus, illosq; multo facilius miserarentur, quàm philo-
sophos: Quoniam, inquit ille, diuites homines citius
surdos se & cæcos fore existimant, quàm philoso-
» phos. Ideo & qui per ebrietatem magnæ felicitatis
exemptos se humanæ sorti arbitrãtur, immisericor-
des fiunt: uidelicet non putant casus humanos ad se
peruenturos, qui se loco tutissimo arbitrantur con-
» sistere. Qui in extremis quoq; malorum uersantur,
aut in eorum malorum magno discrimine, nullorum
eos miseret. Non enim timent se peius habituros, &
asperitas malorum sensum illis humanitatis adimit:
tenerumq; illud animi ac molle amiserunt, in quo est
compassio. Nihil æque est secundum hominis natu-
ram, ut afflictos miserari, quem affectum miror
Stoicos in bono uiro conatos reuellere, quod fieri
nec potest, & contra rem est humani generis. quip-
pe nascitur ex similitudine quadam, congruentiaq;
humanorum animorum inter se: nec aliter potest ani
mus facere, quàm ut dum aliena mala intuetur, uel
de seipso cogitet, se quoq; illis ipsis malis obiectum,
atque obnoxium uiuere, uel certe compatiatur, &
similem sui naturam illis afflictari incommodis do-
leat. Quod si amor omnia reddit non solum com-
munia, sed unum, quomodo potest amicus non do-

lere

lere dolente amico? quomodo potest idem animus do lere in uno amicorum, non dolens in altero? Si ergo sapientiæ ac bonitatis præceptum est, ut amore inter se homines deuinciantur, tanquam nodo sacratißimo, eamq; ad rem ficti & appositi à natura sumus: profectò & natura, & sapientia, & bonitas misericordiam nobis indunt, atq; indicunt. Iam uero sublata misericordia, quid in eius locum ac uicem reponis? duritiam, immanitatem, crudelitatem, inhumanitatem. hoc scilicet expedit humano generi, ut humanitate exuta crudelitatem induat? At dicit Seneca: Possum adiuuare afflictum, & misero opem ferre, sine dolore illo, & miseria animi, quam uos misericordiam nũcupatis. Potes tu fortasse aliquando, non poteris semper, non poterunt alij, quibus opus est interno ad progrediendum calcari. Quid quum non habes, quo opituleris, an non saltem animus tuus alienis malis flectetur, & ad te quoq; mala illius pertinere declarabis? Non est opus longiore disputatione, hæc est clausula, non potes adiuuare, nec opem ferre afflicto potiorem, quàm si dolenti condoleas, nihil est quòd animi ægritudines & mala grauißima perinde alleuet ac consoletur, ut communicatio doloris: nullum est auxilium uel gratius, uel efficacius, Quid potest miserabilius cuiquam, aut

quam, aut desperatius in uita contingere, quàm existimare se nulli esse miserabilem? quid gratius potest uidere miser, quàm alienas lachrymas cum suis consociatas? Sed Stoicos dimittamus, qui se, quos natura homines condiderat, scholasticis cauillatiunculis saxa uoluerunt reddere: nec sunt tamen assequuti. Exequamur, quæ restant propositi. Affectus est misericordia mansuetissimus, & hominum generi magno suo bono à Deo tributus, ad opem mutuam & consolationem uariorum casuum, qui incurrunt in uitã, in quibus amoris defectum supplet misericordia. Quod de malis, quibus nos uicini sumus atq; obnoxij, est dictum, idem ad propinquos, & necessarios, & charos nobis transferatur. compatiuntur enim facile, ac miserentur, qui uxores, aut liberos, aut nepotes, aut sibi amicissimos habent eisdem malis obuios, & quasi obiectos. ideo senes misericordes sunt, quia omnia timẽt suis. Mollicies cordis sympathicos & misericordes efficit, adeò ut quidã eos quoq; miserentur, q in malis uersantur, quæ sunt commeriti: ut pueri & mulierculæ, quos latronũ & parricidarũ miseret, uel quũ cæduntur uirgis. Contrà duricies cordis miserationẽ restinguit, ut in ira, in militia, in latrocinijs, in ijs qui minus considerant quid sit malũ, uel ex hebetudine naturæ suæ, quales sunt

Misericordiæ causa, finalis.

ſunt ruſtici: de quibus non immerito dixit autor eorum Vergilius: Nec doluit miſerans inopem, aut inuidit habenti. uel ex cupiditate eorum, quæ ſibi censent bona. Imprudentes & inexperientes facile ac multum exiguorum malorum miſerentur. Generoſi quoq; animi & ſimplices, ualde miſericordia tãguntur: ut adoleſcentes, & principes. Experti uero, & prudentes magnorũ, parua pro nihilo ducunt: ut ſancti uiri, iacturam animarum in populis grauiſſimam cenſent, de corporibus utcunq; commouentur, ſed propter animas: fortunas autem negligũt, ac rident.

Miſericordiæ opera.

Opera miſericordiæ amoris operibus ſunt ſimilia, & miſericordia ex amore profluit: uiciſſim amor miſericordia inualeſcit, ut matris erga filium ægrum, aut afflictum, aut peregrinantem. Nullus affectus adeò habet promptas lachrymas, ac miſeratio: adeò ut qui ſuis malis non illachryment, ad aliena quaſi uicti lachrymẽtur. quorum utrunq; eſt mirifice decens, honeſtum, liberale. Fit etiam perſæpe, ut quidam qui alienis malis dant lachrymas, ſuis non poſſint, tanquam oppreſſi magnitudine ægritudinis ac doloris. quemadmodum tradunt Amaſin Aegypti regem uetuſtiſſimum, amici mortem defleuiſſe, non filij. Dicunt miſericordiam oculis maxime commoueri, quemadmodum Horatius inquit:

Miſericordia oculis maxime commouetur.

Segnius

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.
Idcirco olim Romæ ad captandam misericordiam parui liberi producebantur in forũ, aut concionem, & prodibat reus sordidatus, & atrati amici: & ostensæ sunt plagæ, aut cicatrices in pectore denudato, & uestis cruentata, & imago rei gestæ in tabella depicta. Non dubium quin hæc ad uulgus plurimum ualeant, quippe quod sensibus ducitur. qui uero magis cogitatione ac mente, hi citius commouentur apta & congruenter expressa narratione rerũ. Nec pauci sunt, qui fabula uel historia mouentur: in re ipsa, si coràm contingeret, penè immoti. Scenicis actoribus, inquit M. Fabius, eadem uox, eadem pronunciatio, plus ad mouendos affectus sub persona ualet: scilicet adiuuatur affectus audiendo, phantasia, & cogitatione. Proficit res ipsa miserabilis ad eliciendum affectum, adhibita dicentis arte, uelut explicata malorum grauitate, indignitate illius qui sit perpessus: quanto dignior bonis, quàm malis: multo minus dignus hisce malis, ab his, hoc tempore, hoc loco, quæ sunt ex fontibus probabilitatis. tum admonẽtur auditores filiorum, uxorum, rerum charissimarum, deniq; suimetipsorum & communis sortis. Præcipiunt artis magistri, ut quæ miseratio dicentis

centis arte, nõ naturæ ſuæ uiribus lachrymas elicit, ſit breuis: nihil citius areſcere eiuſmodi lachrymula.

LAETITIA ET GAVDIVM.

Lætitia eſt motus animi ex iudicio præſentis iam boni, uel pro certo appetẽtis. Auerſio mali, pro bono eſt. niſi quòd in bono ſemper eſt lætitia, in diſceſſu autem mali non ſemper: ut quum ſolum ægritudo incumbens tollitur, non ſubit autem contraria lætitia: aut ſi ſubit, læuis eſt, quæ hilaritas nũcupatur. eſt enim hæc lætitia remiſſa. Ex iudicio uero uel alieni boni, quod nobis placet, modo ne is ita charus ſit ut unum ſit nobiſcum: tum ex bonis aliquando euenturis, aut præteritis, aut etiam ex malis tranſactis, motus quidam exiſtit iucundus in animo lætitiæ quidem ſimilis, non tamen proprie lætitia, ſed gaudium: qualis eſt etiam in noſtris bonis, quum ea moderate ſumimus. Lætitia enim concitationem habet uehementem. eſtq; ferè de eo, quod ualde deſiderauimus, aut pro quo contendimus, ac laborauimus: aut quod de repente cõtigit præter opinionem noſtram, uel expectationẽ. quo exagitatu dilatatur admodũ cor, adeò ut etiã mors interdũ cõſequatur: uelut in illis mulieribus bello ſecundo Punico, quæ quum filios ſuos, quorum eſſet mors nunciata, de repente ſoſpites aſpexiſſent, exanimatæ ſunt. Celerius q;

Hilaritas.

Gaudium.

Mors ex lætitia.

riusq; ex ingenti lætitia expirarit quis, quàm ex im
modica ægritudine. Ab eadẽ cordis dilatatione exi-
stit risus, atq; exultatio, quum iam pectus coercere
non potest suum cor: tum gesticulatio, & quandoq;
demẽtia. Lætitia moderata, seu hilaritas, & gaudiũ,
calore suo purgat sanguinem, ualetudinem confir-
mat, colorem inducit florẽtem, nitidum, gratum. si-
cut est apud Sapientem: Cor lætũ pro medicina est,
spiritus tristis exiccat ossa. Qui molli sunt corde,
facile mœrorem & lætitiam recipiũt, ut sigillum in
cæra: qui duro, & calido, lætitiam cito capiunt, &
diu retinent. sicut contrà, qui duro & frigido, mœ-
rorem, ut in atra bili. est enim mœror affectus ter-
restris, frigidus, & aridus: lætitia autem, calidus &
humectus. idcirco ea facile in pueris, & iuuenibus,
et bene ualentibus nascitur: tum ocioſis hominibus,
et securis. nam metus lætitiam impedit, præsertim si
sit rei maioris, quàm de qua est lætitia. item in uere,
locis item temperatis, amœnis, in festis, celebritati-
bus, conuiuijs. In lætitiæ aduentu, ne ea impediatur,
multi eos obices, qui occurrũt, amoliuntur, & mole
ste ferunt se interturbari, quasiq; interpellari de cur
su rei iucũdæ. itaq; de re tristi nolũt audire, ut initio
festi. ludorum, cõuiuiorũ, de morte, de parsimonia,
de egestate, de negocijs publicis aut priuatis, de seue

ritate

ritate uirtutis et frugalitatis. odiosa sunt hæc omnia per id temporis. consumpta autem lætitia, audiũt facile, & magis ad ea cõmouentur, quàm unquam antea, nempe ex recordatione fugacitatis rei lætæ. celeriter enim uidentur auolare, quæ placent: seu quia refrigerato iam corde, facile seueriores cogitationes admittunt. Lætitia tanto est maior, quanto nos maius bonum nactos esse iudicamus: uidelicet amplum, nouum, rarum, inusitatum, quod'q; pauciſsimis contigerit, ijs'q; præcipuis & honoratiſsimis. minor est, in contrarijs horum.

DELECTATIO.

LAetitia est primus uel aduentantis boni motus, uel iam impliciti atq; adiuncti. post illum autem quum resedit animus, & bono sibi cõgruenti fruitur, & acquiescit, uoluptas est, seu delectatio: quã definire licet, acquiescẽtiam uoluntatis in bono sibi cõgruenti. Sæpe admonui, nõ referre affectus, rem ita esse, nec ne, modo esse existimetur. Quidã enim sola phãtasiæ actione id consequũtur, ut in maximis sibi bonis uideãtur uersari: sicut ille apud Horatiũ, haud ignobilis Argis, Qui se credebat miros audire tragœdos, In uacuo solus sessor plausor'q; theatro: nota est fabula. quod est affectibus omnibus cõmune. Delectatio sita est in cõgruẽtia, quã inuenire

non est sine proportionis ratione aliqua inter facultatem & obiectum, ut quædam sit quasi similitudo inter illa. tum ne notabiliter sit maius, quod adfert delectationem: nec notabiliter minus; quàm ea uis, quæ recipit uoluptatẽ, ea utiq; parte qua recipitur. Ideo mediocris lux gratior est oculis, quàm ingens: & subobscura gratiora sunt hebeti uisui. eundem in modum de sonis: quo fit ut notis carminibus magis capiamur in cantu, quàm ignotis. Additur autẽ, qua parte recipitur. nam potentia in eo facultatis expenditur, & obiecti applicatio. alijs' auribus idem soni uasti sunt, alijs moderati: & qui sonus in proximo erat immodicus, paululum si recedat, moderatus censebitur. & Deus, qui est undiq; immensus, capitur ad delectationẽ ab ea parte animi, quæ habet quoq; suam immensitatem: & capitur ea ratione, qua potest illi accommodari. At quemadmodum differẽtia est inter sanitatem & uoluptatem (neq; enim ualere est delectari, quod falso Epicurus credidit) ita est inter recreationẽ & delectationem. Nam & si mul

Recreatio. tæ recreationes uoluptatis naturã obtinent, & uim, non omnes tamen. quippe remissio uel mutatio laboris etiam à minore ad maiorem, lusus, confabulatiunculæ, haud raro non perinde animum delectant, ac refocillant & reficiũt. ita capacius quiddam est re-

creatio

creatio, quàm uoluptas. Recreat utiq; omnis uoluptas, non omnis recreatio uoluptate afficit. In unaquaq; facultè, qua animantis cognoscit, inest delectationis uis: uelut in sensibus externis, internis, in mente. & ut quisq; plurimum est alicui facultatum earum deditus, ita delectationibus illius uehemẽtissime capitur. Populus sensibus, sapientes menti sunt addicti. ut est cuiusq; uel facultatis uel rei iucundæ natura & qualitas, ita delectatio excellens est ac generosa, tum etiam pura, & diuturna: uel contrà uilis, & sordida, breuis, molestiæq; admixta, ac perturbata. Infima omnium est, quæ ad sensum tactus pertinet, uidelicet terrestris. paulo honestior, quæ ad gustum: sed nihilominus pecuina. leuis est in odoratu, qui sensus in homine hebetissimus est. nec tam est odor suauis gratus, q̃ teter & fœtidus molestus. Aures, quæ ad aerem pertinent, aliquid habent pulchrius. oculi, qui ad igneam natur̃a, & æthereæ proximã, cæteris præstãt sensibus. Celsiores istis sunt inferiores animi uoluptates: purissimæ autem ac celsissimæ omniũ, quæ ad mentem spectant: & in mentis muneribus, quæ ad cõtemplationem. Voluptates tactus & gustus nõ sunt durabiles. cito enim hi sensus defatigãtur, multumq; secum trahunt grauitatis ac molestiæ: diuturniores sunt aliorum sensuum, &

Delectatio recipitur ab aĩ facultate cognoscẽte.

Cuius facultatis delectatio cuiusq; delectat.

Quarum facultatum delectationes excellentes, puræ, diuturnæ sint, & contrà.

1. Tactus delectatio uilissima est,

2. Gustus.

3. Odoratus.

4. Auditus.

5. Aspectus.

6. Aĩi uoluptates.

7. Mentis uoluptas.

8. Contemplatio.

Duratio delectationum tactus & gustus.

3. purissimas

inter eos aſpiciendi uis longiſſime uoluptatem ſuam haurit. Delectationes phantaſiæ ſtabiliores ſunt, q̃ ſenſuũ. quo fit ut cibi, potus, rei Venereæ, muſices, ſpectaculorũ cito ſatietas irrepat: non item poſſeſſionis, uel acquiſitionis pecuniæ, potentiæ, honorũ, gloriæ, quæ ſunt in phantaſia & decepta opinione. In mẽte ſunt defecatiſſimæ ac diuturniſſimæ, quibus illa nõ defatigatur, ſed reficitur. tales illic ſunt, quales nemo niſi expertus adduci poſſit, ut credat. Sed documento eſſe poſſunt ij, qui rerũ omniũ iacturam facile ac libẽter pertulerũt, ut libere illis atq; ex animi ſui ſentẽtia liceret perfrui. Quæ in contẽplatione ſunt uoluptates, ex natura illarũ ſunt, quibus nos in æternitate beatiſſimi reddemur. idcirco Pythagoras eam uitam dicebat eſſe omniũ præcellentiſſimã, & Ariſtoteles finem bonorũ in contẽplatione collocauit. Hæc quidẽ in uero et recto hominis habitu, qui per delictum corruptus, et tanq̃ graui depreſſus onere, uergit deorſum, reſq; inferiores ad ſeſe reficiẽdum atq; oblectandum quærit. ita diſcedit à contemplatione rerũ altiſſimarũ ac præſtantiſſimarũ, ad ea quæ ſunt actionum uitæ, & uerſatur in politica, reiq; uel publicæ adminiſtratiõe, uel domeſticæ. Sũt qui ne hunc quidẽ aſſenſum ferunt, fabellis recreantur, & rerum geſtarũ cognitione ſola ac memoria.

Alij operibus tenentur, quæ exercemus manibus: ut ædificatione, textura, ſutura, plaſtice, pictura, & eiuſmodi. Alij ne tantũ quidem poſſunt animũ intendere, laxiſſimis utũtur animorũ remiſſionibus: ut luſionibus, uel inerti ac torpido prorſum ocio. Delabũtur quidã ad uoluptates, et ſenſuũ illecebras, uſq; ad deiectionẽ illam brutalis ingenij, quæ fit à uoragine uoluptatis immodicæ mẽte abſorpta. Hinc iã non poteſt magis homo deſcẽdere, trãſit ad obliquitatẽ, ut omnino à ratione & iudicio deflectat. excogitauit nobilitatẽ, decus, famã, gratiã populare, et quicquid in fortuna ad uanitatẽ ptinet. deniq; uellet. ſi poſſet, mẽtẽ exuere, ut depoſita illius ſeueritate diſſolutius ſe in oblectamẽta immergeret: id quia per ſe non audet facere, retrahẽte exiſtimationis cura. interponit perſonã per quam faciat, infantẽ aliquẽ dicaculum, uel morionẽ, aut ſcurrã, cũ quo citra dedecus ſtulte ſcat. adeò uel tener factus eſt animus, ut nullũ ferat pondus: uel depreſſus, ut nutu ſuo deorſum feratur. Mens non eget interuallis fruendi ſuis uoluptatibus: ſenſus egẽt, & quidem crebro. Mens delectationes delectatiõibus mutat diuerſorũ generũ, maiores minorib. et uiceuerſa. luſus enim, et cogitationes remiſſiores de leuibus aut iucũdis rebus, actiones ſunt, & oblectamẽta ingenij. ſenſus autẽ ocio et quiete et re

3 4 5 6 7

Epipheoma.

Pejoris Voluptatis magis impedimenta ab ſenſu et aliquod ſenſuum et ea ad ſenſum ſequentes delectationes in ſenſibus, non ad ipſum in mente.

In ſenſibus Voluptas prior ſine in rationalibus poſterioribus ea obſtruit. Ideoque Voluptas ſenſuum.

ceptu quodam in se indigent, ut nihil agant: quum mens cessare atq; interquiescere non possit. Ab ocio & intercapedine maiores sunt uoluptates in sensibus, quas (ut inquit ille in Satyra) commĕdat rarior usus, & incitatiores ex irritatione contrarij, ut cibus à fame, potus ex siti. Voluptates corporis & animi extrudunt sese mutuo. dediti corporeis, illas quæ sunt in mĕte non percipiunt: & è cõuerso. pugnant uero inter se maxime, ut quæq; sunt præstantissimæ ac uilissimæ, nullumq; patiuntur commercium mutuum. Omnem delectationis uigorem diutius & purius afficiũt naturalia, quàm artificialia, aurea enim & argentea, & picturas, siue elegantes, seu artificiosas, & domos instructissimas, & uestes uel artis exquisitæ uel precij uel uenustatis, si quis ter aut quater aspexerit, ita exatiabitur, ut amplius molestiæ ducat intueri: prata autem, montes, hortos, ualles, fluuios, cœlum, mare, nũquam exatiamur uidendo & contemplando. nimirum quod unumquicque eo delectatur, quod sibi est aptum & conueniens. Nobis, qui naturales sumus, magis opera naturæ congruunt, quàm nostræ artis. Accedit huc, rei perfectio, quæ maior est in quocunq; naturæ quàm artis opere. quin & arti ipsi naturæ opera magis & probantur, et placent, quàm sua ipsius, semperq; illa cupis

cupit, & affectat ars imitari, ac effingere. Quod si artificibus cõcederetur, mallent utiq; edere sua opera naturalia, q̃ artificialia. & qui proxime accesserunt, præclare secum esse actum existimarunt, eoq; magis probãtur ad spectatores. Raritas & industria precium addunt ijs, quæ prodeunt ab arte. miramur enim eatenus posse ingeniũ progredi, & id potuisse exprimere. denique mutatio omnis, modo sensibus noua, iucunda est: ut in pantomimis, in psitacis, in pueris, quum fari incipiunt. Et admiratio uoluptas q; ingentium & stupendorum naturæ operum, uel assuefactione deteritur, uel occultatur sub nostra inconsiderantia. Intenti enim agimus semper in res uiles. magna hæc & mirabilia non uacat suspicere, & speculari. Leuis molestia magnam sæpenumero & acrem delectationem diluit: propterea quod & constitutio nostri corporis, et cursus ætatis in peius semper uergunt. ita paruus dolor maiores uires nãciscitur ex nobis ipsis, ad nos contrahendos ac prosternendos, quàm delectatio ad erigẽdos ac dilatandos: magnisq; uiribus est opus, ut hoc nutans corpus fulciatur. Iam uero uoluptatibus facilius caremus. q̃ afficimur dolore. Illud priuationis est, hoc existentiæ. in priore nihil amittimus, in posteriore affligitur sensus, & rectus illius habitus tantisper aufertur.

Raritas & industria delectant in rerum ijs. Ratio.

Ob mutatio delectat. Conjectio legendi. Causa conjungens delectationem.

Ratio.

Causa grauis conjungens delectationem.

Ab effectu declarat.

DE RISV.

EX lætitia & delectatione, risus nascitur: qui affectus non est, sed actio exterior ab interiore manans. Nam ex lætitia uel delectatione dilatatur cor, ad cuius motũ & facies extenditur, eaq; potissimũ pars, quæ est circa os, qui rictus nominatur, unde risus. Itaq; risus exteriorem sedem habet in rictu primum, hinc in oculis, & cuncto uultu. Interiorem autem, Plinius Secũdus affirmat esse in præcordijs, quas Græci φρένας appellant: In his, inquit, præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime deprehenditur alarum, quas subit: & gladiatores, qui eo loci essent sauciati, ridentes oppetijsse. qui risus corporalis est prorsus, non ex affectu: sicut in titillatione sub axillis, aut alijs in locis. & ego ad primã & alteram buccam, quam sumo à longa inedia, non possum risum continere: uidelicet cõtracta præcordia dilatãtur ex cibo. Nec risus ille est uerus in mœrore, aut indignatione: qualem fuisse Hannibalis in curia Carthaginensi ferunt, uicti à Scipione. ringere enim est illud, non ridere. In quibus flaua abundat bilis, ij ad risum sunt proni, quòd ex calore immodico facile exporrigitur cor: sicut rursum pituitosi, & qui atra bili infestantur, propter tarditatem frigoris lenti sunt ad ridendum. Risus qui ex affe-

ctu

Etu nascitur, de lætitia est, aut delectatione noua. surgit enim primo illo contactu, quo lætitia uel delectatio recens mouet animum. Insperata uero & subita plus afficiunt, citius cõmouent risum, & maiorem. Scilicet de ueteribus, uel assuetis non ridemus: nisi qui illa accipiunt sæpe tanquã noua, & tum primũ cognita. quod fit uel ex ipsis, qui ad risum sunt natura proni, cuius generis sunt pueri, mulierculæ, fatui: uel ex re quæ adeo est animo nostro cõgruẽs, ut quoties occurrit, amplectamur eam uelut nouam. Quidam non rident, ad quæ non attenderũt, eadem multo post tempore, quasi recordati incipiunt ridere. Vehemens enim cogitatio ut affectũ impedit, ita etiam risum. quibus de causis prudentum & sapientum hominum rarior est risus & pressior, isq; subrisus uerius, quàm risus, quum ob magnas intentasq; cogitationes, tum quod illis ob prouidentiam reputationemq; rerum omnium pauca sunt noua, aut insueta. Accedit his cõstitutio corporis, in præstantibus ingenio uiris, ad atram bilim inclinans. Imperant etiam hi sibi, ne effuse rideant, quod est præter decorum. Naturalis quidem est omnis risus, nullus uoluntarius: sed cohibetur tamen uel usu, uel ratione, ne immoderate prorumpat, concutiens corpus uniuersum: quales sunt imperitorum, & rusticorum cachinnationes,

Aperis músculum in pelle ut adrisio. sed magis strictis músculis. Augetur risus.

Vetera, & assueta in quibus mouéant, & non mouéant risum.

Impedimenta risus.

Rarior, & pressior risus in quibus, & cuius rei sit.

1
2
3
4

Non voluntarius. sed naturalis motus risum efficit.

Ratio & voluntas cohibent, ne immoderatus risus fiat.

chinnationes, tum puerorum & mulierc ularum, ut
sui sint impotes, risu eiusmodi correpti ac concita-
ti. Et ut uarij uarijs ad delectationem capiuntur, ita
multis de causis risus prodit. Alij rident ob ea quæ
cernunt, alij ob ea quæ audiunt, alij de rebus men-
tis, si placent uel propter lætitiam boni, uel propter
delectationem, quæ ferè ad risum faciẽdum sita est
in deformitate quadam dicti aut facti: ut in gesticu-
lationibus, in grandibus irati uerbis, cui uires de-
sunt. nam si adsint uires, timemus. in casu innoxio
quidem, sed fœdo: in dictis fatuis, aut scurrilibus: in
interpretationibus, uel rogationibus absurdis, re-
sponsis acute detortis aliorsum, quàm quò pertine-
bant rogata: in assimilatione per uerba, quæ est ge-
nus quoddam mimicæ repræsentationis: sicut in ge
sticulatione, atque alijs eiusmodi compluribus. In
quîs omnibus placet insperatum illud. recta enim &
consueta uia progredientia sine sensu transmittimus,
tanquam uetera, quia quodammodo præuisa: defle-
xa autem & praua mouent, quia nõ expectata. De-
mocriti risus perpetuus, affectatus erat magis quàm
naturalis. & irrisus non risus ad incessendas homi-
num stultitias, quas illi sapientiam esse ducerent. In-
ter animantes omnes solus homo ridet, quoniam is
solus habet uultum, quo risum testetur. cæteris au-

tem

tem facies immoto habitu torpet: non quin aliæ ad sensum boni & uoluptatis suæ concitentur, impensius etiã quàm homo, & edunt signa quædam, quæ risus uim & uicem obtinent, ut exultationes, & uoces etiam in suo illo genere inconditas: sed quia uultum, uti nos non mutant, non dicuntur ridere. Qui autem Græca uoce agelasti nominantur, quasi non ridentes, haud ideo quod ridere non possint dicuntur, sed quia raro: uel ex natura melãcholica, & duro corde, uel occupati cogitatione maiorum malorum, qua diluitur lætitia & uoluptas: aut mente ad diuersarũ rerum speculationem abducta, aut quod ex acuta & diligenti reputatione rerum omnium, nihil iam eis occurrit nouum. Contrà autem ebulliunt crebri & magni risus, seu mollefacto corde delicijs, ut uino, lusibus, amoribus, fabellis festiuis, concẽtu, lasciuia: seu remissis, & quasi reuocatis cogitationibus: uel reducta securitate, & tãquam animo à metu aut molestia liberato, uel delectamentis exquisitis, maximeq; nouis atq; inusitatis.

DE OFFENSIONE.

HActenus ut de homine: iam ut de belua atrocissima atq; immanissima. affectus enim, qui ex opinione ueniunt mali, mirum in modum exasperant atq; efferant humanum animum. Primus mali morsus

morsus offensio dicitur, tanquam quum quis impingit. est enim dolor ex incongruentis mali contactu. Vnde alij affectus suppullulant odij, inuidētiæ, iræ. & est animi ille dolor, dolori corporis haud absimilis, qui existit à prima uellicatione aut pūctione. Est porrò malum, quod nos offendit, quicquid est aduersum nobis ac inconueniens, & congruentiæ nostræ inimicum: quemadmodum quum deforme aliquid intuemur, uel absurdos sonos audimus, praueq; concinentes. Congruentia autem hæc uel est in corpore, uel in animo. In corpore est harmonia illa, qua recte ualemus. quæ quum aduerso motu attingitur, offendimur. ut in concussu omni ac impulsu, in plaga, uulnere, pressione, æstu, algore, siti, fame, & eiusmodi. In animo uero congruentia est primum in sensibus. habent enim singuli sensuum cum certis rebus conuenientiam, à quarum contrarijs auertuntur, & declinant: ut oculi colores, & delineamenta speciosa: aures, sonorum concentum: gustus, sapores sibi conueniētes: nares, odores certos: tactus, proportionem principum qualitatum. Est altera congruentia in interioribus sensis, uelut imaginatione atque extimatrice: unde insomnijs & delectationes uersantur, & terrores. quæ duo experimur in belluis, ut res à natura sua alienas aut contrarias refugiant, uel impetum

uelimpetum in eas faciant. Est item congruentia in 3
ratione, & hæc duplex. altera circa ueritatem, & 1
id quod solum scitur: altera circa id, quod agitur. 2
Actio uero est uel eorum, quæ manu exercentur, 1
quæ opera nuncupamus: uel quæ posita sunt in uitæ 2
usu ac ordine, in administratione prudentiæ. Menda Mendacium
cio omnes offendimur, siquidem narretur tanquam
uerum. alioqui autem delectat compositio & assimu
latio ueritatis: ut pictura, uel imitatio mimica. Quæ
cognitiones artes q; aut disciplinæ proportionẽ non sciencie.
habent cum ingenio nostro, offendunt nos quidem
ad auersionem tantum, non item ad insectationem
maleuolam: nisi forte accedat malignitas animi, &
proteruitas, aut superbia, ut nihil patiamur pro pul
chro haberi, nisi quod nobis placet, aut quo ipsi
sumus præditi. In uita est congruens illud & deco- & actiones.
rum, quod situm est in rectitudine, officijs, uirtute
huius. ut nullæ sunt ferè præscriptæ formulæ, sed
ex iudicijs, & cuius que æstimatione pendet, in-
credibile dictu, quàm uariæ existant ex eo offen-
siones: ut uix duos reperias, quibus idem place-
at. Sequitur enim quisque affectum, aut ingenium
suum, non rectum examen rationis. Idcirco in iu-
dicando tanta diuersitas: quippe ratio uel unica est,
uel non admodum multifaria: ingenia autem infi-

nita,

nita, diuersissima, difformia. Accedit his, nihil esse omnino, quod plurimum rationum argumentorumq; sit in contrarium capax, quàm officia & decorum uitæ. habent enim hæc quamcunq; te in partem conuerteris, probabilem & pro se rationem, & in oppositum. unde error & fraus eorum, qui singula non rimantur altius. Quarta proportio est uoluntatis, de eo quod iudicatũ est cuiq; bonum in præsentia. Hinc offensio, prout est & uoluntas uehemens, & quod bonum esse ducimus magnum, multumq; expetendum: contrarium autem malum, damnosum, & accurate depellendum. Offensiones omnes eo graviores sunt, quo interius penetrant. scilicet præcipua pars cuiusq; rei uerissime res ipsa est, quod est in ea intimum. Itaq; quod illud attingit, rem ipsam attingit, & lædit, unde offensio acerrima. quocirca gravissimæ omnium offensiones sunt in uoluntate, minus graues in ratione, tum in sensis, postremo in sensu corporeo. Nec offendimur ijs, quæ lædunt corpus, si uoluntas non auersetur: ut quum ab amicissimis cædimur, quod in alijs censeremus esse intolerabile. & mendacium, quod pro alio dictum uehementer nos permoueret, pro nobis ipsis gratum est, quia placitũ uoluntati. In sensione est offensio. quod enim non sentitur, nec offendit: ut homo muscis infestatur

festatur, non item elephantus, qui illas non sentit. Idcirco qui delicato sunt sensu, uel natura sua, uel assuefactione, uel debilitate, celeriter offenduntur. nec de solo exteriore loquor sensu, sed de omni etiã rationis & uoluntatis. Teneri natura sunt pueri, & mulierculæ. assuefactione autem quibus multum indulgetur, ut pueri molliter educati, sicuti qui à matribus uiduis, principes, diuites, & ij quibus assentantur & abblandiũtur omnes, repugnat nemo: quibus etiam omnia cedunt ex sententia. debilitate autem, sunt ægri, senes, lassi, famelici, sitientes, quiq; magnis animi perturbationibus conflictantur: uelut amoribus, ardentibus desiderijs, quæ explere non possunt. Accedunt his uigiliæ, anxietates, metus, terrores, omnis deniq; exiccatio corporis, & ferue factio. nam affectus hic ad calidos & siccos refertur: idcirco in similibus cõstitutionibus corporum, & qualitatibus locorum ac temporum facile inualescit. Ex insuetudine quoq; sensus offensionis est multus & frequens. Noui enim & inexperti passim offenduntur etiã minutissimis omnibus, scilicet præstinguntur, quibus non assueuerunt. ut qui nũquam prius domo egressi, peregre proficiscũtur, quæcũq; uident fieri à patrijs moribus aliena, damnant, atque abominantur tanquã absurda, stulta, barbarica: quũ

ſint tamen plerunq; potiora, quàm quibus domi in-
» ſueuerant. Non ſunt adeò delicati homines in uſu re
rum & experimentis uerſati, nec conſuefacti pro-
bra & contumelias ferre, ut Socrates: qui in priua-
to patientiam diſcebat, quam in publico præſtaret:
nec qui aſſultus ſunt fortunæ crebro perpeſſi. Sunt
», aliæ offenſiones cuiq; peculiares, quas eſſet immen-
ſum perſequi. ut alij ſerræ ſtridorem ferre non poſ-
ſunt, alij grunnitum ſuis, alij morderi lintheum, alij
» frangi prunam ardentem forcipe. Sunt quos offen-
dit geſtus ad certum modum compoſitus, ſeſſio, in-
ceſſus, motio manus, locutio: ſunt quos uel ruga alie
næ ueſtis. quis ualeat explicare moroſitates difficili-
lis huius animantis? nec ipſe tolerabilis eſt cuiquam,
nec poteſt alia tolerare. Et hoc in ſingulis hominum.
quid mirum, ſi nihil ſit tam probe, tam recte, tam
ſancte factum, quod omnibus in multitudine place-
», at? Quidam ex praua conſuetudine aſſpernandi om-
nia, eum traxerunt morem ut quibuſlibet citra iudi-
cium, citra diſcrimen omne offendantur: quibus etiã
hoc ſapientiæ loco eſt, nihil ne rectiſſimè quidem fa
ctum approbare, in omnibus mira iniquitate iudicio
rum exquirere quod damnẽt. quo nomine plurimum
ſibi placent, & apud ſtultos ſpectatores ingenij glo
riam conſequũtur, quaſi uero nõ ſit multo prõptius,

& cuilibet

& cuilibet factu facilius, promiscue damnare omnia, q̃ inter bona & mala discrimen ponere, quod ingenioſi demum eſt hominis & cordati. Contrarijs ex cauſis minuitur & detrahitur offenſio. Extremũ offenſionis eſt excandeſcentia, infimum autem auerſatio, quum offenſio auerſione ſola & ſeparatione placatur, ut quum hilaris recedit à triſti, iocoſus à ſeuero, fullo à carbonario, quæ moleſtia nuncupatur. Excandeſcentia concutit uniuerſum corpus, & accendit cor. quum autem eſt compreſſa, nec poteſt erumpere, cõuertitur in rabiem, & infert ſibi manus uiolentas. tum extẽdit ſe late, etiam in eos, qui nihil offenderunt. ipſa ſe enim iritat, & exacerbat, & dilatat. Data eſt homini offenſio, ut ad primũ uelut mali guſtum ſtatim reſiliat, neu progrediatur ulterius, ne forte ex aſſuefactione malũ eiuſmodi incipiat ei allubeſcere. Offenſioni contraria eſt allubeſcentia: priuatio autẽ, animi æquabilitas & profunditas quædam: ut facile deuoret, quæ alij nõ poſſunt perferre.

Excandeſcentia.

Auerſatio.

Rabies.

Offenſionis cauſa.

Contraria

Aŋ æquãbilitas.

DE CONTEMPTV.

CONtẽptus ex offenſione naſcitur, quum malum eiuſmodi eſt, quod nõ nocet quidem, ſed uile atq; abiectum iudicatur, ut in homines nequam & perditos. Non cupimus ei, quem contemnimus, benefactum; ſed nec uolumus eum lædere, tantum

illudere, & ostendere quàm despiciendus sit, ac pro nihilo habendus. contemptus odij atq; inuidiæ acerbitatem sæpe diluit, ut non tantum cupiamus illi malefactum, quum id quod uires nullas habet, conatur tamen nocere, & ferocit in imbecillitate. Nascitur apud quosdam odium, apud alios non odium, sed augetur contemptus & irrisio. quale est illud in proEffeta. uerbio, Mulier gladium. Contemptum sequuntur irrisio, subsannatio, gesticulatio, delusio, auersio oculorum & aurium ab ijs, quæ dicit aut facit, despectus, tanquam indigna sint uideri, uel audiri. Pusilla nimi suspicaces sunt, & cõtemni se ab omnibus existimant: quicquid alij agant, aut dicant, ad sui contemptionem rapiunt. unde crebræ querimoniæ, & maledictio. Contemnitur facile, qui minimũ nactus sit ex ijs bonis, quibus nos plurimum tribuimus: ut alij nobilitati, alij facundiæ, diuitijs, animositati, & eiusmodi. In precio est autem, si alia sit nactus bona non minoris æstimanda, ut potentiam, dignitatem, gratiam, eruditionem: uel si potest multum lædere, non enim cõtemnimus, quos metuimus. Nihil ab eo sperres, inquit Cicero, quia nolet: nihil ab eo timeas, quia non poterit.

DE IRA ET OFFENSIONE.

IRa est concitatio animi acerba, quod bona sua ui det

det contemni, quæ ipse putat non esse contẽnenda, in quo & semetipsum censet contemni. cuiq; enim precium atq; æstimatio ex suis bonis. Ira est motus, iracundia habitus, uel ingenium naturale. Ira omnis ex offensione nascitur. nõ est autem omnis offensio ira. differũt enim duo hæc, ut generale & speciale. Sed cõmuni tamen sermone confunduntur, adeò ut altera pro altera sumatur, & habent alioqui motus atq; effectus consimiles, tantum distant adiectione contemptus, tãquam distinctione formæ à genere. quippe ira sine contemptu non est, offensio esse potest. Itaq; irasci dicimur rebus mutis & infantibus, & inanimis, quum non ad arbitrium nostrum nobis parent. nobismetipsis quoq; quum facti alicuius pœnitet: aut quũ aliquid agere conamur, nec procedit. offensio autem est hæc, non ira. neq; enim inest in his species contemptionis: sed ita sunt tamen, sicuti dicebã modò, ira & offensio sensu sermoneq; communi nõ uulgi modo, sed doctorum quoq; permixta & inuoluta, ut sæpenumero de utraq; intelligẽdum sit, quod de altera dicitur, pariterq; sit præcipiẽdum de ambabus. quemadmodum etiam est genus quoddam inflammationis in pectore, quum concitat se animus, magnosq; ardores ad grande aliquid arduumq; efficiendum concipit: quod sine ira atq; offen-

Ira q d differt ab iracundia, & offensione.

sione contingit. nulla enim mali est species obiecta. Irasci tamen uocant omnes, etiam Aristoteles ipse, & grãdia opera ad partem irascibilem referunt, abutentes nomine, quod omnem incensionem sanguinis sub ira comprehendunt. est hoc autem inflammatæ cupiditatis. Sed redeamus ad propositum. Neglectio pro contemptu ducitur, apud eos præsertim qui maximam habent de seipsis existimationem, aut si sua bona putant omnibus præferenda, & uenerabilia. de quo numero sunt nobiles, milites, facundi, formosi, superiores quocunq; genere bonorum, cẽsent exhiberi sibi reuerentiam oportere: adeò quum non fit, contemptos se interpretantur. Signa, ex quibus contemptionem colligimus, nimis multa fecit humanæ superbiæ suspicacitas, dicta, facta, risus, nutus, gestus, motus corporis: & quum uires nacta est suspicio, nihil non eodem rapitur. Est motus quidam offensionis naturalis, aduersus eum qui læsit corpus, qualis est in feris. est alter, qui subito quidẽ existit, & quasi sine tempore ad primum tactum contemptus, ita ut nonnulli naturalem esse ducant, & iudicio anteuertere. is nonnunquam fit ex bile immodicè inflammata, aliàs uero non ex iudicio à contemptu orto subito, sed ex illo quod in animo habemus præceptum, & confirmatum, bonos esse nos, doctos

Cõtemptus signa.

doctos, generosos, industrios, præstantes, oportere nobis honorem exhiberi, & reuerentiam, non oportere nos contemni. ex hoc iudicio informato intus atq; infixo subito ira incalescit, ubi primum contemptus uel procul sese protulit, ac ostendit. Ira & uehemens offensio peruertit mentem, ne recordetur iusti ac pij, non beneuolentiæ, non necessitudinum. Effecta.
nam occiderunt quidam uxores & charissimos liberos irati, & prodegerunt opes auari, ambitiosi honores spreuerunt: & hæc omnia ex alio impotentiore amore. Atq; indulgẽtia sui tenerrima obtenebrat iudicium, negligit se, modo irruat in ultionẽ: est planè cæcitas mentis. extenditur adeò, ut se uellet ulcisci uel cum iactura cœli, terræ, generis humani: & indignatur, quòd in ultionẽ suam non etiam astra ipsa conspirent, & concitentur. Irascimur non solũ uni alicui, qui nocuit, sed toti nationi propter eum: ut Dido Troianis, & posteris eorum, propter Aeneam. Sed fortassis hoc magis odium fuerit, quàm ira, ut Aristotteli placet, Seneca iram esse dicit. Quidam libenter immorantur, non in ira, sed in reputatione ultionis, quæ est res homini grata, quibus incommodis afficeret eum, qui læsit. Inducit furorem mentis, ruum est uehemens, & insaniam, sicut in Aiace: aos item morbos, & mortem. L. Sylla in Puteola-

num quendam excandeſcens interijt. In corpore uero horrendos edit effectus, & uiro indignos. Effer-
Iræ effectus in corpore. ueſcit enim ſanguis circa cor initio offenſiõis, corq; ipſum turgeſcit, unde eſt frequens illa palpitatio in pectore: ſed nondum eſt ira tamen, nec offenſio, quouſq; ardentes illi à corde ſpiritus cerebrum inkaſerunt. quamtumcunq; enim pectus incaleſcat, ſedatus erit homo, & quietus, ſi calor ad cerebrũ non penetret: quemadmodum nec ebrius eſt, qui multum hauſit uini, ſed cui uinum caput percelluit. Celerrime igitur exardeſcunt, quibus humores in cerebro ſunt præferuidi. inde eſt etiam mutatio uultus, trepidatio oris, impedimentum ſermonis, & alia uiſu terrima, beluæ planè, non hominis. Et ſunt adeò ſtolidi nonnulli, qui præter eam deformitatem, quam ira foras promit, & depingit in facie, gaudent efferare uultum, & geſtum uniuerſi corporis. Irati alij pallent facie, refugiẽte ſanguine ad cor: hi ſunt animoſi. alij rubent, aſcendente ad caput: iſti ignauiores. Et ut eſt ira dolor, quod bona ſua, quæ putat nõ aſpernenda, contemnuntur, ideo uult oſtendere ſua bona non eſſe parui æſtimanda. idq; ſe aſſecuturum credit oſtenſione potentiæ, & præcipuè nocendo: unde appetitus ultionis, qui eſt ei cõmunis cum offenſione, odio & inuidia. Ariſtoteles aliquot ponit diſcrimina

discrimina inter odium & iram. Odium, inquit, cre scit tempore, ira minuitur. ultio iræ, est dolorem reponere: ultio odij, est malefacere, & ualde nocere. ira uult sentiri suam ultionem: odium id non curat, modo malefaciat. itaque mortem inimico adfert, uel quod mortis sit instar, truncationem membri, morbum, egestatem, carcerẽ, exilium, uitium quoq; aut demẽtiam. ut olim Cretenses, qui inimicis suis nihil imprecabantur aliud, quàm ut rebus malis delectarentur, & assuefacerent. Iratus dolet, odiens non dolet. ira & offensio facit potentes formidolosos, impotentes autem ridiculos: ut pueros, & mulierculas. atq; eo magis, si iactent uerba grandia, & tragica, & ad potentum imitationem minẽtur dira atq; horrenda. Seneca totam iram subitò dicit existere, cui meritò Plutarchus refragatur. crescit enim ex suis causis, ut ignis fomento subiecto. Gliscit porrò ex eisdem, quibus de causis erat orta: nempe ex contemptus opinione, per loca argumentorum omnia, ex eo in quo est tenero, delicato, lasso, ægro, fameli co, amante: iuxta uetera prouerbia, animo cupienti nihil satis festinare, à lasso rixã quæri, fame acmorabilẽ cieri. adeò ut in aliquibus horũ feruor hic naturalis sit, ut dixi, et iudicio prior. Qui insueti sunt accipere iniuriã, ijs offensio est intolerabilior. In imbe

Odij et iræ discrimen.

Ira quibus ex causis.

à subiecto.

cillibus acuta est ira, & prompta. putăt enim se despici, quia inualidi, & ex morositate sunt suspicaces. Omnis etiam infirmitas, magnă habet suspicionem de contemptione sui à superiore. ideo facile stomachatur, & illum superbiæ insimulat. deniq; quisquis ita de se sentit, ut facile cõtemni se putet posse: senes, ægri, inopes, ignobiles, ignominiosi. Aquæ potores uehementes & iracundi sunt, quia tenues habent spiritus, qui cito corripiũtur ab incendio iræ. Qui uinum potant uel ceruisiam, crassiores habent, & ad incẽdendum minus faciles. Studiosi homines, quod ob laborem cogitandi, calor ad cerebrum rapitur, ubi sedes est iracũdiæ, huic affectioni sunt obnoxij, teneri quoq; & delicati, quibusq; multum indulgetur. Ideo grauissimæ sunt iræ principũ & diuturnæ, quibus omnes non solum indulgent, sed adulantur. Ex loco, magistrum contemni in schola: tum in locis calidis, stomachosi. Ex ijs qui in loco, apud hos aut illos. permagni enim refert, apud quem fiat contemptus. Molestius patimur, si apud eos contemnamur, apud quos cupimus esse q̃ honoratissimi. Ex tempore, quum iret ad petendam dignitatem, quum coronatus: ut Demosthenes cõtra Midiam, in messe detineri agricolam. Est & status rerum: grauior ducitur cõtumelia, si propter præsentem fortunam si-

Ex loco.

Ex rerum statu.

Ex tempore.

Ex adiunctis

mus

mus despectui, quũ aliàs fuerit prosperior. Ex agente contradicenti irascimur, quia uidetur paruifacere nostrum iudiciũ, & maxime quum de nobismetipsis censetur. Si minor est ea in re, de qua nos aspernatur, ut de nobilitate, de opibus, de eruditione. si amicus, si affectus beneficio à nobis aut nostris, aut ipse, aut aliquis eius necessarius: si uolumus, aut uolui mus prodesse. in quo est sæpe offensio magis, q̃ ira. sicuti in hoc, si non referant debitã gratiam: & tanto magis, si damnum reponant pro beneficio. item si is qui debet subuenire potius, quàm aspernari: ut filius, pater, princeps. est enim officij uel prætermissio, uel uiolatio. Sed ira est, si à familiaribus, à quibus contemptus est, multo acrior: quoniam quum ij nos negligunt, qui existimantur nos optime nouisse, iure habemur pro despectis. Si ab his, à quibus soliti sumus honorari: si nõ honorẽt, uel neglectim præ tereant, uel etiam afficiant probro aut contumelia, contemptio censetur intolerabilis. Ex instrumento, ut si quis percussit pugno, uel palma, uel harundine.

Ex agente in nos.

Ex instrumento.

Ex modo actionis: irascitur uehemẽter, qui quid ual de cupit, irascitur, si quis contrà ueniat, siue contrà uenire uideatur: etiam ijs qui secũ non consentiunt, & non unà incandescunt. mouent nobis stomachũ, non solum ij, qui affecerunt contemptu, sed qui nunciarunt

Ex modo actionis

Ex nuncijs.

ciarunt, qui retulerunt. ut ille qui uulnerauit recitantem carmen contra ipſum compoſitum: qui refert, inquit, carmen de me maledicum, is facit. Patet hoc latiſsime ad omnem eum qui quoquo modo fuit cauſa etiam remota, & ſegnis: non quæ quid egerit, ſed cuius quid occaſione eſt actum, aut præbuit occaſionem, aut potuiſſet impedire, ſi uoluiſſet. quippe in his omnibus reſidet uel deſpectus uel neglectus quidam. Incandeſcimus, ſi parui pendatur id, quod nos plurimi facimus, ſiue in nobis, ſiue in alijs, et de quo uolumus æſtimari magni uel nos, uel chari noſtri: ut philoſophus, ſi philoſophia uituperetur: homo militaris, ſi militia: atque eo magis, ſi ab hominibus inexpertibus illius rei id fiat, nẽpe à rudi, ab imbelli. Qui adferre ſe bonum aliquod putat alteri, uelut lætum nuncium, uel munus, ſuccenſet ei qui negat eſſe tale. uidetur enim parui facere, id quod ille ducebat eſſe amplum, & quod attuliſſe gloriabatur. Si quis gaudeat infelicitate noſtra, grauiſsime offendit. Iraſcimur nũciantibus aduerſa, ut Agamemnon Calchanti, quem uocat μαντιν κακῶν: & ijs qui triſtitia noſtra ſpectauerũt, uel audiuerũt, quoniam non uidentur curare dolorem noſtrum. gerũt enim ſe tanquã uel contemnentes, uel inimicos, uel pro nihilo habentes. nam amici, aut qui reuerentur, condolent,

lent, indignantur, uindicant. atq; eo impatientius iri tamur, si arriserunt, si ostenderunt placere sibi nostram deformitatem. Succensemus ijs quoq;, qui nostra seria uertunt in ioca, & scommata admiscent. nam uidentur cõtemptim eludere. Exardescimus & in eos, qui omnibus benefaciunt, si non etiam nobis: nam id speciem præ se fert incuriæ. tum qui nobis multum rogãtibus denegarũt: in quo interdum subit inuidia, uel odium. Obliuio quoq; irã parit: nam est neglectio. ut etiam iniquo animo accipiãt quidam, si alieno nomine compellentur scilicet, uidemur illos non curare, & præterire tanquã uiles. Ex fine, spoliauit, ut derideret aut illuderet. Ex contingentibus, quum cõtemptus præter aut contra opinionem accidit. eo est enim acerbior. Ex ijs, quæ ante rem, si pares amici: ex ijs quæ post rem, si ad eam cõtemptionem uidetur sequi diuturna ignominia, nobis, familiæ, nationi. Incendimur nonnunquam autoritate sola, quum nos nihil causæ cernimus ad animum concitãdum. urgent tamen & stimulant nos propinqui, affines, necessarij, superiores, quibus nos animũ nostrum nõ permittere pro flagitio habetur. ita non satis est, affectus tam uarie in nobis pullulare, nisi etiã iussi accipiamus. O quàm dolendum est, tot ex causis nasci augeriq; monstrum hoc adeò perniciosum humano

humano generi. Sunt qui iram etiã postquàm præterijt, simulent ex superbia, ne sine causa uideantur excanduisse, & opera agunt iratorum. Sapienter Seneca: Multos absoluemus, si cœperimus antè iudicare, quàm irasci. nunc autem primum impetum sequimur: deinde quamuis uana nos concitauerint, perseueramus, ne uideamur cœpisse sine causa. & quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. retinemus enim illam, & augemus quasi argumentum sit iuste irascendi, grauiter irasci. Sic ille. Feruor ille à pulmonibus extinguitur, quum illos conus attigit cordis. Quosdã uidemus breuissimo tempore facere finem ultionis cupiẽdæ, propter pulmones paratos, & raritatẽ sanguinis circa cor, qui statim restinguitur, ut stupa incensa. Lentiores sunt ad iram frigidæ temperaturæ, sed in ea pertinaciores. Itaq; iuuat ratione uictus uti moderata: ut cibi ac potiones sint frigidæ, & in biliosis crassæ, somnus largior, quies, actiones remissæ. Deferuescit ira minuta, uel opinione contemptus, uel ultionis cupidine, uel quia nos simus obliti, uel quia auertimus cogitationem. quapropter utile est se ad lætiora trãsferre. Ira deferuescit facile festis diebus, celebritatibus, ludis, cõuiuijs, hilaritate, rebus prosperis, et successu. Risus & festiuũ aliquod responsum dissoluit offensas:

ſas:quomodo Tarentini iuuenes placarũt infenſum Pyrrhum. Obtunditur etiam, quia illi quorum indicium magni æſtimabamus, & à quibus dolebamus nos deſpici, ſunt iam obliti: uel quia mortui, uel quia diſceſſerunt, ubi uel non aſpernabũtur amplius nos, uel iam illorum aſpernationem illic non curamus. uel nos cernimus: uel illi ſunt diminuti, ut ridiculi ſint potius, ſi faſtidium præ ſe oſtendant, quàm curandi. Ceſſat ira, quum declaratũ eſt non fuiſſe contemptum, quem credebamus, ut quum quid fecit homo ſtultus, aut imprudens, aut imperitus, aut morbo aliquo dementiæ laborans, ut non poſſit recte iudicare. adhæc aſſuetus, aut inuitus, & qui coactus facit: eiuſmodi enim non contemnunt. ut quum iniuria ad neceſſitatem ineuitabilem refertur, uelut ad diuinam uoluntatem, cui nemo poteſt reſiſtere: aut imperium regis, uel tyranni, uel eius omnino, qui poteſt extrema ui cogere. Item qui alteri nocet, ut ſibi proſit. non enim is dicitur contemnere, & malunt homines à perturbatis agitatione animi aliquapiam iniuriam accipere, quàm à quietis, & ocioſe ſtatuentibus. Næc eſt contemptus, quum prætenditur factum quid eſſe à confiſis beneuolentia aut humanitate, et placabilitate, alterius potius eſt opinio quædam excellentiæ. Accedit his, quum nouo honore

opinio

opinio uilitatis adimitur. Porrò quum animaduertimus, uel amicißimos noſtros, & quorũ affectus ducimus pro noſtris, non iraſci, & iudicare non eſſe contumeliam, miteſcimus ex autoritate: quemadmodum contrà ex autoritate cõcitamur, ut modo diximus. item quum uidemus iniurioſo illi multos iraſci, atq; indignitate permoueri, placamur: ſcilicet manifeſtò tunc apparet, male illum de nobis iudicaſſe, & tot iudicijs in cõtrarium acquieſcimus. Quid, quod eſt uelut genus quoddã ultionis, tam multos uni eſſe infenſos? Iam uero quum pœnitet eum, qui nos offendit: nam hic pœnam paſſus eſt ex pœnitentia. qui fatentur ſe erraſſe, minuunt noſtram iram: qui negant ſe feciſſe, quod accuſantur, quia non admiſerũt contemptum quem ſuſpicabamur, uel quia metuũt nos, & ſuperiores fatentur eſſe. Quum autem eſt offenſio, non item ira, magis accendimur, ſi exiſtimemus eos mẽtiri: ut erga filios, uel famulos, uel diſcipulos. iritamur enim impudentia eorum, uel contumacia. Quum quis ſe nobis ſubijcit, lenit animũ: quod animaduertere eſt in feris. Si quis afficiat nos magno aliquo beneficio, in eum miteſcit ira. Subijcitur etiã qui eget, qui rogat, qui in calamitatem incidit. Deferueſcit bilis, ſi inuiſi reuereãtur nos, & metuant. hæc enim ſubiectio eſt contraria deſpectui. Adde,

quum

quũ ipsi nos damnamus, iudicantes iuste pati ac merito: quod fecit Dauid erga Semei. quippe non tum nostra bona magnifacienda arbitramur, maliciam nostram reputantes. Et ut bilis accensa parit facile offensionem atq; iram: ita quum se remisit, extingui tur illa quasi perturbationis flamma. Quocirca bilim refrigerare, quod paulo antea monebam, ualde conducit, uel cibo, uel potione, uel ablutione, uel somno, uel cœlo aperto, & aspectu amœnitatis. Ideo qui conuiuijs & genio crebrò indulgent, tum offenduntur rarius, tum offensionẽ remittere promptiores sunt: ut gentes ad Septentrionem. Multum ad iram excludendam facit, præcognitum habere & persuasum, homines ferè omnes iniquissime de rebus statuere, uel ex imperitia, uel ex praua aliqua libidine animi: ut magis ipsi, qui contemnunt, contemnendi sint, uel miserandi uerius: tum de seipso non magnificam habere existimationem, sed nosse se, quàm ex multis uicijs, erroribus, imbecillitate, uilitate compactus sit, & concinnatus. Tributa est homini ira ad appetitum rerum excellentium, ut quum uideat se, ac doleat, ob uiles abiectas q; actiones reijci ac contemni, det operam, ut se ab illis uindicet, transferat q; ad præclaras, quæ contemni iure non possint. Iræ causa.

DE ODIO.

ODium est offensio radicata, qua quis cupit grauiter illum lædere, in quem tendit offensæ existimatio. non enim ad coniunctum modo tempus, aut præteritum offensio hæc se porrigit, sed ad
" uenturum quoq;, & possibile. Itaq; odimus eum qui
" læsit, qui lædit, qui lædet, quem lædere arbitremur posse. Suspicio magnum hic regnum obtinet, in qua uel meticulosum nostrũ ingenium sequimur, uel conIectura ex ratione aut experimentis, quòd alios læsit, quòd eius parentes aut propinqui læserunt, quòd qui tales sunt solẽt lædere: ut qui robusti & animosi absq; mente, & feræ famelicæ uel iritatæ. eoq; multorum iniurias experti minus quidem & rarius offenduntur, sed magis timent, & suspicaciores sunt, unde procliuiores ad odium: nisi si bonitate naturæ mitigentur, aut sapientibus considerationibus, ut Socrates Athenienſis. Et brutæ animantes eam oderunt imaginẽ, sub qua fuerunt aliquando læsæ. Ignaui homines in odiũ sunt proni, quippe qui undiq; imminere sibi damnum metuunt. itaque oderunt omne genus uirium ac potentiæ, à quo lædi possint siue in animo, siue in corpore, siue in fortunis. Vnde existit magna in potentibus formidolosis sæuitia, qualem de Caligula, & Nerone, alijs que ignauis

principibus

principibus accepimus. Et qui in homines potentes peccarunt, grauiter illos oderunt metu pœnæ, uellentq; eos sublatos, ut ipsi agerẽt secure. hinc sententia illa, Offendentem non ignoscere. Causæ uehementes odij sunt cuique, ut quisque res æstimat. Ambitioso grauissima est, aliquid contra suam existimationem dixisse, fecisse, cogitasse: auaro contra commoda, religioso contra pietatem, bono ciui contra patriam, remq; publicam. Quodsi animum prius amor occuparat, hoc abolito facilius subit odium, ut quum quid deprehendimus non esse quale arbitramur. Acrius autem exasperatur odium, cum deprehendimus contrarium: ut esse auarum, quem de benignitate diligebamus: esse segnem, quem de strenuitate. Idem contingit, quum amori opponitur odij causa, quæ prægrauet. ut spoliatos esse nos ab hoc, quẽ liberalem erga alios esse deprehendimus. Odium ex frigidis est & siccis, idcirco eiusmodi personis, locis, temporibus inualescit: ut melancholicis, hyeme, morbo, egestate, fame, infamia. Agit quidem in his altius radices odium, sed iners & segne: acuitur autem ad acerbitatem calore. Sunt ad odium procliues superbi, & inuidi, & naturali quadam maleuolentia præditi, qui'que illam assuefactione contraxerunt, soliti malis hominum gaudere. Qui tenerrime

Vehemencia odij.

ſeſe amant, leuibus de cauſis oderunt alios. ſemper enim lædi ſeſe autumant, iniuriamq; ſibi fieri interpretantur. Confirmatur atq; augetur odium à frequenti ira: unde & odiũ dixerunt quidam, iram eſſe inueteratam. Item ab inuidia, quod eſt omnium incitatiſſimum atq; atrociſſimum: citiusq; odium placatur, ortum à grandi quapiam iniuria uel cõtumelia, quàm ab inuidia. Odium ex metu auertit cogitationem: non enim libenter de eo cogitamus, quo terremur. ex ira autem, uel inuidia, crebrã reputationem adfert, ſiue in noſtris proſperis, ut inimici doleant: quemadmodum apud Comicũ Gnato Parmenoni:

» Nunquid uides, quod nolis? in aduerſis autem, ne inimici lætentur: quale eſt illud Neſtoris Homerici, Gaudebit hac noſtra diſſenſione Priamus. Idcirco quantum poſſumus, cauemus, ne illi triſtes nos eſſe ſentiant, aut demiſſos: niſi fortè quum de induſtria odiũ inuidiæ defugimus, ſicut Dionyſius Corinthi. Gaudemus uero, quum quos odimus, male habent: atq; eo magis, ſi in eo quod nos offendit: ut uires eſſe ademptas inſolenti, autoritatem arrogãti, diuitias diuiti, prauè illis utenti. Ex læta boni ſenſione amor naſcitur, ex amaro ſenſu mali odiũ. Bona autem propter naturæ noſtræ imbecillitatem nec pura ſunt unquam, nec diuturna, ſenſumq; ſui exiguũ relinquũt:

mala

mala uero contrà, quoniam in nobis inueniunt, ubi
insideant, atq; infigantur, & longiora & grauiora
sunt, diutinumq; uestigium sui imprimũt. quo fit, ut
odium citius in animis nostris proueniat, q̃ amor &
maiores agat radices, & stabiliores sint illius stir-
pes ac fibræ: uidelicet quod in nobis inuenit solum
sibi conuenientes. Rectè Cicero: *Cui dolet, memi-* "
nit: cui placet, obliuiscitur. Ex odio *suppullulat ma-* "
ledicentia, & quum incãduit, acerbitas, ac sæuitia.
Amor stimulat ad bene agẽdum, odium autem auer-
tit à bene agendo, & ad nocendum impetit, ac solli
citat. ideo serit inimicitiarum semina: & astute dat
operam, ut quem odit, incidat in periculum, uelut in
iram eius, qui multum potest lædere. Quomodo-
cunq; enim siue per se, siue per alium, clàm, palàm,
cupit illi male euenire. Hebetatur *odium rebus cali-*
dis ac humidis, rebus lætis, ac ualde prosperis. Tum
ijs oppositis, quæ amorem pariunt, aliàs potioribus,
quàm erãt odij causæ: aliàs paribus, interdum quoq;
leuioribus, ut quisq; est pro tempore affectus. Adi-
mitur misericordia, tollitur spe, aut cupiditate cer-
ta aliquid ab inimico adipiscendi, quod utile aut iu-
cundum credamus fore, dignumq; ut illum de co mu
nere diligamus. Diluitur item maiore aliquo & gra
uiore odio, aut aliarum rerum magni momenti cura

& ſollicitudine. Sublatis quoq; odij cauſis, contingit aboleri odium: ut quum quis eſt mutatus. atq; hoc promptius, ſi qua ſubſit alia amandi cauſa: ut quòd propinquus, neceſſarius, eruditus, reipublicæ utilis, quòd redijt ad frugem meliorem. Contẽptus rerum terrenarũ, & erectio animi ad cœleſtes illas ac ſempiternas, frangit odia atq; inimicitias. Quid enim illi, qui in cœleſtem patriam eſt intentus, cum offenſiunculis breuis huius peregrinationis? Debilitatur etiam odium, ſi quis aſſueſcat, quæ alij fecerint, aut dixerint, in meliorem partem deflectere. auferetur enim ea cogitatione origo offenſionis, ac proinde odij quoque.

DE INVIDIA.

BOnum quod alteri cõtigit, quatuor modis poteſt cõſiderari. nam uel nocet nobis, ut quum noſtra bona fiunt minora applicatione aliorum, quæ maiora cenſeãtur: quemadmodum quum ſublatis in altũ uicinis parietibus, officitur noſtris luminibus, in quo eſt dolor quidam naturalis. nam orbatio bonorum pro malo eſt. Altera eſt ratio boni alieni, quum nõ nocet illud quidem nobis, ſed dolemus, quod non tantundem nobis euenerit: quæ eſt cupiditatis ſpecies quædam. Tertia eſt forma, quum nollemus alios conſequi, quod nos ſumus conſequuti, aut quod nos expetimus

expetimus, aut quod cõcupiuimus, nec potuimus aſſequi. Maior eſt hæc inuidia, quum de ijs bonis, quæ nobis oportere adeſſe cẽſemus, nec adſunt: aut quæ alijs communicantur, quum nos propria eſſe nobis oportere iudicamus, ut dignitatẽ in nobili. Hæc ſpecies uocatur Zelus. Quarta eſt forma, quũ id ſolum dolet nobis abſq; ullo reſpectu noſtrarũ utilitatum: ſed tantummodo quod iudicamus malum eſſe nobis, alios bene agere, quæ eſt germana & maxime propria inuidẽtiæ natura, qualis eſt diaboli, & filiorum eius. Sed aliæ quoq; ſimilitudine quadã inuidiæ nuncupantur. Eſt ergo inuidia, animi cõtractio de bono alieno, in qua contractione ineſt morſus quidam, & dolor. itaq; mœroris eſt pars. Bona autem, quibus potiſſimũ inuidemus, ea ſunt ad quæ ſequitur precium, exiſtimatio, honor, decus, gloria. alijs enim nõ perinde inuidetur, ut acumini ingenij, amplæ eruditioni, ignobili, aut uirtuti neglectæ: quæ ſi magno æſtimentur, inuidia protinus illa inſequitur, non propter ipſa, ſed propter precium. ita ut decus potius & honorem inuideamus alijs, quàm uera illa bona, quibus honor defertur. Inuidia ferè ex ſuperbia naſcitur, ſuperbus autem ſublimia hæc & ſpecioſa magis ambit, quàm uera bona, & ſolida, quorum illæ ſunt quaſi umbræ quædam. Quocirca ſuper-

4

Inuidiæ definitio.

Bona, quibus potiſſimũ inuidemus.

Superbia inuidiæ materia.

bi natura ſunt inuidi. ex cupidine nanque præcel-
„ lendi inuidia oritur : & eo magis inuidet quis, quo
inanior eſt à bonis, quæ concupiſcit: neq; is eſt, qui
„ uideri affectat. Itaque puſillanimi, inuidentes ferè
ſunt: ut Iob inquit, Paruulum occidit inuidia. Præ-
clare Cicero: Neminẽ alterius, qui ſuæ uirtuti con
„ fideret, inuidere bonis. Inuidia, res eſt abiecta, et ſer
uilis. quoniã quiſquis inuidet, maiora aut potiora iu-
dicat alterius bona, quàm ſua: aut certe id ne contin
gat, metuit. quocirca nemo audet fateri, ſe cuiquam
inuidere: citius dixerint iraſci ſe, aut odiſſe, aut etiã
timere. minus enim hæc ſunt turpia, & iniqua. Itaq;
qui odit, & qui iraſcitur, & qui mœret, & qui ti-
met, & qui amat, affectum ſuum audet retegere: un
de maxima animi cordisq; alleuiatio cõſequitur. qui
autem inuidet, comprimit animi miſeriam illam im-
Inuidia effecta. penſo ſtudio, ne ſe proferat: unde magna corpori ac
cidunt incõmoda, pallor, liuiditas, macies, oculi pro-
fundi, aſpectus obliquus, & degener. Leonum gene
roſitas nec limis unquam aſpicit, et ſic ſe aſpici fert
indigne. In animo intemperiæ ac furiæ tumultuan-
tur clauſæ, & cohibitæ, quo nullum poteſt eſſe tor-
„ mentum par. Recte illi, qui inuidiam dixerunt eſſe
iuſtiſſimam: quippe quæ inuidenti eſſet meritum ſup
„ plicium. Delectantur inuidi maledicentia, & car-

punt quicquid inuidiosus uel dicit, uel agit: ut notam aliquam inurant, aut maculam aspergãt, & quæ recta sunt, in peiorem partem detorqueant: non tam quòd ipsi ea mala ea iudicent, quàm ut alijs mala uideantur. Tametsi inuidia, quũ nacta est uires, depravat iudicium, uehementius etiam q̃ affectus reliqui: & quamlibet minuta censet esse ingẽtia, & turpissima quæ pulcherrima. quam in rem multũ facit odij acerbitas. Habet enim inuidia omnis odium ingenitum, & quidem atrocissimũ. quippe odium ex ira mitigatur facile, ex offensione autem satisfaciendo tollitur. Inuidia uero nec cicuratur, nec patitur sibi satisfieri, imò iritatur beneficijs: ut ignis in naphtha accensus, qui infusione aquæ maius incendium excitat. unica ratione amittit uires, si felicitas, quam inuita uidet, tollatur. Itaq; inuidia miserum uellet efficere, odiũ uero omnino perdere. inuidia quoq; idem conatur, quum aliter non potest miseriam adferre. exardescit quoq; in grauem odij rabiem. unde exitium concupiscit eius, cui inuidet. Quarta inuidiæ species ad omnia sese bona porrigit: tres priores ad ea tantum, quæ posse nos quoquo modo consequi arbitramur. itaq; inter compares & similes sunt maxime: sicuti figulo inuidet figulus, & egenus egeno, & uates uati, iuxta Hesiodi dictum. uidelicet dede-

cus est, quum sis in eadem nota, non per omnia esse parem: & naturaliter pungit hominem. nam uelut iniuriam uidetur accipere, si melius habeat, qui non habetur melior. quum uero alter est superior, cessat uel dedecus, uel querimonia. Compares & consimiles uoco, in quacũq; boni comparatione, etsi in alijs sint ualde dispares: ut rex musicus alijs musicis, quẽadmodum Nero Cæsar Græciæ artificibus, hominibus de plebe infima. docti fortuna dispares, fortunati eruditione ac ingenio inæquales, utiq; quum in fortunæ cõparationem uenitur: sicut ille, quum de peritia. Nec ueritas similitudinem hanc aut dissimilitudinem metitur, sed cuiusq; existimatio & iudicii. Sunt extremæ cõditionis homines, qui regibus opulentiam suam & felicitatem inuident, & magna dementiæ persuasione patres se esse regibus gloriãtur. alij se iudicant regno digniores, & succensent quòd ille rex sit, non ipsi. & quidam inter furiosos constricti, uilissimæ prosapiæ, ad se clamant regnum iure pertinere: quales uidimus aliquot hîc, & in Britannia. Eundem in modum euenit de literatura, de omni arte, disciplina, præstantia ingenij. Hominem noui, uix ultra prima progressum elemẽta, qui se de eruditione nec Thomæ Moro, nec Erasmo Roterodamo iactaret cõcedere. Inuidia de bonis animi longiores

giores habet decursus, quàm de bonis corporis, uel externis: quoniam decus & æstimatio illorum bonorum non nouit finem, uti nec bona ipsa, quæ in immensa ui animi latissimè sese porrigunt. contrà autem, corporalia breuiores habent metas, siue in crescendo, siue in usu, siue in precio. Videre hoc est in offensione, quum ludendo uincimur. grauius enim id ferimus, quum in ludo id contingit multæ inducstriæ, ut latrunculis, uel aciebus: quàm in quo solum dominatur sors, ut in taxillis. Languescit inuidia felicitate eò usque progressa, uel in nobis ipsis, uel in æmulo, quæ omnem æqualitatem tollat: sicut in fortuna Alexandri, quẽ odisse poterant multi, inuidere nemo. Opprimitur enim inuidia magnitudine, nõ aliter quàm fumus ingẽti flamma. Vicissim Hadrianus Cæsar nactus principatum, quum obuius ei esset fa ctus æmulus quidã: Euasisti, inquit, periculum. Tam etsi quartũ illud genus inuidentiæ non nouit discretiones: omnia inuadit, & lacerat. Vertitur item inuidia in misericordiam, si in locum felicitatis succedat miseria. & ferè ita fit, ut inuidi sint ad misericordiã proni, & misericordes ad inuidentiã. Contemptus, quia miseriæ pars est, inuidiam retundit. quod Dionysio inferiori contigit, quum deuolutus tyrannide, abiecte despectéq; Corinthi consultò uersaretur.

Aegrotis

Mimésia. Aegrotis, ſenibus, pueris, minus inuidemus: quòd eorum infirmitatem miſeramur. ſenibus & ægris uidetur inſtare finis curriculi huius: pueros ad eam magnitudinem neſcimus peruenturos, quam nos nollemus. Et alioqui pueri, ut animantes omnes teneræ, amabiles ſunt, propter innocentiã ac ſimplicitatem. Extruditur minor inuidia à maiore, hoc eſt de rebus quas nos multo pluris facimus. Opprimitur etiã metu grandis alicuius mali. intento enim in periculum impendens, non uacat inuidere. Flacceſſit inuidia erga procul diſſitos uel loco, uel tempore: ut erga eos, qui longiſſime receſſerunt: & in mortuos, niſi ſi res aliqua coniungit eos, & ceu præſentes reddit, ut quum ad comparationem æſtimationemq; reuocantur uel ingenij, uel eruditionis, uel monimentorum, uel rerum geſtarum, uel nobilitatis, uel diuitiarum atq; opum, aut rerum eiuſmodi. Inuidia communicata fit minor. deteritur enim noſtra inuidentia ex aliena aduerſus eundem, tanquam ille iam fiat miſerabilis, cui tam multi male cupiunt. adeò ut etiã quidam bene de ijs & loquantur, & ſentiant, quibus inuident, quum alios uident male de eiſdem loqui, ſuprà quàm exiſtimẽt par eſſe: uel cum uituperari audiunt in eo illa, quæ ipſi potius laudanda cenſeant. Permouetur enim animus rei indignitate, quòd mala exiſtimet bono

met bono accidere: & hanc putat esse ultionem, si contrà dicat, & approbet, quæ illi reprobãt, ut eos male urat. Quarta inuidiæ ratio iniquissima est prorsum, nec à Deo indita, sed à Dei inimico diabolo per peccatum inuecta. Reliquæ tres, stimuli sunt, ut magna bona uelimus parare, & conseruare. Finis.

DE ZELOTYPIA.

IN tertia parte inuidentiæ est Zelotypia, quæ (ut uerbum sonat ipsum) Zelus est de forma. Ea est metus, ne quis, quem nos nollemus, fruatur forma aliqua. id uero dupliciter: uel ut nos fruamur soli, uel ut is fruatur solus quem ipsi uolumus. nam & de liberis, & sororibus, & de matribus, & de pupillis, & curæ nostræ concreditis, tangimur Zelotypia: non ut nos illarum fruamur forma, sed ne alij cõtra ius & fas. id uero malum esse censemus, uel nobis, ut ignominiam aut pœnam: uel illis ipsis, quæ nobis sunt charæ, ut decus uel flagitium. Zelotypia autem fruitionis nostræ ex cupiditate nostra nascitur, quæ est uel uoluptatis, uel possessiõis, uel proprietatis, uel decoris. Ex quarum cupiditatũ incremẽtis & decrementis, augetur & minuitur Zelotypia. Nam uel uoluptatem existimamus esse tantã, ut soli uelimus perfrui: & extenuari credamus, si cõmunicetur: uel cupimus possidere, & amissionem metuimus in communicatione;

De finitio.

Effitientia.

3 munication: uel qualecũq; id est, quod possidemus, nollemus in eo habere socii. ut ille, qui negat se uel Iouem passurũ riualem. Ita euenit sæpe, ut quod habemus proprium, si reddatur commune, abijciamus prorsum, atq; aspernemur: et non modo Zelotypiã, uerũ etiam cupiditatẽ illius omnem exuamus. Postre

4 mo spectatur in hoc Zeli genere decus aut dedecus, pro cuiusuis æstimatione ac cẽsura Zelotypiã indui mus, deponimus, augemus, diminuimus: quo fit, ut uarie homines apud uarias nationes sint in hoc affe

Zelotypi. cti. Occidentales & meridionales grande censent esse maritis dedecus, uxorũ impudicitiam, ideo ualde Zelotypi sunt: septẽtrionales non itẽ. Animantes quædam Zelotypia tangũtur, ut olores, & columbi & gallinæ, & tauri, metu cõmunionis, ne minus sit quod communicentur, né ue amittatur penitus. Cre scit & decrescit Zelotypia ex personis, locis, temporibus, negocijs. Personæ sunt, Zelotypus, & ea

Augensia, e nuchiensia à Zelotypo. 1 de qua est Zelotypia, & propter quam. Zelotypus, si sit suspicax, sinistreq; omnia interpretãs, magnas præbet morbo suo accessiones: sin ita de se sentit, ut nõ arbitretur habere se quo placeat, celerius & gra

2 uius in Zelotypiam incidit. Cuius sumus Zelotypi, potest occasionem dare affectionis & incrementis & decrementis, nam & antequam experimẽto fiat

notior

notior, considerantur in ea priora, mater, auia, educatrix, & educatio, & tota antè acta uita: tũ in experimẽtis sermo, mores, pietas, constantia, ingeniũ, prudentia, amor erga nos, cura boni nominis, & metus infamiæ. Nos etiã quemadmodum in eam perso
nam simus animati, multum refert. nam si infensi sumus, omnes occasiones arripimus calũniæ ac rixæ: sin diligimus, minus facile ad Zelotypiã impellimur. uerus enim amor minime est suspicios⁹: imò cõtrà, à Zelotypia amor diluitur. nisi fortè est is amor, quẽ coniunctum diximus cõcupiscentiæ, quum amicus amici sui benevolentia alijs inuidet, quo fruatur solus. Is de quo sumus Zelotypi, si soleat ad impudicitiã sollicitare, si possit, si artes eius negocij calleat, si capiatur tali forma, qualis est erga quam tenemur Zelo: si iam re ipsa det operam, & sollicitet: si habeat, unde possit ei placere: si non è regione plura, uel maiora alia, unde displicere. multũ hæc Zelotypiam & pariunt, & enutriũt. Ex loco, si non est aditus, sũ omnia obserata & clausa: si locus sacer, aut frequẽs, uel obseruatus, aut expositus multorũ oculis, & eorũ amicorum, uel fideliũ nobis, uel inimicorum illi, uel curiosorũ, aut loquacium, uel prudentis unius ac uigilantis custodis, minus habet uiriũ Zelotypia. quæ si cõtraria sunt, plurimum. In tẽpore sunt opportunitas,

opportunitas, religio, ſi non uacat uel petenti, uel petito. Ex negocijs, ſi magnis negocijs diſtinentur, aut occupatiſſimi ſunt: ſi putant eſſe damnoſum ſuis utilitatibus, uel exiſtimationi: deniq; ei rei, quã ipſi pluris quàm uoluptatem faciant. His omnibus adde cauſas contrarias. nam alteræ percẽſentur pro utriſq;: ex cauſis uero contrarijs cõtraria exiſtunt effecta. Atq; in ijs quæ ſunt cõmemorata, plures maioresq; cauſæ plus habent ponderis. ſunt autem maiores minoresue, nõ ex ueritate, ut ſæpe dixi, ſed ex animo atq; opinione uniuſcuiuſq;. Gignit Zelotypia in animo inquietudinem noctes ac dies, turbulentiſſimas omnes uoculas, omnes auras captat Zelotypus, & arripit, & amplificat apud ſe, cum iniquiſſima de ſingulis calumnia. Zelotypia ſimul & naſcitur ex ſuſpicacibus, & facit ipſa ſuſpicaces, atque ad peiora omnia credulitate procliuiſſimos. Tranſit in odiũ et rabiem non ſolum cõtra rem Zelatam, ſed in omnes quotquot apud iniquiſſimũ animum ſuum cõfingit, occaſionem aliquã præbuiſſe facinori, de quo eſt anxius. poſtremo aduerſus ſemetipſum. unde crudeliſſimæ ſæpenumero ſequutæ ſunt ultiones, ut etiam Zelotypus ex morbi impotentia manus ſibi uiolentas attulerit. De ſexu altero loquor ex more: ſed uterque eſt intelligendus. nam inter fœminas non minor eſt hæc

hæc perturbatio, nec leuior impatientia, quàm in uiris. Aboletur affectus hic, sublatis ex quibus nascebatur causis, & potissimum suspicionibus ac credulitate, tum ratione aduocata, quũ considerant se torqueri frustra, nec aliud quàm molestiam lucrifacere: ut uxores aliquot & olim & nostro æuo prudentissimæ, quum flectere se maritorum animos zelotypia non posse reputarent, eam tanquam inutilem & ærumnosam deposuerunt prorsum. aliæ, quòd animaduerterent maritorum lasciuiam ignominiæ sibi non fore, imò plerunq; maiori gloriæ, æquis animis secubationem alienationemq; maritorũ pertulerũt. Inuicem ignominia. 2

DE INDIGNATIONE.

INdignatio est offensio, seu dolor, de indigna felicitate. indignitas uero hæc aut in persona est, aut in re: in persona, quum indignus uel expetit bona, uel (quod grauius est) adipiscitur: in re autem, quum accidit res bona malo, uel à malo. in quo animi motu est duplex indignatio aduersus agentem in malum, & misericordia in eum qui patitur immerito. Nascitur facile indignatio ab inuidia. ea enim ut est iniqua, efficit ut quicquid alteri euenerit boni, indigno credamus euenisse. Quod si pungitur quis, ne quid fortè redundet in se incõmodi ex bono alterius, ea perturbatio nõ tam indignatio erit, quàm metus. & Definitio. Diuisio. 1 2 Etymologia

ex metu coalescit odium: quod si est iam in præsenti damno, contrahit se animus in ægritudinem. Est interdum qui de sua ipsius felicitate, ei à quo sibi est uel tributa uel procurata indignetur, quũ indignum se atq; imparem negocio iudicat: uelut regi, quod ab eo sit creatus consul: uel amicis, qui creandum curarunt. sibi quoq; ipsi qui expetierit, qui ambierit, qui acceperit: ut Vespasianus in triumpho Iudaico apud Tranquillum. quod ferè fit, quum aliquid interuenit molestiæ. quocirca in definitione quum felicitatem posui, non adieci alienam. Huc referri potest ille ex Comœdia semetipsum crucians, quod melius ipse agat domi, quàm filius militiæ, idcirco decreuit sibi malefacere. Et indignitas hæc circa omnia uersatur boni genera. nam indignamur malo contigisse opes, & formam, & robur, & ualetudinem integram, et facundiam, & ingenium, & literas. Malum uoco eum, qui nostro utiq; iudicio non bene illis est usurus. Sola si adsit iustitia, & probitas, non indignamur. nullam enim mẽtem cẽsemus ea esse indignam: nec arbitramur futurum eum uel nobis, uel quibus bene cupimus, inimicũ, aut noxium. Cretenses quidem ijs quibus male uellent, dicebantur imprecari, ut rebus malis assuescerent: sed ubi bonis iam uiderentur esse moribus præditi, id non essent imprecati. neq;

indigna

ti. neq; enim illis ipsis fuissent inimici, quos sibi non esse inimicos existimarent. Nihil est enim iustitia et probitate amabilius. Acrius uero indignamur ijs, quibus casus aliquid tribuit, quàm quibus natura: & recens adeptis, quàm olim. uetustas enim multum parauit sibi iuris: ut iam naturale uideatur, quod diu est possessum. Stomachamur item, si quis quæ supra uires aut meritum ipsius sint, aggrediatur: uelut magistratum, honores, decus, certamen cum potiore, siue potior sit ea in re de qua contenditur, siue in diuersis. Prioris exempla sunt, imperitus cum perito, ignauus cum forti, pauper cum diuite. posterioris autem, musicus cum uiro iusto, rhetor cum imperatore, pictor cum magistratu: quum quidem in ea concertatione pictoria ars cum magistratus dignitate committitur. alijs autem nominibus nec censentur, nec ueniunt in comparationem. Permouemur item, si quis laude quidem dignus, laudetur tamen supra meritum, tum enim conamur illi etiam meritàm laudem detrahere. Indignatio plurimum inualescit in superbo, qui ut se maximis bonis censet dignissimum, ita alios omnes uel mediocribus bonis impares, ac indignos. itaque omnibus, qui bonum aliquod affectant, tanquam immerentibus, ac proinde iniustis succensent. Quòd si sint competitores, aut eandem

Augentia.

ingrediantur uiam, quam ipſi peregerunt, ſuboritur Zelus, ne & eódẽ quò ipſi perueniãt: puta ad opes, famam, eruditionẽ, fauorem, gloriam. Itaq; homines modeſti, tũ animis uel humilibus uel ſeruilibus, haud ualde ſunt perturbationi huic obnoxij. Indignatio ex eadem radice oritur, qua miſericordia: nempe ex iudicio boni, & amore illius. Sed in obiecto ſunt affectus contrarij. quippe indignatio eſt de bono indigni: miſericordia autem de malo indigni. Ex harum duarum commixtione naſcitur affectus ille, qui in

Zelus. Sacris literis nonnunquam Zelus nominatur, ut in libris Regnorum de Helia: & in Pſalmis: Quia Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum uidens: & Zelotæ illi bello Iudaico, de quibus Ioſephus. Eſt enim Zelus hic indignatio de ijs, quæ indigne fiunt contra eum, qui eſt nobis charus: uelut contra Deum, & res ſacras, contra rempublicam, contra principem. quo prætextu multi ſæpenumero prauis libidinibus ſeruiũt, & explent odij ſui acerbitatem. Zeli nomine alij rapiuntur Zelo imperito atq; impruden ti: qualem in Iudæis fuiſſe Paulus ſignificat, ſcribẽs

Indignationis cauſa. ad Romanos. Addita eſt homini indignatio ad uitæ communionem, ut æqua & recta conſtet bonorum omnium diſtribution, ne ad indignos deueniant, hoc eſt praue uſuros.

DE

DE VLTIONE ET CRVDELITATE.

QVicquid affectus accipit, cupit in idipſum refundere, unde accepit, ſiue bonum ſit, ſeu malum. hinc naſcitur erga beneuolum beneuolẽtia, & benefacientem beneficentia, uel contrà maleuolentia & maleficentia. Qua de cauſa animus ab aliquo affectus dolore, cupit in illum ipſum, qui dolorem dedit, retorquere ſimilem morſum: iſq; appetitus ulciſcendi dicitur, & quum in opus exit, ultio. ea uero eſt meritæ ſententia noſtra pœnæ inflictio: pœna autem damnum eſt, ſiue læſio, in quocunq; genere bonorum animi, corporis, fortunarũ, ut eſt cuiuſq; de his exiſtimatio. Nam ſunt qui ſe ulciſci putant de iniuria, oſtenſo medio ungue, aut geſticulatione turpi, aut conuitio. ſunt rurſum, qui fuſte uel gladio malint impeti, quàm uerbo probroſo. alij, qui uel parum ſibi uirium ad ultionem eſſe rentur, uel auidiſſime eam expetunt, diris deteſtationibuſq; uindicem ſuperiorem implorant, ut principem, uel numen. Omnis ergo offenſio, quæ latè per odium, per iram, per inuidiam, per indignationem ſe porrigit, cupidinem habet ultionis, hoc eſt doloris reponendi: niſi quod alij affectus aliter. Inuidia enim callidè & aſtutè ſurrepit, ut nolit intelligi à ſe eſſe ultionem proffectam. Ira aperte, & indignatio: ut hoc ue

Vltionis definitio.

Pœna 3 d.

Pœnæ diuiſio.

Effigies.

lit & ſciri ab alijs, & ab illo de quo ſe ulciſcitur ſentiri ac intelligi. Zelus glorioſam ſibi cenſet & prædicandam uindictam de eo, cui ſuccẽſet, ſumptam. Odium uarium eſt. nam quum excandeſcit, in naturam iræ tranſit. frigidum uero quaſi uirus furtiuè ſurrepit, ac lædit. Acerbitas offenſionis, quæ cohiberi amplius non poteſt, ſed effuſe in ultionem omnem prorumpit, ut noceat, quacunq; poteſt, rabies uocatur. tractum nomen à morbo, quo canes & lupi infeſtantur. quæ quoniam non datur erumpere, auget & comprimit cor, grauiterq; corpus uniuerſum afficit, & percellit, quod rumpi ac diſrumpi dicitur. Actus & mulctationis & uindicationis, quum inualuit, tranſit in ſæuitiam, ſeu crudelitatem, quæ eſt ſympathiæ priuatio. qui enim compatiuntur, miſerentur quoq;. Carent autem ſympathia alij perpetuò, alij temporario. perpetuò, ex conſtitutione naturali corporis, uel ex conſuetudine, quæ uerſa eſt in naturam: ad tempus autem, ut qui affectu aliquo uehementi commoti indureſcunt. id autem non diuturnius eſt, quàm ipſa perturbatio: ut cupiditas rei alicuius uehemens exacerbat ſæuitiam in obſiſtentem, ut diuitiarum, uel principatus, uel uoluptatis. tum metus de re chara: ut de uita, de imperio: quod Neroni & Caligulæ & Commodo accidebat

Rabies.

Crudelitas. ſæuitia.

debat, qui ex metu ſæuiebant. Econtrario Titus Ve
ſpaſianus filius ex fiducia & ſecuritate animi erat
manſuetiſsimus, etiam aduerſus inſidiantes ſuo prin
cipatui. Ira quoq; & offenſio dum ardent, auferunt
rectas cogitationes, ſuadentq; aſperrima, & maxi-
mè dira. Et eſt crudelitas triplex, in procurando, in Crudelitas
exequendo, & in prætermittendo. Procurant, qui triplex.
iubent, qui arte efficiunt, uel aſtu. Exequuntur, car 2
nifices & milites. multi enim crudeles ſunt in iuben
do, ad quod non ſuſtinerent manus admouere. Ter- 3
tia eſt crudelitas in ceſſatione officij, quum non mi
ſeramur, quos oportet, uel ex maleuolentia, uel ex
ſocordia: ut quum deſerimus uel prætermittimus paren-
tes, propinquos, neceſſarios, calamitoſos, in mor-
bo, egeſtate, periculo, nec eorum aduerſis moue-
mur. caremus enim illa, de qua dixi, ſympathia.
Inhumanitas, atque immanitas eſt, quum iudicio
atque ingenio humano abiecto, ferinum ſumitur.
Subſidit ultionis cupiditas intrinſecus, quum re-
frigeratus eſt ſanguis à pulmonibus, aut à ſemet-
ipſo dlefervbuit: ut in iis quorum bilis cito quidem
inflammatur, uerum in leui materia tanquam in
ſtupa breuiſsime reſtinguitur. pertinaciores ſunt
melancholici, aut phlegmatici incenſi, ut tardio-
res ad ardendum. Conquieſcimus quoque acceptis

x 4 pœnis

pœnis à nobis, uel ab alio, uel ab amico, uel à natura & fortuna, quum fit miſer, æger, pauper, ignominioſus: & quum maiora pependit ſupplicia, quàm paſſurus erat ab irato. In mortuos nõ feruet ira, tanquam paſſos extrema, nec amplius capaces noſtræ ultionis. Deſinimus ſæpe uindictam expetere, quando iam illam paratam uidemus: quod multis euenit, qui inimicum quando habent in ſua poteſtate, parcũt, ſatis eſſe rati nocere potuiſſe. Langueſcit etiam acerbitas illa uicta, & delaſſata, quum paulo antè in alios deſæuijt: quemadmodum in publicis ſupplicijs placatur princeps in ciuitate, & imperator in exercitu, pœna paucorum. Frangitur interdum ab alio affectu, ut maioribus malis, uel ira maiore aliqua: ut lapis lapide, uel malleo. Ira quidem quum fermet, non admittit curationem ullam. magis enim remedio exacerbatur, propterea quòd ratio eſt prorſum perturbata, & ignis compreſſus ualidius ardet: niſi ea ſit fortè uis oppreſſionis, quæ ignem obruat, & extinguat, ut ruina incendium. Mitigatur quoq; amore eius, qui deprecatur pro inimico, aut quum eſt honorificum parcere, aut quando aliquid utilitatis ſperamus, aut timemus damnum, ut clauus clauo extruditur. Dies deniq; ipſa morbis omnibus animi medicinã adfert citius aut tardius, pro qualitate cor

poris

poris, pro perſuaſione & iudicio animi. & ut bilis accenſa parit facile offenſionem atq; iram: ita quum ſe remiſit, extinguitur illa perturbationis flamma. Idcirco bilim refrigerare admodum conducit, quibus modis ſuperius eſt dictum. Comprimitur, et reſeruatur uindicta aliud in tempus, quãdiu exequendæ illius non eſt occaſio. quod Reges dicit Homerus facere, ut ad tempus ultionẽ diſſimulent, quoad inueniant ſuam opportunitatem. interea autem coaceruatur, & computreſcit in ſtomacho: & quo longius dilata, hoc maiore cum purulentia euomitur.

DE MOERORE.

MOeror, eſt animi de malo præſenti contractio, uel de eo quod iam habetur pro præſenti. Perturbatio, eſt hæc omnino lætitiæ contraria. eadem à Cicerone ægritudo nuncupatur. Quas autem illæ ægritudinis partes conſtituat ex placitis Stoicorum, facile eſſet huc adducere: & feciſſem, ſi uel ab illis iudicarem eſſe ſatis recte tradita, uel à Cicerone animaduerſa, atq; expenſa. ſed neutrum uidetur mihi. ſi cui tamen placent, equidem non impedio: in promptu ſunt apud eum quarto Tuſculanarum quæſtionum. Naſcitur interdum mœror ex ſola boni abſentia: ut matri, quum unicus diſceſſit. Multi quoq; poſt delicias, & conuiuia, & dies feſtos

Definitio

Explicatio

ſtos ac lætos triſtantur. unde eſt rei amiſſæ deſide-
rium, & animus inquietus aliquid ſemper requirēs:
ut in equa pullo adempto. Ex mœrore atra bilis gi-
gnitur, & ex hac uiciſſim mœror ingraueſcit, ſiue
alia mali opinione. Videas melancholicos homines
mœſtos, quibus alioqui nihil accidit mali, nec ipſi
mœſtitiæ ſuæ cauſam poſſent reddere. Nigri huius
humoris opus eſt obtenebrare ſpiritus, unde hæc
exiſtunt incommoda. adimitur animo ſua alacritas,
eademq; ex cauſa uultui quoq; obfuſcatur ingeni-
um. Moleſtiæ, inquit M. Tullius, me hebetarunt. &
Niobe in ſaxum dicitur eſſe ex luctu conuerſa. In-
ducitur refrigerato cerebro ſomnus, quemadmo-
dum eſt apud Pſalmiſtam: Dormitauit præ tædio
anima mea. Suboritur odium tum hominum, tum
lucis ipſius, rerumq; omnium humanarum, iuuatq;
altius in mœrorem demergi: nec hilariora, uel con-
ſolationes admittuntur. quod Octauiæ contigit, de
Marcello filio in adoleſcentia extincto. adeoq; æ-
gritudo auet gliſcere, ut nunquam ſe ſatis iudicet
mœrere. Cornelia Pompeij apud Lucanum in ipſa
doloris face:

Turpe (inquit) mori poſt te ſolo non poſſe dolore.

Augetur præcipue mœſtitia in meticuloſis, qui lon-
giſſimè ſuſpiciones mittunt, & diffuſam texunt ma-

lorum

Melancholiæ incommoda.

lorum telam : ex hoc damno illud, ex illo aliud, & deinde aliud nascetur. Transit postremo in odium sui ipsius, & desperationem, ac rabiem: sicut de Hecuba legimus, quæ hac de causa fingitur uersa in canem. Corpus autem ægritudine exiccatur, & contrahitur cor, adeò ut in quibusdam ægritudine extinctis repertum sit, non latius membrana. cor autem contrahit secum uultum, hoc est suam imaginem. deniq; atteritur ipsa ualetudo. Comites mœroris sunt fletus, planctus, gemitus. Affectio hæc frigida est, & sicca. idcirco inualescit in frigidis temporibus, & locis, omninoq; in ijs quæ ingeniũ obtinent melancholicum : ut in autumno, & hyeme, & tempore nubilo, & de nocte, tum ad Septentrionem. in quibus regionibus plures absumit mœstitia, quàm in Hispania uel Italia. A contrario autem lux & serenitas exhilarat animos, & sol (quemadmodum Plinius inquit) tenebras tristitiamq; non cœli modo, uerum humani quoque animi discutit. Et ut lætitia charis communicata augetur, sic etiam mœstitia. in lætitia enim præter nostrum bonum lætamur lætitia eorum, quibus bene uolumus : item in ægritudine præter malum nostrum animaduertimus eos, quibus chari sumus, in eisdem malis uersari, amore scilicet omnia unum reddente. Inter eos

Mœroris comites.

Augensia.

Augensia.

autem

autem qui non ita amant mutuo, contrarium euenit, ut lætitia communicata augeatur: uelut in societate quæstus, uictoriæ, belli, lusus, litis. Mœstitia autem in alios deriuata, leuatur animus. Solacium enim est, se in malis non esse singularem: tum alios miserari sortem nostram, tanquã patiamur immerito. Et quando est, qui ex dolore nostro dolet, nec is tamen dolor in nos reciprocatur, uelut oneris partẽ à nostris humeris in alienos transferimus. quo fit, ut aliena lætitia ægritudinem nostrã exacerbet: sicut festi dies, & celebritates publicæ. cohibetur enim introrsum, & augetur mœstitia, per appositum contrarij: quemadmodum calor uiuentium corporum in hyeme. Et quum alios reputamus dolore nostro non moueri, surgit indignatio, & miseratio nostri ipsorũ, & tanquam in nouo malo renouatur mœror. Diluitur tristitia uel malo sublato, uel reddito amisso bono, aut rebus lætis maioribus affluentibus, quas non pluris æstimemus, quàm illas, quarum absentia dolebamus. diluitur ijs etiam, quæ tepefaciunt atram bilim, ut cibis calidis, & humentibus, uino potissimum. De quo est in Sacris literis: Da uinum mœsto. oblectamentis quoq; uisus, uel auditus: ut cœlo aperto, campis & pratis patentibus, musica. tametsi est musicæ genus quoddam, quod mœsto maiorem mœrorem infert

Quomodo tollatur mœror.

infert. Assueti malis affligi, uelut callum animo ducunt, minusq; ab ægritudine premuntur, & maius malum minoris mali sensum obruit. Discutitur quoque auersione cogitationis, ut negocijs, & narratiunculis lepidis, recto iudicio: nempe reputatione non esse tantum malum, non tanti esse ut sic nos affligamus, plus nos in eo quod agimus perdere, quàm sit in eo quod dolemus deperditum: nempe negocia, & occasionẽ quæstus, dignitatem, autoritatem, famam, gloriam, quæ sunt ex medijs consolationibus: non esse malum, non tantum, non illi cui euenit, non nobis, non charissimis nostris: maius bonum instare, aut esse consecutum, hanc esse communem sortem, ab illo fieri cuius uoluntati & iudicio non obtemperare nefas est, mœrore remedium non parari. Postremo, ut in alijs animi morbis clauus clauo retunditur, quum ostenditur uel periculum maioris mali, quod instet, ut illud, quod iam adest, pro nihilo sit habendum: sicut qui dolet amissam pecuniam, in discrimine captiuitatis, aut mortis, aut amissionis liberorum uersari. uel commonstratur maximorum bonorum spes, ut famæ, & immortalitatis nominis, uel dignitatis, gratiæ principis, aut illius (quod omnia superat bona) beatitudinis sempiternæ.

DE

DE LACHRYMIS.

Definitio. Impediens. Efficiens. Lachrymæ unde.

LAchrymatio nõ est affectus, sicuti nec risus. est enim lachryma humor, ex calfactione humidi ac teneri cerebri distillãs per oculos. In magna calfactione, quando cerebrum exiccatur, non manant lachrymæ: ut in ira uirorum, nec quum iam antea est exiccatum, ut in longo mœrore ac luctu, in senecta: uel quum siccum est ex se, ut in melancholicis. Sunt quos ingens ægritudo ita obstupefacit, ut compresso calore omni, lachrymã dare non possint, quas uel in mediocri dolore profunderent largiter. Profluunt autem lachrymæ, quum cerebrum est humectatum, ut in ebrijs: quum molle ac tenerum, ut in pueris, mulierculis, ægris. Existunt sæpe ex uento ualido, ex fumo, ex aduersa aliqua ualetudine, ex risu itidem, quoniam in eo incalescit cerebrum. Ab affectionibus etiam nascuntur, uelut ab amore, ex desiderio fruendi re chara: ab ira, in teneris, & qui se ulcisci non possunt: ab inuidia, in mulierculis & pueris: à pudore, à lætitia. Potissimum uero ex miseratione defluũt lachrymæ. ea uero est duplex, uel sui ipsius, uel alterius. Miseratur quisq; semetipsum in mœrore, quòd indigno iudicet ea mala accidere. adeoq; naturales tũ sunt lachrymæ, ut multi eas profundant abunde, uel sola ex reputatione, quòd possent sibi

sent sibi mala immerenti contingere: uelut carcer, exilium, paupertas, orbitas, mors. Et ut quisque sese amat tenerrimè, maximisq; censet esse bonis dignũ, ita est ad sui miserationem promptissimus: atq; inde lachrymatur ad imaginationem mali. Aliena quoq; mala ex sympathia mouent nos, & eliciunt nostras lachrymas: sed hæ tamen tum ad prodeundum tardiores sunt, tum ad exarescendum faciles. quòd aliena incommoda tanquam procul spectamus, & quorum leuis ad nos sensus perueniat. Existunt quoque lachrymæ, quum quid uidimus, uel legimus, uel uidemus, uel recordamur pie, sancte, officiose dictum à quopiam, factum'ue: & eo magis, si is qui egit, aut dixit, periculum aut damnum suum magno atq; excelso animo præ operis pulchritudine pro nihilo duxit. Tributæ sunt homini lachrymæ ad testandũ nostrũ dolorem, ut alios in nostri miserationẽ, atque ad ferendam opem adducamus, ut auxilio mutuo iuuemus inuicẽ: tum etiam ad testificationẽ, alienis malis nos affici, in quo est permagna animorũ conciliatio. Lachrymarũ causa.

DE METV.

METus est, inquit Aristoteles, mali appropinquãtis phãtasia. Idcirco pericula metuimus, quæ sunt mali aduentantis prænuncia. cuiusmodi sunt tempestates, prauæ qualitates temporũ, ad quas De fugio. Effugio.

sequuntur

sequuntur eluuiones, fames, pestilẽtiæ. Iræ item atq; offensiones eorum, qui possunt lædere. quoniam enim possunt, & uolunt, manifestum est rem malam instare. Timentur item astuti, uafri, callidi, magis quàm simplices & aperti. Timent qui sunt alijs formidolosi, iuxta mimum Laberij: Necesse est multos timeat, quem multi timent. qui enim formidini est alijs, nisi omnino insanit, uidet periculum sibi esse ab illis omnibus, ut se à metu liberent: & quem metuunt, oderunt, ut est in uetere uerbo. nisi forte ij sint metuentes, à quibus nullum possit damnum existere, aut quia nolent, aut quia carebunt uiribus: & si hoc rarum est. quoniam nihil est tam imbecillum, quin aliquid ad nocendum ualeat homini, præsertim in occasione. Mala etiam longinqua minus nos perturbant: ut mors incerta, quam etiam senes homines procul adhuc abesse sperant. Aliter sic ab Aristotele finitur metus, ut sit perturbatio ex opinione futuri mali utiq; molesti, uel corrumpentis. non enim inquit, omnia expauescimus: quale est si quis sit iniquus futurus, aut ignarus: sed quæ magnas molestias important animo, aut corruptionem corporibus. Id quidem ferè in uita ciuili, de qua ille in Rhetoricis præceptis loquitur. pleriq; enim hominũ inscientiam & uicium non habent in malis, sed quod nocet corporẽ

cet corpori, aut affectioni. Qui uero ex præstabiliore sunt nota ingeniorum, non minus ignorantiam rerum bonarum & uitium exhorrent, q̃ alij morbos & mortem. itaq; sic commodius finietur. Est contractio animi de eo, quod cuiq; malum uidetur, quũ cogitatur aduẽtare. Ergo quòd metus nascitur ex periculi cõsideratione, qui plus considerãt, plus timent: ut prudentes, sobrij, experti. Pericula proxima, etsi aliena, incutiunt nobis timorem, tanquã non procul à nobis absit malum. Proximum uero est uel loco, ut illud, Paries quum proximus ardet: uel similitudine conditionis. tremit enim latro, quũ latronẽ alium uidet suspendi: & prægnãs, quum alia uitã in puerperio amittit. atq; eo perturbãtur confusius, quanto est conformior conditio, in eo præsertim unde contractũ est malum: ut si grassator plectitur, quia uulnerauit, non contentus spoliasse, alter qui idem admisit, expauescit. Sin quid sit dissimile, minor est metus: ut si spoliauit tantum, non uulnerauit: si ille captus est quia solus, hic uero habet comites: si ille quia pernoctabat in publico diuersorio, hic in spelunca: si quis ex febre quartana interijt, quòd sibi nimium potãdo indulgeret, minus terretur homo temperans in quartana. Metus primum omnium cõtrahit, & debilitat cor, ad cuius opitulationem superio

Metus definitio.

Metus effectus in corpore.

rẽm calorem natura illi ſummittit. isq; quum nõ ſufficit, etiam inferiorem cõdem rapit: unde pallor, & frigus. Tremente corde, tremit uniuerſum corpus. motũ enim cordis ſequitur. unde linguæ titubatio, atq; hæſitantia. Quod in alijs quoq; affectionibus eſt annotare, in quibus cor celerrime agitatur: ceu in ira, & lætitia, tum etiam in exercitatione. Sed in metu uox eſt exilis, quia calor à corde & à ſuperioribus deſcendit: in ira grauior, quoniam aſcendit. inhorrent etiam pili, quòd ex frigore comprimũtur pilorum meatus: unde rigor pilorum. Qui parum habent ſanguinis calidi circa cor, ignaui ſunt. Ideo qui propor tione ſanguinis magno ſunt corde, meticuloſi ſunt natura ut lepus. Columbi autem, & cerui, timidi: quòd felle careant unde accendi poſſet ſanguis. nam in quibus flaua bilis intumeſcit, ſanguis quoq; ebullit circa præcordia, & fiũt gnaui atq; ſtrenui. Qui craſſo ſunt ſanguine, & multo & calido circa cor, ſecuro ſunt animo, & audaci: abundant uidelicet calore, quod eſt ad fiduciam potiſſimum, & in qua diutiſſime conſeruẽtur materia, nempe denſa & firma. Quum autẽ exiguus calor reuocatur introrſum ad pectus, fit cor debilius, & magis tremit. Vnde faciẽ in metu rubeſcere, argumẽtum eſt animi degeneris: animoſior eſt, cui expalleſcit. corroborat enim natu

ra cor

ra cor, ſummiſſis illi undiq; ſubſidijs caloris ac ſanguinis. Is porrò calor, ſi deſcẽdat, creſcit metus, deſerto corde: unde et aluus ſoluitur. Et ex naturali ratione Homerus de ignauo dixit, Cor illi ad calcaneũ decidiſſe. Illud eſt annotandũ, compreſſionẽ omnem cordis, quæ in ægritudine eſt, & formidine, tum etiam in offenſione & cupiditate cohibita & compreſſa, angustiam nominari: quæ fit etiam ſæpe ſine affectu, humore aliquo ſpiſſo incumbente in cor. Hæc quidem ſunt metus opera in corpore. in animo uero hæc exercet, perturbat et cõfundit cogitationes. Recte, qui dixit: Quomodo poterit cœlos et elementa ſcrutari, cui perpetuo incumbit paupertatis, ſeruitutis, mortis metus? tum illud: Pauor mihi ſapiẽtiam omnẽ ex animo expectorat. In periculis adeſſe animo, & conſilium ex re nata, quaſiq; ſub manum poſſe excogitare, ut de Annibale Liuius, et de Iugurtha Saluſtius memoriæ tradunt: non ſolũ fortiſſimorum eſt, & eorum qui non uehementer eiuſmodi periculis mouentur, ſed etiam acutorum, magniq; ingenij. tales ſunt autem, uel facti uſu atq; exercitamẽtis multis & magnis, uel à natura formati et inſtructi, quibus eſt ſanguis circa cor multus, calidus, liquidus: qui & copioſos, & ſubtiles, ac tẽperatos ad cerebrum ſpiritus mittat. Plinius ait, nulli animantium

Angustia de finitio.

Transitio.

Metus effectus in animo.

pauorem esse confusiorem, quàm homini. fides sit penes illum. Qui ingenij sui nutu ad metum deuergit, uix rationes ullæ ac cohortationes huic sufficiunt, ut animũ resumat, & sese erigat ad fiduciam. Magna & ualida est naturæ uis, quum incumbit intrinsecus, idest in prima cõstitutione: nisi acris atq; assidua sit meditatio in periculis contẽnendis, in animo aduersus mala confirmando, ut persuasum obfirmatumq; sit, mala quæ timentur, non esse admodum damnosa: aut alia parata esse maiora bona, si illis defungamur malis: aut maiora mala, si illa quæ urgent non deuitemus, ac superemus. Recte Catilina Salustianus: Compertum habeo milites uerba uirtutem non addere, neq; ex ignauo strenuum, neq; fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. Quanta cuiusq; animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria, neq; pericula excitant, nequicquam hortere. timor animi auribus officit. Sic ille. Et timido si persuadere tentes, timorem ipsum magis officere, & incommoda grauiora reddere magis timeat: ut in cõtagiosis morbis, in quibus multum nocet mali phantasia. pullulat enim metus geminus, alter ex periculo, alter ex metu ipso. Quæ ex metu proueniunt, hæc ferè sunt: demissio, abiectio sui ipsius, assentatio, adulatio,

tio, ſuſpiciones, cautio, quæ extimulat ad quærẽda malis remedia in animis firmis. in infirmis autem exiſtit cõſternatio, & cõturbatio, & exanimatio, tum etiam pigritia, deſperatio, & proſtratio, ut ſupra iacentẽ ingruat, quicquid impendet & minatur. Quæ propter nulla eſt animi miſeria maior q̃ metus, nulla ſeruitus fœdior. eaq; de cauſa odiũ aduerſus formidoloſum, ad metum tanquam ad cotem exacuitur, ut aduerſus tyrannum: & cupit ſe animus aſſerere in libertatẽ, unde reſumptis uiribus frigefactus ſanguis recaleſcit, & actione cõtrapoſitionis ardentiſſime adſeſe uindicandum accenditur. quæ res etiam animoſiſſimos ſæpe, qui timuerant, facit: & crudeliſſimos ſe in dominos gerunt, qui ſeruiebant: magnoq; impetu excutiunt à ſe illos, à quibus premebantur.

Metus, ut alij ferè affectus, ſuſpicioſus eſt, & meticuloſi omnes ſuſpicaces, omniaq; auget in maius: nec unquam tantũ eſt periculum, quantũ ſibi fingit. quocirca ſolatij loco eſt timenti pro re chara, intereſſe illius periculis, aut certe liquidò illa cognoſcere. Bene expreſſit hũc affectum Ouidius uerbis Penelopes: Vtilius ſtarent etiam nunc mœnia Troiæ. & quæ ſequuntur, notum eſt carmen. Metus augetur auctis cauſis, ex quibus naſcitur: tum ad formidinem aliorum, qui experti ſunt ea pericula, ſciũtq;

Quibus de cauſis augeatur metus.

quantum ex ijs immineat mali. ut quum nauta timet in tempestate, terrẽtur uectores: & qui intrepido solent esse animo, quum pauẽt, augent nostram formidinem: ut quum tyro conspicit ueteranum trepidantem. Perterrefaciũt nos quoq; grauius pericula, ubi præsidium nostrũ debilitatur. ut populus ualde conturbatur, quando magistratus timent, uel ij qui soliti sunt in periculis ciuitati prospicere: quemadmodum pulli tremunt matrice commota. Quas etiam res experti sumus ualde asperas, magis deinceps metuimus. uelut digladiationem ij, qui ex prima grauiter

Securitas. discessere saucij. Securitas est, quũ nullum esse remur periculum, idq; uel ex consideratione, uel ignorantia. ex consideratione, quum defuncti periculo nullum cẽsemus restare: aut in uniuersum despicientes omnia, quæ instant, nihil ad nos mali peruenturum iudicamus. Qui curam etiã abiecerunt illius boni, quod periculo impetitur, securi agunt, ut diuitiarum, famæ, uitæ. nihil enim habent amplius de quo sint solliciti, ac proinde timeant. Ignorãtia est in ijs, qui non cogitant aut perpendunt: ut dormientibus, pueris, ebrijs, inexpertis: tum in ijs quorum cogitatio aliorsum est auersa ab alijs cogitationibus & curis, uel à perturbationis uiolentia, ut ira, inuidia, cupiditate. Et securitas quidem est, ut dixi, quando nullum

lum esse periculum arbitramur. Fiducia autẽ, quum Fiducia.
in periculo confirmamur aduersus mala appetentia.
ea uero exoritur, uel aucto intrinsecus calore, ut ui 1
uo iniecto: aut ijs quæ corroborent cor, uel affectu 2
aliquo feruenti. ut ira, amore, cupiditate, metu maio
ris mali: quæ sunt animo animositatis loco etiam in
ignauissimis. certis etiã concentus generibus: ut scri 3
bunt de Timotheo musico, qui lyræ cantibus Ale-
xandrũ Macedonem & incitarit ad arma, & mox
paulo mutatis numeris sedarit. Audacia est, quum Audacia.
ad depellenda mala, uel bona ardua consequẽda, ani
mus exurgit, & rapitur. Quod fit maiore quodam
feruore sanguinis, eaq; de causa ad irascibile officiũ
refertur: de quo sum, quum de ira disserem, loqui
tus. Aestimatur autem periculum ex loco, ex tempo
re, ex personis, uel nobis ipsis, uel inimicorum, ex ui
ribus: quorum omnium consideratio uel grauat peri
culi opinionem, uel eleuat, quum uidemus parum no
bis posse noceri hoc tẽpore, hoc loco, ab his qui no-
lent, uel ob amorem nostri, uel ob ipsorum bonita-
tem. qualis est de Deo fiducia. Qui non potuerunt,
quia carent uiribus: non audebunt, quia non no-
scunt se habere uires, uel quod omnino non habent,
uel eas non intelligunt: ut equi, & tauri, & mul-
ti hominum. Et nobis in his possessionibus, familia,

amicis, neceſſarijs, deniq; perpenſis uiribus, munimentisq; (quibus ſepta eſt ea pars noſtri quæ impetitur, & id quod impetit) atq; inter ſe collatis. In ingenio ſunt acumen, eruditio, facundia: in ualetudine conſtitutio, uires, alimenta, medicinæ: in fortunis opes: in dignitate, autoritas, gratia: quæ omnia patent latiſſime. Non eſt loci huius explicare. qui adierunt ſæpe idem periculum, & euaſerũt incolumes, aut certe cum leui incommodo, fidentiores in poſterum redduntur: ut milites ueterani in bello. Noua, ſubita, inopinata pericula, animos quãtumuis fortes percellunt, ac conſternant. quæ uero præuidimus, quæ multũ uerſando cogitatione fecimus, iam quaſi familiaria minus urgent. Meditatio enim illa pro aſſuefactione fuit patiendi, ut quaſi callum animo induceremus. Confirmant nos quoq; exempla aliena. Ille & ille fecit, quid eſt in me minus? & eo ſumus erectiore animo, quo nos præſtare illis arbitramur, qui fortiter eadem pericula & ſubierunt, & euaſerunt. præſtare quidem ijs uiribus, quibus periculum eiuſmodi uel toleratur, uel repellitur: ut facundia, prudentia, gratia, robore, præſidijs amicorum, loci, temporis, principis, Dei. Quum uero imminens malum non ducimus pro magno & pernicioſo, conſtabilitur animus: aut quum paratũ ſcimus eſſe aliquid

potius

potius, quo prius illud ampliter compenſetur, uelut opes, eruditio, gloria, uita immortalis. Horror, & exanimatio, quæ ſunt metus in animo effectus & opera, in præteritum quoq; recurrũt: quale eſt Vergilij, Nanque animus meminiſſe horret.

Ferunt Iudæum quendam in Gallia, quum ex agro domũ de nocte reuertiſſet dormiens in aſino, tranſiſſetq; ruptum pontem per angustam tabulam, poſtridie reuocato ad acrem conſiderationẽ periculo, quod euaſerat, exanimatum eſſe. uidelicet imaginatio facit rem præſentem, ut aliàs dixi. Porrigunt ſe itidem formidines ad poßibile. coniuges quidam miſerabiliter cœperunt lamentari, quòd eſſent ad focum colloquuti. quid ipſis fieret, ſi unicum ſuum amitterent, qui illis erat ſanus, & ualens? Sed hoc phantaſiæ regnum latè per affectiones omnes patet. Datus eſt homini metus, ut caueat nocitura, priuſ quàm ſe illi applicent. Metus cauſa.

SPES.

SPes cupiditatis eſt forma, nempe fiducia, euenturum quod cupimus. Spes non habet euidentiam ſcientiæ, ſed coniecturam opinionis, uel probabilem, uel poßibilem, quòd ſæpe factum eſt ſimile, quòd aliquando, quòd in pari idem euenit, quòd aliqua ratione et cauſa debet fieri, quòd par eſt ut fiat,

quòd credibile est futurum in hoc. ab hoc, hoc tempore, hoc loco, negocio. Nihil denique est tam leue, tam minutum, tam procul dissitum, tam alienum, ad quod animus non adhærescat facile, dum spei admi nicula conquirit. quãtulum enim aut quale sit cunq; satis habet uirium ad spem sustinendam: adeò uel ipsa leuis est, uel hamata & uiscata. Iucundissima est spei persuasio, & uitæ in primis necessaria, inter tot ærumnas & res duras, peneq; intolerabiles. Omnia enim fierent sine spei condimento non solum fatua, sed etiã insuauissima. Prudẽterq; fictũ est in fabula, quod in Pandoræ pyxide, effusis rebus omnibus, ac perditis, spes sola resederit in fundõ: quæ est imago humanæ uitæ. ideoq; ab artifice mũdi effectũ est, ut spes leuissimis de causis & nascatur & sustentetur.

Effectus.

DE PVDORE.

Definitio.

PVdor est metus dedecoris, ex quo non sequitur damnũ, ab Aristotele definitur dolor, seu perturbatio animi, de ijs quæ dedecus uidẽtur inferre. Et omnia respicit tẽpora, præsens. præteritũ, futurum, possibile. nec solum pudor est de ipso dedecore, sed de periculo etiam, ne admittas tale quid, unde adijsse turpitudinis periculum uideare. Pudor quando quidem dedecoris est metus, multũ in ijs ualet, qui honoris sunt cupidi. hi enim tanto magis metuunt

Efficientia.

contrarium

contrarium, tanquam graue malum. Turpe & deco Δεινόν, αἰσχρόν,
rum multiplex est. aliud enim natura ipsa constat, ut αἰσχρόν.
quæ sunt hominis naturæ amica, uel repugnantia.
iustitia, humanitas, modestia, pulchra sunt & decen
tia: his autem contraria, deformia. Est & turpe ex 2
primo deriuatum scelere, quum corrupta est natura
diminuta est bonitas, inualuit uicium. hoc situm est
in omni mentione obscœnæ libidinis, quemadmo-
dum in Genesi scriptum legimus, post inobedien-
tiam uelasse primos illos coniuges pudenda. cuius
causa est, quòd humani animi generositas, quum vi-
det membra illa sibi non obtemperare, sed duci pro-
prijs quibusdam motibus, & incendijs, summouet à
conspectu, & occultat seruum repugnantem, &
subditum rebellem. Ideoq; quibus ea membra non
sunt rationi ac uoluntati humanæ inobedientia, mi-
nus illa & re & uerbis tegunt: quia non adeò tan-
guntur pudore, ut in prima innocentia, & in no-
stris senibus & puerulis: in quibus cum pubescen-
tia uenit etiam pudor rerum illarum. Est & aliud tur 3
pe ex offensione naturali sensuum, ut ad odorem,
uel aspectum tetrum, atq; auersandum: qualis est in
omnibus excrementis corporis, ijs præcipue, quæ
per amplas corporis cloacas defluũt. Res istæ omnes
per se turpes sunt, horumq; duorum generum uerba 4
& comme-

& commemoratio non carent obſcœnitate, & offenſio eſt deuitanda. cauſa eſt, quòd uerba mouent neceſſariò intelligentiam, & phantaſiam audientis. In uenereis phantaſia excitat motus libidinis flagitioſos: in tetris autem faſtidiũ, & nauſeam, totiusq; corporis, ſi paulò ſit tenerius ac delicatius, perturbationem. Hinc Cynicorum diſſoluitur cauilloſa reprehenſio humanitatis, quòd homines puderet loqui de ijs quæ neceſſaria eſſent, & carerent flagitio: cuiuſmodi ſunt, liberis dare operam, excernere, nares emungere, meiere: non puderet autem de uicijs & ſceleribus apertè loqui, uelut de latrocinijs, de furtis, fraudibus, proditione patriæ, uiolatione legum, tyrannide. uidelicet horum ſcelerum commemoratio, tametſi ea ſunt nefaria, tamen non mouent phantaſiam ad aliquid turpe, aut graue corpori. mouent autem illa altera, quamlibet naturæ neceſſaria, & conducentia. Quin & ſapientes ea flagitia reticent apud eos, quos ſuſpicantur imitaturos, ſi ſciant, non turpitudinis ſuæ gratia, ſed periculi alieni. quũ uero de illis aliquid referunt, addunt inſectationem addoctrinam cautionemq; audientium. Ex hiſce fœditatis & decoris generibus naſcuntur illa, quæ hominum moribus atq; opinionibus nituntur. plurimum intereſt, quemadmodum uel nos ipſi de rebus ſentiamus

tiamus, uel alij, quorum iudicio mouemur. Censura pulchritudinis, aut fœditatis, ex receptis uel moribus uel opinionibus sumitur. Idcirco alia alijs uidentur turpiora: ut sunt cupiditates eorum, inter quos uiuimus, & uersamur. militibus nihil est probrosius ignauia, negotiatoribus paupertate, aut carere fide, studiosis literarum inscientia. quicquid ergo aliquod istorum inter illos arguit, pudorem importat. In uniuersum autem, quoniam nihil est uirtute formosius, uitia omnia incutiunt pudorem. quin & eorum similitudines, imagines, signa, uitia sunt: quæ fiunt contra pium & fas, contra æquum, cõtra ius, & leges, contra maiorũ instituta, contra mores patrios, contra præcepta sapientum, & prudentum consilia. carere etiam ijs rebus pulchris, quæ alijs tui similibus non desint, siue priuatim cuiq;, ut adolescentem nobilem generosa educatione: uel publice, ut ciuitatem legibus, libertate, in uicio solent poni: tanquam tua culpa uel amiseris, uel non parareris, quæ à communi ratione discedunt, Verecundiam incutiunt siue in uitijs, siue in rebus neutris: ut statura uel enormis uel pusilla, oris aut corporis deformitas, linguæ uicium. Nec solum res nostræ turpes pudefaciũt nos, sed eorũ, qui nobis sunt cõiunctissimi: ita ut illorum turpitudo in nos ipsos, uel nostra in illos redũdet, uti

Turpis & decori censura.

patrum

patrum, auorum, filiorum, nepotum, consanguineorum, principum, subditorum, tutorum, pupillorum. Inter omnes patrum est maxima, quod uersiculo est Græco testatum: Nemo tam est uir excellẽs, suisq; fidens uirtutibus, quem non frangat parentum ignominia: propterea quòd uicia patrum in nos uidentur naturæ similitudine deriuari, tanquam hæreditaria. Sed apud rectè statuentes nihil ex hisce omnibus iustum & legitimum pudorem importat, præter illa, in quibus est aliqua nostra culpa: uelut in eorum peccatis, qui curæ ac prouidentiæ nostræ commissi sunt, ac crediti: ut filiorum, discipulorum, uxoris, pupillorum, subditorum, clientum, familiæ, necessariorum. de quo est illud, Amici uicia ferendo facis tua: utiq; in ijs probris, quæ ad curam nostram pertinent excludere, aut emẽdare. Quo fit ut etiam leges, & pietas, & bona maiorum instituta in gente aliqua, male ab alijs audiant gentibus, quum illis omnibus ea non fit melior. quale est apud Paulum, » Propter uos male audit nomen Dei in nationibus. Ex alieno pudore atq; ignominia pudefimus & nos, quum eiusdem turpitudinis sumus nobis conscij: uel quum illius fuimus autores, magistri, adiutores, socij: uel quum is pudefit immeritò, & quẽ indignum sit pudefieri. Erubescimus item ad alienam impuden

tiam

tiam, quando eum, quem conueniebat uerecundari, uidemus nihil cõmoueri prorſum, aut leuiſſimè. Qui quod non exhiberi ſibi reuerentiam uidens, à quibus, quo loco, tẽpore, negotijs, aut rebus exiſtimant oportere, uerecundantur ipſi, neq; id modo, ſed ſæpenumero indignantur & iraſcuntur. eoq; uehementius, quo plus ſibi arrogant, & honoris ſunt auidiores. Modeſti homines in medijs ſuis laudibus erubeſcunt: ut M. Cicero de Caio Aquilio dicit, pro Publio Quintio. timent ſcilicet ſuſpicionem arrogantiæ, ſi immoti ſuas laudes auſcultent, tanquam uideantur eas agnoſcere, atque approbare. Qui diſcrimina hæc norunt fœdi & decori, metuunt tamen dedecus, paſſim uerecundãtur ſine cauſa: ut pueri, et ruſticorum pleriq;. unde eſt ille pudor ruſticanus. Qui uero nihil hæc curant, nec eos pudet: quòd non ſimplici de cauſa cõtingit. Hi enim ex educatione non norũt, ut ruſtici, & filij egenorum: illi ſeipſos in flagitia ita proiecerunt, ut omnem reſpectum hominum exuerint, ut latrones, lenones, meretrices. Sunt quos in deſperationem egerũt ſua mala, et in odiũ decoris: ſicut inopes, mẽdicos, ignominioſos. Alij ſuperiores ſeſe eſſe rẽtur, & uerſari ſemper inter eos, quos nihil reuereri debeãt: ut principes, magiſtri, patres, ſenes, homines arrogãtes, q reli

quos

quos omnes despiciunt, tanquam inferiores se. Vi-
Ἀναισχυντία cissim, qui de se ipsi moderate sentiũt, sæpius incur-
runt pudorem, non à rebus, sed à suis ipsorum inge-
Ἀναίσχυντος. nijs. Qui uideri affectant nullis esse uel inferiores,
uel subditi, impudentiam dedita opera exhibent: &
quærunt occasiones pudoris, ut confidentiam in il-
lis suam ostentẽt. Ex optima & præstantissima sunt
nota assectatores sapiẽtiæ, qui hæc uulgaria rerum
discrimina derident. alia uidelicet habent ipsi excel
lentiora, magisq; ad libram ueritatis expensa atque
examinata. Considerãtur in censendis pulchris &
Ἀναίσχυντος, καὶ ἀναίσχυντος. Exoris deformibus, circumstantiæ locorum: ut in Aethio-
pia deformis non est color ater, nec statura pusilla
apud Pygmæos, nec furari Lacedæmone. Tempo-
Ex tempore Exoris ris: ut Saturnalibus ludere, atq; ineptire. Persona-
rum: uel nostra, ut aliquid turpe facere Magistra-
tum, deformius est, quàm priuatum: uel aliena, ma-
gis pudefimus apud eos, ex quorum improbatione
plus dedecoris nos reportaturos formidamus. uel ob
nostrum de illis iudicium, ut apud parentes, tutores,
præceptores: uel omnium, aut plurimorum, ut prin-
cipum, & eorum qui magni habentur de sapientia,
& rerum iudicio, uel de uirtute: & potissimum, qui
ei turpitudini, quã nos reformidamus, obnoxij non
sunt. Minus enim pudet nos turpiter aliquid agere,

apud

apud similia agentes. Deniq; quoscunq; reueremur, apud hos plurimũ erubescimus. Rursum, quorum iudicio nihil tribuitur, nec de eis uerecũdamur: ut puerorum, & morionum. Quod fit apud plures, magis pudendum est; quàm quod apud paucos, modo cætera sint pares. Idcirco multum pudet nos, si quod fœditatis signum dedimus apud eos, quos suspicamur prodituros: et eo grauius, si sint latè sparsuri. Cuius generis sunt, qui solẽt, ut dicaces: qui cupide faciẽt, ut inimici: qui possunt, ut celebres scriptores, uel qui inter multos & magnos uersantur. Amor si sit admixtus cum opinione magnitudinis, pudorẽ ducit secum comitem: sin aliter, tollit, ut inter pares. Magnitudo est omnis excellentia, quæ consideratur ut talis siue conditionis & fortunæ, siue corporis, siue animi, & mẽtis. Spes quoq; ad pudorem facit. à quo enim speramus boni nos aliquid accepturos, quocũque boni genere, quod nos utiq; ducamus esse tale: apud hunc ex leuissima dedecoris specie perfundimur rubore, metu, ne spe nostra frustremur. huic uidelicet probari uehementer expetimus, ut uoti fiamus compotes. Signa quibus fœditas notatur, sunt: reprehensio, increpatio, conuicium, derisio, illusio, dictum, nutus, gesticulatio, uoces inconditæ. Pudor suffundit genas rubore, quæ est erubescentia: quia

Notæ fœditatis.

Erubescẽtia

periculum in metu eius est generis, ad quod propulsandũ opus sit cordi subsidio, nempe calore illuc occurrente. in pudore autem conturbatio quædam existit animi, ex opinione dedecoris. ad caput ergo rapitur calor, unde per faciẽ diffunditur. Eamq; ob causam M. Cato nec puerum pallentem probabat in pudore, nec militem rubentem in discrimine: quod hic argumentũ præbebat ignauiæ, puer autem confidentiæ atq; impudẽtiæ. Quæ uidentur fœda nostra, magis nos afficiunt pudore, q̃ quæ audiuntur: & aspectus eorum quos reueremur, plurimum nos pudore afficit. idcirco pleriq; in uerecundia demittunt oculos, alij auertunt, alij claudunt. pueruli, quum erubescunt, naturaliter manibus operiũt oculos, & faciẽ. Socrates de amore dicturus in Phædro Platonis, faciem pallio operuit, tanquam in argumento uersare tur parũ se digno. nec sine causa dicitur prouerbio, Pudor in oculis. In tenebris nullus ferè est pudor. & quũ capite sumus inuoluto, nec noscimur, minus pudet. Alij generosiores, qui uel in solitudine apud semetipsos pudescunt, siue quid in præsentia agũt tur pe, siue ex recordatione, quod egerint. Pudor, sicuti & metus, animum conturbat: tametsi non tanto quatit tormento, sed confundit certe, excutitq; recte cogitata. quod deprehẽsum est in doctis, & cordatis

Pudoris effectus.

datis uiris, quũ uel ad multitudinem dicturi prodiſſent, uel ad principem aliquem, quem eximie reuerentur. Valida rei alicuius cupiditas uerecundiã excutit, ut in amatoribus, in periculo rei alicuius charæ amittẽdæ: ut uitæ, aut filij. Auari eadem de cauſa non multũ uerecũdantur, quum ſpecies eſt lucri aliqua. Nec ſenes multum pudet, partim quod apud iuniores agũt, ideſt ſe inferiores, quaſiq; filios: niſi forte hos habeant pro fortioribus, ut principes, aut locupletes, aut patronos ſuos. alias quòd non tam decore aut dedecore mouentur, quam utili uel inutili. Pudor uelut pædagogus quidam additus eſt homini. puer enim uel adoleſcens conſilio eſt inualidus, propter ignorantiam eorum quæ uerſantur in uita. Is ſi ſibi fidat, in plurima incidet incommoda. ut ergo iudicio prudentiorum acquieſcat, habet pudorem tanquam ſtimulum, qui impellat eum potiores reuereri. Potiores ſunt autẽ uel numero, ut multi: uel ætate, uſu rerum, prudentia, eruditione, leges ac mores, patria iudicia uniuerſorum, uel plurium, & eorum qui in magna ſunt exiſtimatione. quocirca nihil eſt ei, qui uitæ officia nõ nouit, utilius. Cohibet item affectus temere ſeſe effundentes, atq; euagantes, ideoq; pro educatione eſt pueris et mulieribus. Nihil potuit dici in ſacris oraculis de muliere fœdius, q̃ quòd pu-

Intercurrentia.

Acúrgens.

Pudoris cauſa.

Potiores qui.

dorem abiecisset. Et philosophus ille, quũ puerũ animaduertisset erubescentem: Bono es animo, inquit, fili, hic est color uirtutis. Viris etiam frenum est, ne se in ea effundant quæ minime deceãt, minimeq; uel illis ipsis conueniant: uel alijs, ne quid cõmittant turpiter flagitiose, praue, indecenter, pro ratione personæ, ætatis, temporis, loci, societatis, humanitatis. maximeq; necessarius est omnibus, quicunq; in communione & societate sunt uitam acturi.

DE SVPERBIA.

De superbia. SVperbia, tumor est animi, ex opiniõe boni præcellentis, unde honor & preciũ existit: siue id bonum adsit, siue adfuerit, adfuturumue sit. Infixæ sunt huius mali radices nostris pectoribus: quoniam ex eo amore nascitur, q̃ inditus est naturaliter cuiq; sui ipsius. Effigies. is enim, ut est admixtus ignorãtia, excæcatur, efficitq; ut quisq; sibi uideatur optimus, ac proinde bonis quibuscũq; dignissimus. quæ cẽsura trãsit à nobis in eos, quos amamus tenerrime: quoniam ij alteri nos sunt, ut diximus. Est ergo fons superbiæ primus, incõsideratus cuiq; amor sui ipsius. quod autem manat ex incõsideratione, copiose necessum est influere in rudes, tardos, stupidos, præcipites, inconsideratos. nam docti, acuti, moderati, & qui in sese oculos reflectunt, probe assequuntur, nihil esse de

quo

quo mortalis ullus posßit sumere sßpiritus: et ut bilioße quãlibet acuti & eruditi, niſi ſe magno inhibeant iu dicio, & (ut ita dicã) ſufflamment, rapiuntur præci pites in animi perturbationes, obnoxij ſunt huic ma lo: tum q; ignis amat ſuperferri, & diffuſa per cere- brum cholera, ſubito uelut tormento uim omnem ra tionis quatit. Tanta autẽ ſæpenumero incõſideratio nis caligo mẽtem obruit, ut ſuperbißimus ſit, qui mi nimas & paucißimas habet cauſas ſui efferendi. Na ſcitur ex ſuperbia, arrogantia: ut quoniã ſe maximis bonis dignũ ſuperbus exiſtimat, quæ ex ſe habet bo na, unde originem ſumit ſuperbia, ingentia eſſe cen ſeat, unica, omniũq; præſtãtißima. ut nobilis genus ſuum, formoſus formã, acutus ingenium. quæ uero aliũde propter illa accedunt, modica, & infra ſuã di gnitatẽ: quæ tamen ſi alijs contingant, ſupra dignita tem & meritũ eſſe iudicet, ex liuore ac maleuolen- tia, quæ ſuperbiæ ſunt comites. Quicquid cõciliare decus & autoritatẽ & dignitatẽ poteſt, quærit, ut uere poßideat, uel poßidere certe ſe ſimulat: uitat autẽ, quicquid quouis modo exiſtimationi poßit offi cere. Hinc eſt oſtentãdi bonorũ ſuorum auiditas ar dentißima, ut alijs ea fiãt nota: & dedecorũ ſuorum celatio diligẽs ac ſtudioſa. quod facit nõ rebus ipſis modo, uerũ & iactatione uerborũ, & geſtibus cor

Arrogãtia.

poris totius. Et quoniã quæ rara aut noua, aut inusitata et singularia sunt, propter admirationem pluris facimus: ille eiusmodi sibi adesse bona uult alijs persuadere, in rebus animi, in rebus corporis, in ijs quæ sunt uitæ, etiã in sumendo cibo, uestiendo, ludendo, in incessu, in rebus leuissimis, & quas nihil omnino interfit hoc aut illo modo agere atq; exercere, imò & in quibus periculosa est nouitas, affectat ab alijs discrepare, & ipse sibi munire uiã, qua ingrediatur. unde absurditas asseuerationum in disciplinis, ut ali quid uideatur noui attulisse. Hinc inuidentia in eos, qui uel potiora habent, uel similia. efficiunt enim hi, ut ne, quod nos maxime cupimus, nostra sint unica et propria. Nihil adeò expetit superbus, ac Dei similitudinẽ aliquã: non utiq; quod ad bonitatẽ pertinet, sed quod ad potentiã & magnitudinem: ut se nullius indigere, multos autem ipsius, nulli esse subditũ, illi plurimos, neminem sibi benefacere aut prodesse, se cõpluribus. Et ut magnitudinem superbi ostentent, componũt se in modũ non amabilem, sed formidabilem. id simulant, et iactant diuitias, opes, potentiam, contemptũ aliorũ tanq; longe imparium, non dignãtur eos colloquio, non congressu: utũtur sono uocis graui, & uerbis grandibus ac tragicis, irrisione, subsannatione, iurgijs, minis. unde insolentia dictorũ & factorum

ctorum intolerabilis. In omni cõtentione pertinacia inuicta, & contra autoritatem omnem, & cõtra manifestißimam ueritatem, contra bonum & utile uel ipsius eiusdem superbi. omnia enim postponit præeminentiæ, ne qua re habeatur inferior. Itaq; nec admoneri se patiũtur, nec doceri uolunt: sed quicquid semel arripuerint, tuentur. unde sectæ, & factiones. citiusq; mutari uellent ueritatem, & rerum naturã, quàm suam asseuerationem, quam ipsi non raro falsam esse haud ignorant. Sequitur ira superbiã, quòd nunquam sibi tantum tribui existimat, quantum meretur tum ultionis cupiditas, & mulctatio per occasionem. Iam circumspectio ad aliena uerba omnia, ad nutus, ad gestus, ne quid aduersum se exeat, nõ honorificum. Suspicax est superbia, & quæ simpliciter sunt dicta uel facta, iniquißimis interpretationibus ad calumniam detorquet. Ex hoc tam prauo more, tamq; immodica sui indulgentia fit tenerrimus animus, omniumq; rerum quæ aduersa suæ uoluntate eueniant impatientißimus. hinc offensio, & indignatio rabiosißima, & conuitia non in homines modò, sed in Deum quoque, tacita plerunque, interdum uero expressa & aperta. Ignoratio hæc tam crassa, uel inconsiderantia tam præcipitata, non sinit nos in reputatione nostrorum bono-

rum cogitare, à quo sint bona illa, quis, quomodo, qua ratiõe tribuerit. Nihil de Deo succurrit animo: nos nostra solertia, diligentia, merito nostro parasse existimamus. quale illud est apud Ezechielẽ ex persona diaboli, Ego feci me. quod est, sicut Iob ait, Manum suã deosculari: quæ est impietas magna. Irrepit mire per cuniculos in mentem superbia. Sæpe enim magnis ex uirtutibus oritur: aliàs ex cõsideratione nostræ moderationis turgescimus, modò quũ reputamus supbos esse nos, idq; nobis dolet, reflectitur in se animus, & q, superbia sua sibi displiceat, supbit. Flexuosus quidem serpens ille, hostis hominũ: sed et massa nostra longa uitiorũ cõtinuatione corruptissima est. Expergiscitur nonnunquam ex recta præceptione superbia, ægrescitq; medendo, ut inquit ille: & quemadmodũ de palma dicunt, deprimendo erigitur. quũ enim hortamur aliquẽ uirtute fidere, quod est uerum ac solidum bonũ, non genere, opibus, forma, facundia, eruditione, gratia, quæ sunt inania: fit sæpenumero, ut is neglecta admonitione, existimet præcipuũ se in eo esse, de quo iubetur nõ erigere animum, magnamq; sibi uel eruditionẽ, uel formam, uel quid simile inesse, quãdoquidem remedijs uidet esse opus, ne de tãto bono insolescat. Ergo adhibẽdo medicamento incrudescit morbus, quia medicamẽtum

tanquam

tanq̃ molestum reijcitur, uel prætermittitur, ut inutile. causa uero morbi, quia honorem uidetur cõtinere, grata est, & fouetur delicate. Magna itaq; est opus arte ad cohibẽdam beluã hãc tam multiformem et multicipitem. Impedit superbia magnos in sapiẽtia profectus, partim dum pudet discere, ne inferiores uideantur, partim q; magnã uitæ partem superbi per ambitionem, inuidiã, iram, ultionis cupidinem transigũt: ut sic occupatis, nulla sana cogitatio subire possit eorũ mentes. Et quemadmodũ uenenata animalia, si quid ederint salubre, in uenenũ tamen conuertũt: ita superbus, quæcũq; agit, ad honorem parãdum, et auram captãdam refert. Et quia unicus esse ac singularis cupit, si quẽ aliqua de laude commẽdari audit, statim sua bona profert in cõparationem, tanq̃ potiora. Themistocles interrogatus, quæ'nã esset suis auribus musica gratissima: Oratio, inquit, de meis laudibus. Etiã de eo gaudet extolli, quod nõ solum ipse non habere se est sibi cõscius: sed id quoq; scit alios scire. Mentiris, sed places: dixit mulier quædam pedissequæ assentanti. Dolet homines aliud intueri, aliud cogitare, alia de re loqui, q̃ de se uno. nec officiũ eos censet facere, si id intermittant: ut de Caligula scribit Trãquillus. Quocirca altitudinẽ omnẽ, tanq̃ suis officientẽ luminibus, uellent deturbatã: ut prin-

cipũ nõnulli, ad cõmemorationem diuinæ potentiæ, tacite carpũtur animis, & cuperent, ne quis ſe eſſet potentior, ac ne Deus quidem. Caligula idem, cum Ioue ſimulabat ſe inimicitias exercere. Superbo tan topere eſt perſuaſum ſe eſſe præcellentem, ut exem ptum ſe arbitretur eſſe oportere humanis legibus: et impune abire, quicquid agat ipſe, in alios iudex ſeue riſſimus. nec impunita ſolum præteriri ſua, uerum (quod eſt intolerabilius) haberi in recte factis. exẽptos quoq; naturæ legibus, ne Deo quidẽ ſummo & præpotenti ſubditos. ita ut quidã pudori ducant, ora re in templis, ſuppliciter Deum precari, ad memoriã ſcelerũ ſuorum uultũ cõtrahere, uel lachrymã dare aliquam. Bene declamator ille de ſuperbo: Erubeſcit Cæſarem timere. Superbia animũ tumentem facit, & proinde inanem: haud ſecus q̃ ignis aquam. quod et in corporibus experimur bilioſis, in quibus facile gignuntur flatus & uenti. Inter omnia uitiorũ gene ra poteſt conſtare pax & concordia, ſuperbia ex- cepta. de quo eſt in Prouerbijs Salomonis: Inter ſu- perbos ſemper iurgia ſunt. Reliqui enim uicioſi id expetũt, quod poſſunt omnes cõſequi: ſuperbi quôd expetũt non poſſunt, nempe utrũq; alteri præferri. Solum habet ſuperbus amicitiæ ſpeciem aliquã cum eo, qui ſe illi ſubijcit adulatione rerũ, & aſſentatio- ne uerborum.

ne uerborum. Superbo nullo negocio persuaseris, ut ab ijs se affectibus abstineat, qui sunt demissioni iicini: metu, lætitia effusa, assentatione, ambitu. Tametsi ille demittit se nonnunq̃, ut magis extollatur: sicut retrocedũt, qui longius uolunt salire. ut etiam abiectissime nonnunq̃ seruiat, quo possit impotẽtius dominari: & à se egentissimis atq; impurissimis summittit, si per illos arbitratur gradum se ad dominationem posse præstruere: ut olim C. Marius, & Iulius Cæsar, & quotidie nostri principes. Est & comitas atq; educatio quædã superbissima, non in alterius honorẽ, sed in nostrũ ipsorũ: ut boni esse, et prudẽtes, beneq; instituti iudicemur: unde accedat æstimatio. De quo in Ecclesiastico dicit Iesus: Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Affectus hic est præferuidus: nascitur glisciteq; in locis, tẽporibus, negocijs calidis: uelut ad meridiem, in bellis, dissensionibus. Quo autem bonũ, quod possidere nos credimus, pluris fit, hoc maiores cristas erigit hic gallus: ut in raris bonis & quæ paucissimis contigerũt, ijsq; honoratissimis, aut omnino nullis. Expẽdũtur et iudicia spectantiũ, intumescit animosus miles in castris, et facinoribus belli clarus: doctus in academijs. cõtrà deponit animos studiosus inter signa militaria: miles inter libros. Idcirco supbissimi omniũ sunt

ſunt nobiles, et formoſi: quia genus et forma magni ubiq; fiũt: tum diuites, q, pecuniæ omnia obediũt, ut inquit Sapiens: illisq; omnes honorẽ exhibent. Fran

Superbia

gitur ſuperbia primũ à ſapiẽtia & cõſideratione noſtræ utilitatis, tũ ſi apertè ſciamus nõ ignorare alios, non ineſſe nobis ea bona quæ ſimulamus: aut ſi ſciãt nõ eſſe noſtra, ſed ad tẽpus accõmodata. Hinc ſi adſint tot mala, ut exiſtimatis bonis prægrauent, nosq; in animi contractionem abijciãt, aut ex grandi periculo in metũ & horrorẽ. & ut eſt affectus calidus, infrigidatione corporis tepeſcit, ex alimentis, & loco. Bona præterita ſi per ſe conſiderẽtur, erigũt nobis animos: deijciũt autem, ſi ad pudorem præſentis fortunæ referantur, quum quidem culpa eſſe noſtra amiſſa ducimus, & potiſſimum culpa infami, uelut proditione, furto, latrocinio, adulterio, alea, imprudentia, demẽtia. Naturale illud ſemen primũ ſuperbiæ, unde in tantã degenerauit maliciã, non erat malum: nempe ut ſe homo excellenti conditione progenitũ reputãs, amaret ſe, dignũq; maximis ac ueris bonis cẽſeret: nẽpe cœleſtibus, quæ magno animo appeteret. Verũ prolapſus in ignorãtia, longiſſime illinc diſceſſit ad cupiditatẽ uilium rerũ, ac uaniſſimarũ: quæ appellauit bona, & pro æternis illis ſubſtituit.

Superbiæ cauſa.

FINIS.

Brugis, Anno Domini 1538.

PHILIPPI
MELANCHTHONIS
DE ANIMA
COMMENTARIVS.

CLARISSIMO ET OPTIMO VIRO, D. HIERONYmo Bomgartnero Senatori Noribergenſi, Philippus Melanchthon S. D.

EXAGITANT ac deriderent nonnulli titulos libellorum ſcholaſtico rũ, quos inſcribimus, ſatis quidẽ ſplendidos, de mundo, de cœlo, de natura animãtium, de Anima, cum ipſi libelli admodũ tenuem & puerilem doctrinam contineant, uix ut umbram alí quam illarum maximarum rerum referant, eamq; ob cauſam has miſellas literas ac diſputationes ſuperbiſſimè contemnunt. Etſi autem fatendum eſt, libellos ſcholaſticos amplitudini tãtarum rerum, nihilo magis reſpondere, quàm pictura Romanæ Reipub. in clypeo Aeneæ, magnitudini rerum geſtarum, uirtutis, & imperij populi Romani reſpondebat, tamen hæc doctrina perneceſſaria eſt

ria eſt uitæ. Elemẽta atq; initia quædam traduntur, ut exuſcitent animos, ad aſpiciendam aliquo modo naturam. Et progredimur quoad poſſumus: Nam & Deus opificium ſuum conſiderare nos iuſſit, & adiuuat ſtudium: multa enim ſubinde patefecit utilia uitæ. Hic ſimul & ueſtigia Dei, naturę impreſſa animad uertimus, per quæ agnoſci uoluit, & diſcimus fontes honeſtarum actionum, & multa præſidia uitæ deprehẽdimus. Prodeſt noſſe corporũ naturas, morborum cauſas, & remedia aliqua. Iuuat & mente complecti terræ ſpacium: iuuat temporum ſeriem tenere, ut in doctrina religionis & omnibus hiſtoriis, locorum interualla, & temporum ordinem intelligamus. Socrates ſolebat dicere, homines aut nihil, aut pauca ſcire. Fatendum eſt igitur, hanc doctrinam, quam commemoro, perquàm anguſtam eſſe. Sed hac tenui & anguſta doctrina amiſſa & extincta, cogitemus qualis in uita barbaries, quales in religione Chriſtiana tenebræ ſecuturæ eſſent, ad quam explicandam

candam opus est multiplici eruditione. Quare non deterreamur iudicijs illorū, qui scholas deridēt, quo minus nostram Spartam pro uirili & tueamur, & ornemus. Quanquam quid est cur nos isti despiciunt? An ipsi præstantius sapientiæ genus tenent? sua quadā sagacitate uias inueniunt cumulandarum opum, aut amplificandę potentiæ, callent artificia, quibus aucupentur beneuolentiam potentum, sunt intenti in antagonistas, tanquam in palæstra, obseruant ubi possint eos euertere, aut (ut uulgo dicunt) ὑποσκελίζειν. Hanc Sophisticā anteferunt nostris libellis & disputationibus. Sed omitto collationem. Ex illis ipsis libellis qui deridentur ab istis, hanc animi moderationem hauriamus, ut cum didicerimus Deum uelle, ut his qualibuscūq; artium elementis excolantur animi, graui ter eam & cōstanter defendamus. Quare laudanda est uoluntas bonorum uirorum, qui pro uirili operam conferre studeant ad hanc rem maxime utilem uitæ. In quo curriculo excitare, adiuuare, &

regere

regere ſtudia priuatorum deberent Reges & gubernatores rerum humanarũ: criticos etiam addere, qui eligerent utiliſſima ſcripta, ut tenera ætas initio imbueretur optimis. Sed quàm leuiter hæc cura tangat potẽtum animos, uidemus, & res oſtendit, artium conſeruationem ſolius Dei beneficium eſſe, qui, dum illi qui antecellunt potẽtia, uoluptates aut imperia quærunt, ad hunc laborem & ad hanc militiam priuatorum ingenia exuſcitat? Vſitatũ eſt autem in Scholis tradere quaſdam deſcriptiones Animæ & uires ac officia diſcernere: ac laudo morem, nec profectò metuo cachinnos ſapientum illorum, qui, quia fortaſſis nihil eſſe animas putãt, rident nos, qui ineptè uidemur promittere doctrinam de re nobis ignota, poſtea tantum uulgaria dicimus, quę etiam ſine literis deprehenduntur, Quot ſint ſenſus, quæ ſint organa, quæ obiecta, ubi ſint organorum ſedes. Hæc quantum uolent, extenuent, ac abijciant, tamen hac puerili doctrina opus eſt. Et ut partem aliquam ſine literis, ipſi

ris, ipsi iam usu exculti, uersati inter doctos teneant, tamen alia multa inquisita sunt ab artificibus, & monstrata diuinitus, quæ sine literis cognosci nõ possunt. Quãta est utilitas, nosse aliquo modo membrorũ discrimina? Et cũ Deus tantũ adhibuerit artis in fabricando humano corpore, uoluit profectò tam mirum opus conspici, ut cogitaremus tam artificiosè fabricatas & distributas machinas nequaquã casu ortas esse, sed esse mentem æternam architectatricem. Nec uero sine literis describi ars officij potest, nec sine doctrina agnosci. Iam in explicatione religionis maximè opus est tenere erudita discrimina uirium animæ: quæ si retinuisset eam lucem ac harmoniam, quæ in cõditione ei diuinitus attributa est, minus esset opus alijs doctoribus, suam ipsa naturã sua acie introspexisset. Nunc uero postquàm uelut excellens aliqua Apellis tabula cœno conspersa, iacet in corpore, tetra caligine obruta, maxime opus est doctrina, quæ proferat eam, & in cõspectum ponat,

nat, ac oſtendat quantum ei uulnus fece rit hoſtis, qui primũ parentẽ generis hu mani euertit: monſtret etiã ueſtigia diui næ imaginis in ea, & reliquias cœleſtiũ donorũ. Ad has tantas res explicandas in Eccleſia, cum opus ſit eruditione, etiã extãt ueterum theologorũ Commẽtarij de Anima, ut Gregorij Nyſſeni, qui fræ ter fuit Baſilij Cæſariẽſis. Et hæc animæ agnitio ad pietatem cõducit. Cum cogi tamus, inſitas eſſe notitias de diſcrimine honeſtorũ & turpium, fateri neceſſe eſt, hanc naturam nõ extitiſſe caſu. Rurſus ferociẽtibus animis frenum inijcit agni-tio miſeriæ noſtræ, cum cogitamus ani-mas, quas tantopere amauit Deus, ut in eis pinxerit ſui notitiã & imaginem, in-ſidijs diaboli à Deo auulſas eſſe, ac orba tas cœleſti luce, circũferre horrẽdam ca-liginẽ, dubitationes de Deo, cõtemptũ Dei, & alias horribiles peſtes. denique obnoxias eſſe crudelitati, ac furori ſu-perbiſsimi tyranni diaboli, qui quas po teſt, immani odio filij Dei, rapit ſecũ in uaria flagitia, & in æternũ exitium. Has

animę tenebras, hanc imbecillitatem ac triſtẽ ſeruitutẽ quoties cogito, penè exa nimor. Quanto autẽ cum dolore ac mo tu animi cogitaſſe eadem exiſtimamus proximos parentes: qui cum uidiſſent priorem lucem & harmoniam naturæ, & præditi eſſent ſumma ingeniorũ præ ſtantia, magnitudinem ſuæ calamitatis æſtimare rectius poterãt. Et quàm ſæuo tyranno ſubiecti eſſent iudicabãt, cum ex ſuis certaminibus, tum ex filiorum ac nepotum cædibus & alijs flagitijs. Nec arbitror ullos unquam parentes: in ma-iore & acerbiore luctu ac mœrore ui-xiſſe, quàm primos illos, qui hæc tanta mala aſpicientes, dolore extincti eſſent, niſi rurſus quædam bonitatis diuinæ ſi-gnificatio eos erexiſſet. Audierant pro-miſsionẽ de uictore ſuperbiſsimi tyran-ni, agnoſcebant ſe non abiectos eſſe â Deo, cum uiderẽt incẽdi uictimas. Hac ſe conſolatione in tantis ærũnis ſuſtenta bant. Has res tantas, ut attẽtius conſide rare poſſimus, multum adfert momenti hæc cuius puerilis doctrina, de Anima.

Nec

Nec existimandũ est eos, qui hãc doctri nam aspernãtur, hoc est, qui mẽtes suas aspicere nolunt, aut affici his in gẽtibus ærumnis, aut diuinas cõsolationes expe tere, sed ut in fabulis Psyche, cũ sagittis Cupidinis curiose contrectatis, saucia-toq; digito, amore ipsius exarsisset, furẽs sequitur fugientẽ: ita isti rapiuntur cæci suis cupiditatibus, et hoc ipso errore de-lectantur. Cum igitur inuitãda sit adole scentia ad doctrinã de anima, fui hortator D. Iacobo Milichio, ut hic prælege-ret cum alias partes Physices, tum hanc quoq;, & cõmunicatis operis syluulam collegimus, quẽ nunc ædidimus, nequa quam expolitã, ut uellem. Scis enim hęc tempora turbulenta mihi non cõcedere ocium ad hęc studia colenda. Extant au tem multi libelli, hoc argumento, medio criter scripti, quare fortassis reprehẽdẽt nostrũ consiliũ nonnulli, quod hanc in-conditã farraginẽ ædidimus, sed opinor etiã nouis scriptis accẽdenda esse studia iuuẽtutis. Et ut ipse dedi operam quan-tum potui, utilia ut colligeremus, ita ex

animo opto, ut alij nos uincãt, ac melio ra ædant. Porrò utile eſt adoleſcentibus iudicij acuendi & confirmandi cauſa, duos aut tres conferre. Quare adhortor eos, ut inſpiciant unum atq; alterum ex ſuperioribus ſcriptis. Probo VIVIS acu men, diligentiã Velcurionis, & copiam Iſennacenſis. Opinor autem hãc ſyluu- lam ad cæteros intelligendos profuturã eſſe. Explicaui enim quoſdã locos, qui in alijs deſiderantur, etſi tota hæc diſputatio incurrit in multas materias, poſitas ſupra conſpectũ humanũ, ac moderata ingenia ſæpe admonet, ut cum tanta ſit caligo mentis humanæ, cupiant regi cœ leſti doctrina, & toto pectore amplectã tur illud oraculũ: Lucerna pedibus me- is uerbũ tuum. Retineo autem plerũq; ſentẽtias in ſcholis receptas, & uſitatam docẽdi formam. Cumq; nobis in Eccle- ſia quædam paulo aliter dicenda ſint, q; dicuntur ab Ariſtotele, peto mihi ueniã dari, ſi interdum ab Ariſtotelica phraſi diſceſſi. Vellem ſermonis mundiciẽ ma iorem eſſe; non enim ſentio has res ele-

ganter

ganter dici nõ posse. Nulla naturæ pars splendidiorem orationem suppeditat, quàm Animæ partes atq; actiones. Cæteras reprehẽsiones prætereo, quia quic quid est hoc operæ, bono studio institui, & rogo, ut eo cãdore excipiatur, qui decet bonos & doctos. Nec feram mole ste, si quis errata comiter emendabit, memor præcepti, quod est apud Aristoph.

ἔλεγχε, ἐλέγχε, λοιδορεῖσθαι δ' ὀ πρέπει
ἀνδρὰς ποιητὰς ὥσπερ ἀρχιτεκτόνας.

Si uixero, ipse mutabo quædã. Magnopere autem oro IOACHIMVM Camerarium uirum optimũ, ut si uersabitur hic libellus in manibus studiosorũ, ipse eum ad limam ac cẽsuram reuocet, ut prosit studiosis. Duxi autem hunc Commentarium auspicio tui nominis publicandum esse, cum ob alias multas causas, tum eo etiã, quia uolebam extare in scripto, quod in multorum manus peruẽturum arbitrabar, testimoniũ mei erga te perpetui amoris. Nam & priuatim te propter egregiam uirtutem & eruditionem tuam sic amo, ut tibi antefe

ram neminem, & iudico Rempublicã plurimũ tibi debere, qui triſtes hac tempeſtate Camœnas magna fide tueris.

Ergo hæc ſcribens, ac Animæ ἀταξίαν attentius conſiderans, ſæpe cogitaui de ἀταξία in Imperijs, quæ quidẽ non aliũde oritur, niſi ex his animæ tenebris, & hac cõtumacia partium eius. Nec raro illachrymans deploraui miſerã conditionem bonorũ uirorũ, qui cum habenas teneant imperiorũ, in quantis uerſantur difficultatibus ac ærũnis? Vt ſpreto ἡγεμονικῷ, ruunt cæteræ uires, quo cæcæ cupiditates impellunt, & ut Poeta inquit: Fertur equis auriga, nec audit currus habenas: ita alibi Tyrãni, alibi multitudo, quæ & ipſa, ut Herodotus inquit, tyrannus eſt, non ſæpe frenari impetus ſuos rectis conſilijs ac uoce cœleſti, quæ uere debet in omni gubernatiõe priuatim & publice ἡγεμονικὸν eſſe, patiuntur. Tot iam annos omnes boni uota faciunt, ut Eccleſijs recte cõſulatur, ut prouideant illi, qui ſedent ad gubernacula, ne fundi tus intereant literæ, ne doctrina religio-

nis

nis extinguatur, hortamur ut concordia ac disciplina restituatur. Sed planè accidit nobis id, quod est in uersu Græco:

αὐὴρ ἔοικε ναῦς ἐπιβουλεύειν πέτραν.

uel potius quod est in Apologo Antisthenis, ubi cum lepores concionarẽtur leonibus, admodũ tristia δίδακτρα reciperunt, deuorantur enim pro illo officio. Hæc quanquã ita sint, mi Hieronyme, tamen faciamus scilicet, quod iubet ἡγεμονικὸν, quantũ possumus, conemur Ecclesiæ ac posteritati cõsulere, suo quisq; loco, nec deseramus nostrã stationem. Non defatigeris igitur excitãdis literis, quæ, si unquã, iam profecto habẽt opus patrocinio uirorum præstantium. Tantum decus est Ecclesiæ, eruditio, ut hac amissa, non possint nõ sequi densissimæ tenebræ. Etsi enim aliæ sunt excellentiores dotes, ut exercitia uera pietatis, tamẽ magnum lumen Euangelio addunt literæ, præsertim si habeat Ecclesia sanos ἀγωνοθέτας καὶ βραβευτὰς studiorũ, qui ingeniorum impetus regant, ac prohibeant, ne extra metas prouehãtur. Mul-

tæ enim & magnæ controuerſiæ agitan tur in Eccleſia, quæ ſine eruditione ne- quaquam explicari poſſunt. Quis non deploret impietatem humanã? Quanta cura parantur opes ac uoluptates, quan ta diligẽtia, quot annorũ præſcriptione opus eſt ad ſordida artificia diſcenda? Hæc tanta res negligitur, ad quã unam nati, & renati ſumus, ut cœleſtẽ doctri- nam recte & perſpicue aliis tradere poſ- ſimus. Cumq; hæc flagitioſa negligẽtia deteſtanda ſit in omnibus, tum uero in gubernatoribus parricidiũ eſt Eccleſiæ, non adiuuare ſtudia literarũ, idq; Deus magnis publicis cladibus puniet. Circũ it iam Chriſtus eſuriens ac ſitiens, ac pe- tit Eccleſiæ ſuæ ſtudia conſeruari, ali ho mines idoneos ad docẽdum, excitari & foueri bona ingenia. Sed admodũ pau- ci in Repub. querelis & uoce CHRISTI mouentur. Literæ ſunt in odio potentũ ubiq;, propterea quod exiſtimantur ad- uerſari tyrãnidi. Fruũtur opibus Eccle ſiarũ homines indocti, & Epicurei. Ex- ercetur immanis ſæuitia in omnibus re-

gnis

gnis in homines doctos, pios ac recte sentientes. Vbiq; negliguntur pauperes scholastici, & de industria hoc agitur, ut extinguantur studia. Orandus est igitur Deus, ut & mentes aliquorum, qui prę-sunt, exuscitet ad hanc curam, ne desint studijs, & Scholasticos ipsos confirmet, ne iniquitate temporum frangãtur animis, ac militiã, ad quam diuinitus delecti sunt, deserant. Tu uerò Hieronyme, quod facis, hortator & opitulator esto ciuibus tuis ad expetẽdam doctrinam uitæ utilem, eaq; in re statuas te officiũ facere Deo gratissimum, ac non solum de patria, sed quod maius est, de Ecclesia ad posteritatẽ bene mereri, quæ quidẽ prędicatura est beneficiũ tuũ apud Christum & in cœtu angelorũ, prophetarũ, ac apostolorũ, ueris & ęternis laudibus, quas non dubito te omnibus trophæis manufactis longe anteferre. Sed lõgior fui in hac adhortatione, quàm uolebam esse, cum quidẽ hac apud te nihil opus sit, qui pro tua prudentia & eruditione omniũ maxime uides & morbos Reip.

& quæ

& quæ partes prȩcipue uiris politicis curandæ ac tuendæ ſint. De hoc libello ſatis multa iam dixiſſe me arbitror. Eſt tenue munus, nec fortaſſe perſonæ conueniens tuæ. Nam ſi ſatis patefieri natura animæ poſſet, ampliſsimum ac ſplendidiſsimum munus eſſet, tabula in qua Anima uiuis coloribus depicta, & oculis ſubiecta eſſet. Sed in hac caligine humanæ mentis, uix tenuis quædã umbra eius cernitur. Et tamen adoleſcentibus hæ uulgares deſcriptiões tradendę ſunt, ut dixi; teq̃ hoc ipſum doctrinæ genus probare non dubito. Reſtant autem nobis aliæ Scholæ, mi Hieronyme, in quibus iterum de Anima philoſophabimur unà, cum fruemur æterna conſuetudine CHRISTI, & illius auguſti cœtus Angelorum, Prophetarum ac Apoſtolorum, & cæterorũ piorum. Hic non quæremus à Democrito, an ſit ex atomis Anima: nec ab Ariſtotele, an ſit ἐντελέχεια: ſed Architectus ipſe monſtrabit nobis naturam Animæ, & ſimul archetypum & exemplar: ſuam uidelicet naturam

turã oſtendet, cuius effigiem eſſe humanam mentem uoluit. In illis Scholis integram Animæ notitiam adſequemur, ad quas tamen ut peruenire poſsimus, iam Anima quadam diſciplina regenda & excolenda eſt, eam ad rem traditur hæc uulgaris doctrina. Ac tum quidem amplíſsimum fructum capiemus huius noſtri ſtudíj. Lætabimur nos refutaſſe Epicuri delyramẽta: gaudebimus nos uera & Deo grata defendiſſe, ac pro eo officío præmíjs ornabimur. Epicurei uero, qui ín hac mortali uita Deum cõtempſerunt, & ſecuri deriſerũt teſtimonia Dei de Immortalitate tradita, iuſtas pœnas ſui furoris dabunt. Etſi autem ne mihi quidem hæc tumultuaria lucubratio ubiq; ſatisfacit, tamẽ recta & utilia tradere conati ſumus. Nec moleſtè feram me non ſatís argutum uideri, dum plerunq; ſententias, eruditorũ conſenſu compro batas ſequor. Religionem enim in docendo adhibendam eſſe ſentio, ne recte ab alíjs tradita, petulãter labefactemus: ut nonnulli ſummam hanc ingenij laudem

dem esse ducũt, astutè euertere aliorum recte dicta, nec cogitant se Deum habere spectatorem & iudicem eius petulantiæ: qui cum præceperit, Ne dicas falsum testimonium: etiam seuerè puniet Sophisticam, qua artes conturbantur, qua ex re magna pernicies morum sequitur. Me ludi illi, ac Sophismatũ præstigiæ non delectant: nec tam cupio esse φίλιππον, quàm φιλαλήθης. Sed relinquo Lectoribus iudiciũ, & peto, ut candorem in iudicando adhibeant dignum bonis & doctis uiris.

Bene & feliciter uale.

Vitebergæ.

PH. MELANCHTHONIS COMMENTARIVS DE ANIMA.

QVID CONTINET HAEC pars Philosophiæ, cui titulus est De Anima?

NEC VERO *locupletior, nec eruditior, nec dulcior ulla pars est Physices, quàm hæ disputationes de Anima. Etsi enim substantia Animæ non satis perspici potest, tamen uiam ad eius agnitionem monstrant actiones. Itaque cum de actionibus dicendum erit, potẽtiæ seu uires discernentur, describentur organa, qua in re simul tota corporis ac præcipue humani natura explicanda est. Itaq; hæc pars non solum de anima, sed de tota natura hominis describi debebat.*

Magnam autem scientiæ uarietatem & copiam cõplectitur hominis natura. In superiori parte Physices in genere dictum est de generationibus, hic in specie monstrandæ erunt causæ generationis, nutritionis, alterationũ in corpore humano. Magnam igitur lucem afferent hæc exẽpla superiori parti Phy-

sices

ſices, quæ quidem ſine hac parte pertenuis ac planè mutila eſt. Quanta uarietas, quàm ſuauis cognitio, quàm iucundum homini bene inſtituto à natura ſpectaculum eſt, ſenſuum actiones & earum cauſas, & mirificam organorum œconomiam cõſiderare? in qua cum manifeſte appareat, naturam aliqua mente regi, Galenus præclare dixit, Anatomiæ ſcientiam, ducem nobis eſſe ad Dei cognitionem. Deinde cum mens ſit imago Dei, atq; ita condita, ut in ea naturaliter luceat Dei notitia, non obſcure teſtatur eſſe Deum, & admonet, qualis ſit Deus, uidelicet incorporeus, intelligens, diſcernens honeſta & turpia. Hæc atque alia multa deprehendimus, intuentes noſtræ mentis actiones.

Huius doctrinæ uſus late patet, nam & aditum patefacit ad Medicorum artem, cum naturam complexionum & membrorum deſcribit. Et initia hic ſunt Philoſophiæ moralis, quæ ſine hac parte neq; intelligi, neq; explicari poteſt. Hinc ſumit plurimas cauſas & demonſtrationes, cum de iudicio, de appetitionibus, de uirtutum ac uitiorum cauſis diſputat. Vera igitur laus eſt huius doctrinæ apud Ariſtotelem, qui in præfatione libri de Anima inquit: δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι. *ideſt, Videtur ad*

omnem

omnem ueritatem cognitio eius plurimum conduce re, eamq; ob causam cæteris Philosophiæ partibus hanc anteponit. Quod si est quædam liberalis uolu ptas, naturam rerum considerare, quid potest esse iucundius, quàm hominis naturam, quæ longè an- tecellit cæteris rebus omnibus, dignitate ac uarieta te uirium, membrorum atq; actionum, intueri? præ- sertim, cum id cum ad ualetudinem tuendam, tum ad regendos mores, & ad multas maximas res in ui ta iudicandas conducat? Deniq; nullum est Dei ue- stigium expressius, quàm Anima: hæc monstrat di- uinitatem, & suo testimonio confirmat esse aliquam mentem æternam & infinitam, à qua orti sumus. Quid, quòd omnes eruditi ac sapientes, nihil in to- ta Natura magis admirati sunt, quàm hanc mirabi- lem coniunctionem rerum dissimillimarum in homi ne, mentis uidelicet, quæ diuinam quandam & in- corpoream naturam habere iudicatur, & corporis, quod est ex hac inferiore & corruptibili natura, et tamen horum inter se harmonia quædam ac socie- tas est. Quare non sine magno consilio dixerunt, hominem quasi paruũ quendam mundum esse, quòd tãtam habeat uarietatem partium, quarũ aliæ Deo, aliæ cœlestibus naturis, aliæ elementis & animanti bus cognatæ sunt. Postremò constat Theologis ma

gnopere opus esse distributione potentiarum hominis, & diuersarũ actionum. Sed hæc procœmia omitto: neq; enim pro magnitudine rei, satis ornari hæc doctrina potest. Breuiter tamen monendos esse Lectores duxi, ut animos excitent ad harũ pulcherrimarum & maximarum rerum admirationem atq; inquisitionem.

Quid est Anima?

Hæc quæstio exercuit omnes eruditos omnium ætatum, & non modò dubitatur, quæ res sit anima rationalis, sed etiã constitui non satis potest, quæ sit natura animæ in brutis. Itaq; uariæ sunt disputationes doctorum, ut in re obscura. Ac in cæteris philosophis laudo studiũ, qui conati sunt monstrare, quæ res sit Anima. Necesse est enim aut corpus esse, aut quandam incorpoream naturã, aut corporis temperamentum. Iam si corpus est, necesse est affine elementis esse, aut igneam quandam, aut aeream naturam. Quinquam autem multæ leguntur opiniones, tamen horum qui non loquuntur de anima incorporea, duæ omnino sententiæ sunt. Alij senserunt ut Stoici, Animã esse spiritus uitales in sanguine. Hinc illa diuersitas extitit: nam hos spiritus Democritus appellauit igneam naturam, alij uocauerunt aereã. Et uicinũ est huic, quod animam interdum interpre

Vnum ex tribus aiam ee oportet.

tantur

tantur calorẽ naturalem ἔμφυτον θερμὸν: ut apud Hippocratẽ, cum ait: Anima hominis semper producitur, ideſt ſeu calor naturalis, ſeu ſpiritus in ſanguine. Itaq; addit: Cum hæc anima inflãmatur, pereunt & corpus & anima. Nam cũ calor aut ſpiritus non ſeruant iuſtam diſpoſitionẽ, extingũtur animantia. Ad hãc primã opinionem alludit Virgilius, cum ait:

Purpuream uomit ille animam,

ideſt ſanguinem, in quo extiterunt ſpiritus.

Altera ſententia eſt, Animam eſſe temperamentum ipſum: ideo nonnulli, animam dixerunt harmoniam eſſe. Et Empedocles ait, amicitiam eſſe. Adde, ſi libet, tertiam Heracliti, qui ſenſit eſſe aliquã uim à cœleſtibus corporibus defluẽtem in corpora, Ad hanc alludit Virgilius:

Igneus eſt ollis uigor & cœleſtis origo. & cætera.

Horum, inquam, ſtudium laudo, qui quæſiuerunt quæ res tandẽ eſſet Anima. Sed Ariſtoteles arte defugiens hãc quæſtionẽ, nouo quodam modo definit animã: dicit enim in ſumma, Animã id eſſe, quod naturaliter mouet uiuũ corpus. Hæc uidetur eſſe quædã nominis definitio: adhuc enim quæri poteſt, quæ res illa ſit, an ſit corpus, an oriatur ex elementis, an ſit aliud q̃ ſpiritus uitalis. Sed de Ariſtotelis definitiõe paulopoſt: prius enim recitabimus Galeni ſentẽ

tiã, ut aliquo modo prius constituamus, quid sit Anima, quàm ad Aristotelis definitionẽ accedamus, ita enim et Aristotelis sentẽtia clarius intelligi poterit.

Etsi autem in genere de Anima quærendum est, tamen nũc de hominis anima loquamur: de qua cum Galeni sentẽtiam exposuero, facile iudicari poterit quid de sensitiua in brutis, & nutritiua, ut uocant, sentiat. Sequitur autẽ, quod ego sciam, ubiq; Platonis partitionẽ, qui dixit, tres in homine animas esse.

Tres anima.

1. ἡγεμονικὸν seu λογιστικὸν uocat rationalem animã, quæ (ut Galenus disertè dicit in septimo de Hippocratis & Platonis dogmatibus) in capite est, & sunt eius opera imaginatio, memoria, intellectio, iudicium: præterea sensibus suppeditare motum, & uoluntarios motus regere. hæc enim sunt uerba Galeni. Deniq; tribuit ἡγεμονικῇ eam uirtutẽ, quam uocant animalem, de qua suo loco dicendum erit.

2 Alteram animam uocat θυμοειδὲς, huius sedem ait esse cor, & tribuit ei uirtutem, quam uocãt uitalem: & adfectus, hoc est, motus sensitiui, appetitus: ut postea dicetur.

3 ἐπιθυμητικὸν uocat tertiam animã, cuius sedem esse inquit hepar. Huius officia sunt nutrire, gignere: hæc uocatur ab alijs uirtus naturalis. Etsi autem de ἡγεμονικῷ fatetur se dubitare, quæ res sit, & an

& an à corpore discedens duret, tamen de alijs duabus nihil dubitat affirmare, eas nihil esse aliud, nisi ipsam κρᾶσιν cordis, item hepatis: hæc enim sunt eius uerba, in libello, cui titulus est, Quòd animi mores respondeant temperamento corporis: ἐλείχθη γὰρ ἔμπροσθεν ἡ θυμικὴ ψυχὴ, κράσις ἴσα τοῦ σώματος, ἡ μὲν οὖν τῆς καρδίας κρᾶσις, τὸ θυμοειδὲς ὅτι ἡ ψυχῆς, ἡ δὲ τοῦ ἥπατος, τὸ ὠμὸν θυμικόν. Ac laudat Andronium Peripateticũ, qui animam dixerit esse κρᾶσιν. Deinde reprehendit quod Andronicus adiecit, Animam aut esse temperamentum, aut uim, quæ comitatur temperamẽtum. Ita si rationalis anima mortalis est, ait eam esse cerebri temperamentũ. Sed dubitationem suam ingenuè confitetur: uerùm illud affirmat in genere de omnibus animabus, primum earũ organum, spiritus esse. Et in libro De simplicium medicinarum uiribus, inquit: Nos de animæ essentia planè nihil audemus affirmare, sed spiritus innatus, si non est animæ essentia, certe organum est primum animæ. Hic delabitur in eorum opinionem, qui Animam iudicant esse τὸ συμφυτὸν πνεῦμα. Et de Hippocratis & Platonis dogmatibus inclinat eódem de anima rationali: quam, etsi nihil affirmat, uideri inquit, τὸ ψυχικὸν πνεῦμα. Ergo Galeno anima, præsertim sen-

Anima e Græcis.

Organa animæ sunt spiritus.

ſitiua & uegetatiua, aut temperamẽtum eſt, aut ſpiritus uitalis ac naturalis in animantibus, hoc eſt aut temperamentũ, aut ſpiritus uitalis eſt principiũ uitæ ac motus in animãtibus, ſeu eſt res mouens corpus. Ita rem aliquã mouentẽ Galenus digito mõſtrare conatus eſt, ut quæ res eſſet anima ſuſpicari poſſemus.

Nunc igitur ad hæc conferamus Ariſtotelis definitionem, cuius longe aliud eſt conſilium: non quærit rem mouẽtem, ut cæteri, quæ ſit in corpore, ceu in naui gubernator, ſed aliud quiddam ſpectat, ut poſtea dicam. Idq; ſatis animaduertit Galenus, ſed tamen arbitratur Ariſtotelis ſentẽtiam uicinam eſſe illi opinioni, quæ animã iudicat eſſe μορφην: ac formam in genere, non aliud intelligi poſſe arbitratur, niſi μορφην, ut ſit forma lapidis, tale elemẽtorũ temperamentũ, forma bouis, tale partiũ temperamentũ. Quanquam autem fortaſſe non procul abeſt ab hac opinione Ariſtoteles, tamen aliud quiddam dicit.

forma nihil aliud ê quã rem, q̃ μορφᾶς.

Recita igitur definitionem Ariſtotelis.

Anima, eſt actus primus corporis phyſici, organici, potentia uitam habentis.

Addit & alteram: Anima eſt principium, quo uiuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo.

Poſterior definitio tantum ab effectibus deſcribit animam, ſed quæ res ſit illud uitæ & motus principium

ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἐχοντος δυνάμει, τοιοῦτον δὲ ὃ ἂν ὀργανικὸν. Non nihil poſt. ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτῳ.

Ibidem. τὸ μὲν οὖν εἶναι σώματι ἡ ψυχή, τὸ δὲ ζῆν τῷ ζῷῳ, τὸ εἶναι ἐν ἑκάστοις ἡ ψυχή. Causa enim cuius rei est, eſſentia, nihil enim aliud Vitæ eſt eſſe. Sed longe minus est principium eſt anima.

cipium non dicit. Et prior definitio etsi non est à posteriori sumpta, tamen admodum obscura est, ut uideri possit quædam definitio nominis potius, quàm rei. Nam cum ait, est actus primus, quas tenebras, quam caliginem offundit oculis? Tot iam seculis homines ingeniosi & eruditi disputant, quid signet hæc uox, quam interpretati sunt actum, tãtum abest ut dicere possint, quam rem uoluerit Aristoteles monstrare, cum diceret, animam esse actum: an uoluerit monstrare crasin, an aliquam elemẽtarem naturam, an spiritum, aut aliud quiddam.

Enarra igitur priorem definitionem.

Primum hoc constituendum est, eam definitionem conuenire non tantum hominis animæ, seu rationali animæ, sed etiam brutorũ & plantarum animabus. Est igitur generalis definitio: id eo dico, ut facilius quid actum, seu (ut Græca uoce potius utamur) quid endelechiam uocet, intelligi possit. Nam cum bouis aut fruticis animam nominari audis, certe non intelligis naturam aliunde ortam separabilem à corpore, aut aliud quiddam, quàm ipsam bouis aut fruticis formã aut uitam. Sit igitur hic aditus ad definitionis enarrationem. Ac primũ simpliciter eam enarrabimus, postea perspicuas rationes nostræ interpretationis addituri.

Anima, est endelechia, idest agitatio, seu uita ipsa corporis physici. Id dicitur, ad differentiam artificialium operum; ut statuarum, quæ non agitãtur sua natura. Deinde addit, organici: nam lapides non uiuunt, quia uitæ organa (hoc est instrumenta) eis desunt. Potentia uitam habentis, confirmat superiorem interpretationem, idest illa endelechia, seu agitatiò est δύναμις, quæ parit operationes uitales: nam uita significat hîc, ipsas operationes comitantes Animã. Si quæras, quid est anima bouis? respondet, est illa ipsa agitatio, qua bos uiuit, seu ipsa uita.

Hîc si quis dicat, Ego uerò huius uitæ, seu agitationis causam & fontem quæro, quæ res, quæ natura est, quæ sic ciet & mouet. quid hic respondeat Aristoteles, aperiendum est. Alij enim dixerunt, illum fontem esse, uel spiritus, uel crasin. Aristoteles nihil horum respõdet, sed aliud quoddam consilium habet. Singulari prudentia partitus est omnes res in tota natura corporali, in materiam & formam: ut lapidem ait constare, ex materia & forma. Vbi forma nihil aliud ei significat, nisi rem esse talem: ita in boue cogitat materiam & formam, qua bos uere est talis, & specie differt à cæteris omnibus animãtibus. nec intelligit formam, spiritũ uitalem: nam hi quoq; sunt materia. sunt enim halitus, seu uapores subtiles,

Forma.

quorum

quorum agitatio non est ipse uapor. Nec uult Aristoteles formam, quasi alteram esse materiam, uidelicet uapores additos priori materiæ: sed intelligit formam, illud ipsum ultimum in qualibet re, quo res est talis. Bos eo est animal, quia ad carnem, sanguinem, ossa, spiritus uitales, accedit uita, seu agitatio talis, seu (ut ita dicam) substantialis. Nec spiritus ui talis eo agitatur formaliter, quia est materia tenuis & idonea, sed quia accedit agitatio.

Sic diuellit Aristoteles materias à formis, idq; sapienter cogitatũ est: non enim potest causa ostendi, cur tam uariæ & dissimiles sint species rerum, plantarum atq; animantiũ, nisi quia ipsæ naturæ specierum sunt tales. Non uult in materia quæri causam, quare aliud sit equus, aliud bos, aliud leo, Natura ipsa species distinxit: & cum materiæ sit cognatio, tamen differũt illæ ultimæ exædificationes, quibus leo est tale animal, equus aliud. Discernenda igitur est forma à materia: nec imaginandum, formas esse alias materias mouẽtes in corporibus, ut gubernatores in nauibus, sed ipsum materiæ ornatum ultimum, seu (ut antè uocaui) exædificationem, qua res est talis. Hanc generaliter in omnibus rebus Aristoteles nominat formam, sed in uiuẽtibus peculiariter nominat formam substantialem, ἐντελέχειαν: quia

Aristot: ἔστι δὲ ἄδηλον, ἢ ὅτωι ἐντελέχεια τῶν σώματος ἢ ψυχὴ καὶ ὧιπερ πλατὴς πολόν.

illud, quo uiuens est tale, est quædam agitatio continua, seu uita. Vidit Aristoteles cæteros Philosophos, frustra causam uarietatis specierum quærere in materia. Leo, Equus, Bos, Ceruus differunt inter se formis, quia est quædam formarum diuersitas instituta in natura, nec quærendum est quare leo sit talis, nisi quia hæc est forma leonis, non spectandi ungues, pellis, cauda, truces oculi, sanguis bilioſus, aut similia.

Cum igitur Animam definit esse endelechiam, intelligamus quæri genus aliud, quam materiã, non uult animam esse uaporem, aut spiritum uitalem, aut ignem aut mentem cœlestem, sed formam. Qualem uero? Agitationem, qua uiuens est tale. Sic enim uoluit uiuentium formas insignire & discernere à cæteris, quæ non uiuunt. Hanc esse simplicem & germanam sententiam Aristotelis, testatur ipsius exemplum, cum inquit, oculum constare ex corpore oculi & uisu, ita animal constat ex corpore & anima. Non est autem uisus aliud corpusculũ, aut alia materia, sed ipsa, ut ita dicã, oculi uita seu agitatio. Hactenus de genere in hac definitione dictũ est, unde apparet formã esse genus, sed eam quæ est endelechia.

ὄψις γὰρ ἐστὶν ἡ τοιάδε· ἀλλ' οὐ τοῦτο ἡ ὁρατὸν ἢ κατὰ ταύτην ἢ μὴ ἁπλῶς, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὄψιν, καὶ τὸ ὄμμα, τὸ ζῷον.

Ac ut melius intelligi definitio possit, animo intueri oportet reliquam physicen, ac cogitare, quo consilio ubiq;

filio ubique res partitus sit in materiam & formam. Est enim suum quoddam iudicium Aristoteli in ea partitione. Medici aliquanto crassius, & de materia loquuntur, cum animas aut spiritum uitalem, aut κρᾶσιν, hoc est temperamentum esse, aut δύναμιν comitantem temperamẽtum disputant. Andronicus igitur interpretans Aristotelem, indicat ἐντελέχειαν intelligi, aut ipsam κρᾶσιν, aut δύναμιν comitantem. Laudatq; Galenus ingenuitatem Andronici, quod quasi digito designare ausus sit, in materiæ temperamento fontem agitationis illius. Sed Galenus mauult formas substantiales esse ipsas κράσεις, & si hoc à cæteris reprehenditur. Assentior autem Andronici sententiam uicinã esse Aristotelicæ, & si quod est tenue discrimen, propter obscuritatem omitto. Sit igitur Anima forma quædam, quæ est endelechia, seu ut Andronicus uoluit, δύναμις comitans κρᾶσιν, quæ δύναμις & ipsa est quædam substãtialis agitatio. Sed quoniam & de uocabulo Endelechiæ litigatur, & Cicero à multis reprehenditur, qui uertit continuatam & perennem motionem, adijciam quædam de interpretatione uocabuli, non profecto φιλονεικίας, aut malenolentia ulla, sed ut Aristotelis sententia iuuenibus fiat illustrior.

Rectè

Rectè ne uertit Cicero ἐντελέχειαν, continuatam motionem?

Ego uerò eos, qui flagellant Ciceronem, ac putant Aristotelis sentẽtiam non satis assecutum esse, falli ipsos potius iudico, ac procul ab Aristotelis sententia deerrare. Ideo enim malunt uerti interiorem perfectionem, quia cogitãt hic rationalem animam definiri, quæ intus in corpore locũ aliquem teneat: uelut gubernator in naui sedet certo loco, uidelicet ad gubernaculum. Ideo imaginãtur endelechiam significare naturam intus perficientem & ornantem corpus. At Aristoteles (ut dictum est) longè aliud sentit: nec tantum de homine quærit, sed etiam de plantis & pecudibus, in quibus quid est Anima, nisi ipsa uita, seu agitatio?

Primũ autem de cõmuni usu uocabuli in Græca lingua dicam, non enim genuit hanc uocem Aristoteles, sed cum esset usitata Græcis, acutè accommodauit ad suas quasdam disputationes: nec uoluit, ut res ipsa testatur, mutare uocabuli significationẽ, sed nota appellatione in illis descriptionibus, quid propriè significaret ostendere. Vsitatissimè Græcis ἐντελεχὲς est continuum, & ἐντελέχεια continuitas. Hæc tam uulgata sunt, quàm λευκὸν pro albo, quare nõ est opus exemplis. Et uersiculus prouerbialis

uerbialis ostendit uocabuli communem usum, κιλαίνει πέτραν ῥεῦμα ὕδατος ἐντελεχείᾳ. Significat igitur continuitatem, seu adsiduitatem. Nec de etymologia superstitiose disputo: etiamsi fit ab ἐντελὲς & ἔχειν, significat intergrũ, & non interruptum. Illam uero etymologiã repudio, quam recensiores finxerunt ἐντὸς τελειοῦν intus perficiens. Sed unde uocabulum sit ortum, non tam spectandum est, quàm quæ sit eius usitata & communis significatio: nam usu ualent uocabula, ut ille ait: Quem penes arbitriũ est, & uis & norma loquẽdi.

Nunc ad Aristotelis consiliũ uenio. Is cum uellet significare, motum non esse absolutum quiddam, sed agitationem & acquisitionem formæ, quæsiuit idoneum uocabulum, quo agitatio ad formam acquirendam significaretur. Ideo appellationem usitatam sumpsit à populo, quæ proprie assiduitatẽ illam, seu cõtinuitatem significaret. Nec aliud est endelechia in tertio Physicorum, nisi continua agitatio: sicut Themistius recte interpretatur inquiens, esse itionẽ ad formam. Ergo in Physicis retinet Aristoteles uulgarem significationẽ, nec gignit nouam, sed usitata & insigni uoce, illam in motu progressionem ad formam notauit. Nec quidquam causæ hic est, quare ἐντελέχειαι uertatur interior perfectio. Laudo igitur

tur Boetij uersionem, qui actum uertit, ideſt agitationem: nam actus Latinis non ſignificat effectum, ſeu acta ſed ipſam actionem, ut Quintilianus loquitur Libro decimo, Studia ſapientiæ iam non in actu ſuo, atque in hac fori luce uerſantur, ſed in porticus receſſerunt, & cætera. Et exempla huius ſignificationis paßim obuia ſunt. Proinde cum Ariſtoteles uſurpaſſet endelechiam in tertio Phyſicorum, pro agitatione continua, ut dictum eſt, poſtea tranſtulit idem nomen ad formas ſubſtantiales uiuentium: ut has quoque ſignificaret eſſe, non materias aut corpuſcula, ſed ipſam agitationem, ſeu uitam. Nec opus eſt hic nouam ſignificationem affingere, ſed retinetur uſitata, ſumpta à populo, & quæ antea uſurpata erat in phyſicis.

Ac prudenter uidit Cicero, quo conſilio Ariſtoteles trãſtulerit nomen endelechiæ ad formas uiuentium, eiuſq; interpretationi multa ſuffragantur, primum conſuetudo ſermonis, à qua non temere diſcedendum eſt. Deinde locus in Phyſicis, ubi aptißime intelligitur cõtinua agitatio, idq; conuenit poſtea in hoc loco de anima, ad rationem formarũ recte intellectam. Ideo homines periti Ariſtotelicæ doctrinæ, Boetius & Graeci congruunt cum Ciceronis uerſione, cum interpretantur actum. Deniq; quid uult ſibi

ſibi illa interior perfectio? Qui magis anima plantæ aut bouis interiora, q̃ exteriora perficit? Etſi ego quidem nõ rixor de uocabulo. Si quis mauult perfectionem dicere, quia forma eſt perfectio, hoc eſt exædificatio, qua res eſt talis, loquatur ut libet. Illud tamen Ciceroni largiẽdum erit, proprie eum expreſſiſſe, non modo uim uocabuli, ſed etiam ſententiam Ariſtotelis de formis. Illuſtrius eſt enim dicere, formas uiuentium agitationes eſſe, q̃ perfectiones interiores. Ciceronis interpretationi ſuffragatur et Plutarchi interpretatio, qui ἐντελέχειαν ait uſurpari pro ἐνεργείᾳ, & rectè iudicat. Nam & in tertio Phyſicorum Ariſtoteles promiſcuè uſurpat hæc duo, & in libris de Generatione animalium, diſcernens ſuo more potentiam & actum, promiſcuè utitur pro actu utraque uoce endelechiæ & energiæ. Non eſt autem obſcura ſignificatio ἐνεργείας, quæ ſignificat, non ocioſam formam, ſed efficaciam: & Ariſtoteles ipſe inquit, motum eſſe ἐνέργειαν. Sed ſcriptio inquiunt alia eſt, uetus nomen, quod ſignificat continuitatem, una litera differt ab Ariſtotelica uoce. Me non plus ſcriptio mouet, q̃ ipſa Ariſtotelis explicatio, qui ἐντελέχειαν interpretatur ἐνέργειαν. Et fieri poteſt, ut errore alia litera obrepſerit, ut Lucianus ſignificat, apud quem litera Λ queritur ſe

ueteri

ueteri possessione pulsam esse. Deinde si etymologia est ab ἐντελὲς, fortassis iudicio reuocata est altera litera. Sed significatio uocabuli ab usu loquentiũ sumenda est, ut suprà dixi. Quanquam autem nouum erat, motum aut uiuentium formas appellare ἐντελεχείας, tamẽ uox ipsa non recens conficta est, sed à populo sumpta, & ad has res accommodata, ut solet fieri. Proinde mihi quidem uidetur Cicero recte & uim uocabuli, & Aristotelis sententiam expressisse. Et arbitror idem iudicaturos esse multos uersatos in Aristotele, si attentè considerabunt Aristotelis sententiam de formis: quos quidem uolo esse censores huius nostræ opinionis.

Quid autem, si quis reprehendat uel Ciceronis, uel tuam interpretationem hoc modo? Agitatio, seu motio, est accidens. Aristoteles certè non uult Animam esse accidens, quare ἐντελεχείαν non erit agitatio, seu motio.

Respondeo: Aristoteles ipse diluit hanc obiectionem. Inquit enim, duplicem esse ἐντελεχειαν: alteram substantialem, alteram accidentalem. Substantialis est, ipsa animati talis existentia, seu uita, quæ actiones ciet. Nam in uiuentibus, formas uoluit ἐντελεχείας uocare: ut significaret eas, dissimiles esse formis inimicorum. Vita enim est cõtinua quædam

dam agitatio, talis non est forma lapidis. Est igitur Anima, substantialis quædam ἐνδελέχεια, non accidentalis. At in definitione motus intelligenda est accidentalis ἐνδελέχεια. Aristoteles exempli causa hic dicit, Alterum se habet ὡς ὠὸν πρὸς ἄνδρα, alterum ὡς τὸ θεωρεῖν. ideſt alterum propemodum se habet uelut habitus, alterum uelut actus. Est igitur ἐνδελέχεια uelut habitualis agitatio, seu δύναμις quædam, ciens actiones. Hæc satis sit & de Aristoteli-ca definitione & de uocabulo endelechiæ dixisse. Nunc addenda est communis sententia de Anima, quam Christiana doctrina probat.

Quid igitur de Anima hominis piè dici potest?

Anima rationalis est spiritus intelligens, qui est altera pars substãtiæ hominis, nec extinguitur cum à corpore discesßit, sed immortalis est. Hæc definitio non habet physicas rationes, sed sumpta est ex Sacris literis: nam in Genesi dicitur, Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Et in Euangelio, Corpus possunt occidere, animã autem non possunt occidere. Item, Hodie mecum eris in paradiso. Est igitur Anima, spiritus, qui discedens à corpore, tamen non extinguitur. Voco autem spiritum, substantiam quandam spiritualem. Sed hic existunt multæ quæ-

stiones: An una sit tantum hominis anima, uidelicet rationalis, continens simul uires aliarum animarum, uidelicet sentientis & uegetatiuæ. An uero sint distinctæ animæ in homine, uegetatiua, sentiens, & rationalis, sicut Plato, Aristoteles & Galenus loquuntur. Vulgo recepta est sententia, unam tantum in homine animam esse, sed si dicimus uegetatiuam & sentientem tantum ἐνδελεχείας esse, hoc est agitationes certarum partium corporis, seu temperamenta, rationalem uero animam, spiritum esse, non erit absurdum, dicere tres esse animas in homine. Nam & Aristoteles in secundo de Generatione animalium, inquit, Animas quarum actio corporalis est, nõ aliunde accedere, sed nasci in corporibus, nec simul fieri animatum et fœtum, hoc est animam uegetatiuam prius esse in fœtu quàm sentientem. De mente uero addit postea: Mens sola extrinsecus accedit, eaq; sola diuina est, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῆι ἐνεργείαι κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.

Vnus ex recentioribus, homo acutißimus Occam defendit, reipsa distinctas in homine Animas esse, rationalẽ & sentiẽtem. Et colligit multa argumenta

menta huius suæ sententiæ. Contrarij sunt appetitus, rationalis & sensualis, ergo necesse est & substantias distinctas esse, quia in una & eadem atque indiuisibili natura, non possunt esse simul contrariæ appetitiones. Item homo generat hominem, & non secundum animam rationalem, ergo secundum formam corporis. Nam illud receptum est cõmuni piorum sententia, animas rationales diuinitus creari & inseri corporibus. Sed nos has disputationes prolixius agitare nolumus, satis est admonere, quid probabiliter & non absurde dici possit.

Est & alia maior quæstio, unde oriantur Animæ: nec recẽs est hæc disputatio, sed ueteres etiam Ecclesiastici scriptores quærunt, An anima rationalis sit ex traduce: sic enim loquũtur, hoc est an propagetur à parentibus, & oriatur ex ipsa seminum natura. Quidam phanatici finxerunt, ab initio mundi simul creatas esse animas, & postea mitti eas in corpora. Hæc absurda opinio repudianda est. Cæterum sententia recepta est, & probata pijs omnibus, animas rationales diuinitus tunc nouas creari, & inseri corporibus, cum membra iam formata seu figurata sunt: uidelicet circiter diem quadragesimum, ut paulo pòst de formatione fœtus dicemus. Est enim scriptũ, Inspirauit in faciẽ eius spiraculum

An anima rationalis sit ex traduce?

uitæ. Et cõsentaneum est, spiritualem naturam non oriri à corporali. Sed anima sentiens, & uegetatiua sunt ex traduce, hoc est propagantur & oriuntur ex natura seminum: harum enim actio nulla est, nisi organica, nec ipsæ aliud sunt, nisi organorum aut temperamenta, aut ἐντελεχείαι, idest agitationes, seu uita, seu motus. Vt enim in plantis propagatur anima, seu uis seminalis cum semine: sic bouis anima oritur ex ui seminis. Nec ratio quærenda est alia, nisi quia talis est rerum natura. Ideoq; Aristoteles inquit: Naturalissimum est in uiuentibus gignere aliud simile. Et hanc uim in seminibus uocant aliàs uim seminalem, aliàs rationem seminalem. Iam si in plantis & bobus propagantur ex traduce anima uegetatiua, & sensualis, uidetur has animas etiam in homine propagari ex traduce, quia homo non generat imperfectius, quatenus animal est, quàm planta, aut bos.

Quid est anima bouis?

Sicut anima plantæ est ipsa agitatio, qua nutritur & crescit: sic anima bouis est ipsa uita, hoc est agitatio seu motus, quo uiuit, mouetur, sentit. Et hæ animæ sunt diuisibiles, sicut in serpẽtibus cernitur, quorum dissectæ partes mouentur. Moyses inquit, animam carnis in sanguine esse. Significat autem

anima

anima Hebræis ipſam uitam hanc, cum dicit in ſanguine eſſe, uult ſanguinem uehiculum eſſe uitæ, & indicat ſpiritus uitales in pecudibus, illã ipſam rem eſſe, quæ ciet corpora. Et conuenit Moyſi dictum cum illorum ſententia, qui dixerũt, animam eſſe ſpiritus uitales: quod ut ſuprà diximus, non eſt abſurdum, & Galeno non diſplicet.

Sentiunt ne plantæ?

Agitatur & hæc quæſtio, an plantæ ſint animalia, an ſentiant. ſed has inutiles quæſtiones præcidemus. Plantæ non ſunt animalia, nec ſentiunt. Quod uerò Plato obijcit, eas attrahentes delectari nutrimento, & offendi rebus non conuenientibus, hæc fiunt in plantis ſine ſenſu, trahunt & pellunt ſua natura, ſine delectatione ac dolore.

Quid de uulgari dicto iudicas, quo ferunt animam rationalem totam eſſe in toto, & qualibet parte totam?

Cum anima rationalis ſit ſpiritus, uerũ eſt eam impartibilem eſſe. quomodo autem in loco ſit ſpiritus, ſuprà dictum eſt: determinat ſibi aliquem locũ, & agit certa quadam diſtantia. Præterea ſi alia eſt in homine anima ſentiens, alia rationalis, ſentiens autem partilis eſt, quare nihil neceſſe eſt dicere, animam rationalem eſſe totam in toto, & qualibet par

te totam. Galenus animam rationalem in cerebro collocat, quia ibi sunt sensus interiores, cum quibus actio animæ rationalis proxime coniuncta est. Alij malunt, cor esse sedem animæ: quia cor, uitæ fons est, & sedes omnium adfectuum ac mirabilium motionum. Porrò dictum illud, quòd anima sit tota in qualibet parte, non est Aristotelis, sed recens, Augustini, ut ferunt, de quo liberum cuiq; iudicium relinquo. certe firmam rationem nullam habet. Nam etiamsi non dicamus, aliam esse animam sentiẽtem, aliam rationalem, tamen non necesse est animam in qualibet parte existere, sed satis est efficacẽ in qualibet parte esse, et determinare sibi omnia membra, uelut res quas certa distantia mouere possit. Sed has disputationes relinquo, de quibus sine fine rixantur homines ineruditi, nec uident fontes harum controuersiarum. Nos ad utiliores locos properamus, nempe ad descriptionem potentiarum, organorum & actionum animæ. Harum rerum cognitio, non solum iucunda est, sed etiam ad multas uitæ partes utilis, ad ualetudinis curam, ad regendos mores, ad monstranda quædam diuinitatis uestigia.

Quot sunt potentiæ animæ hominis?

Tres gradus sunt animarum, in plantis tantum est uegetatiua: in brutis, uegetatiua & sentiens: in homine,

homine, uegetatiua, ſentiens & rationalis. In ſcholis receptum eſt, unam in quolibet animato animam ponere. Ideo brutis tribuitur anima ſentiens, & additur uegetatiuũ tanquam potentia illius animæ. Sic homini tribuunt unam rationalem, & addunt ſentientem & uegetatiuã, tanquam eius inferiores potentias. Etſi autem nihil eſt incommodi, Galeni more dicere, plures eſſe animas ſubordinatas in homine: tamen & nos iam ſequemur ſcholarum conſuetudinem, & perinde ac ſi ſit unica hominis anima, quæremus & diſtribuemus eius potentias.

Sunt igitur potentiæ quinq;, uegetatiua, ſentiens, appetitiua, ſecundum locum motiua, rationalis. Harum explicatio multas res utiles ad uitam & mores complectitur. Et quoniam anima à poſteriori, ideſt ex actionibus cognoſcẽda eſt, iam fit aditus ad quãdam clariorem animæ cognitionem. Potentiæ enim diſcernẽdæ ſunt organis & actionibus, hæc magis monſtrant animæ naturam. Magna & inepta contentio fuit in ſcholis, quomodo diſtinguantur potentiæ. Si ſunt plures animæ, nihil opus eſt hac diſputatione: ſed ſi una eſt, tamen illud fatendum eſt, organis diſtingui potentias, id ſatis eſt tenere.

Quid eſt organum?

Eſt pars corporis animati, certo temperamen-

to, figura, & situ, condita ad certas functiones, aptas illi naturæ. Vt in homine oculi, certo temperamento, situ, figura, cõditi sunt ad uidendum: in plantis radices sunt uelut os, quo nutrimentũ attrahunt, & transmittunt in reliquum corpus, rami sunt baiuli fructuum, folia tegunt.

Frustra autem de potentijs dicitur, nisi & organa monstrentur: quod cum faciemus, propemodum tota corporis humani descriptio inferenda erit.

PRIVS IGITVR TOTVM HOminem depingo, ut quæ postea de potentijs & actionibus dicentur, intelligi queant.

Magnam & difficilem rem molimur, sed dignam tamen in qua elaboremus. Etenim si cognitio aliarum rerum in natura delectat, quanto magis nostræ naturæ cõtemplatione delectari nos conuenit? Præsertim cum maximas pariat utilitates, prodest enim & ad ualetudinem tuendam, & ad mores regendos: & cætera.

Semen animalis. Semen animalis est utilis superfluitas ultimi alimenti sanguinei, per totũ corpus dispersi, post quam digestionem decisa, quæ attrahitur à uasis seminarijs, & perficitur ac conseruatur in testibus ad generationem. Hæc definitio clarius intelligetur,

tur, cum paulo pòſt corporis humani anatomia deſcribetur. Nunc tantum illud addemus: Quidam ſemen oriri tantũ à cerebro putarunt, ſed conſtat plurimum quidem à cerebro, ſed totũ ab omnibus membris deriuari. Cum enim ex eo omnia membra formentur, conſentaneum eſt ipſum ab omnibus membris oriri, nam ſimilia à ſimilibus procreantur. Itaq; Hippocrates dicit, ἔρχεται ὁ γόνος ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος, καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ὑγιεινῶν ὑγιὴς ὁ, ἀπὸ δὲ τῶν νοσερῶν νοσερός. Proinde quod mireris, ut ſimilitudo, ita imbecillitas certorum membrorum in parentibus propagatur in prolem, ut cerebri, hepatis, uentriculi. Quia autem ſemen utile alimentum eſt, & plenum multo uitali ſpiritu, corpora ualde debilitãtur Venere, nam & corpori alimentũ detrahitur, & plurimum eijcitur ſpiritus. Sed pergo ad fœtus formationem. Cum matrix excepit ſemen uiri, iungitur uirili ſemini mulie bre ſemen. Hic magna controuerſia eſt, an mulier concurrat actiuè ad procreationem fœtus. Ariſtoteles non tribuit ſemen mulieri, ſed dixit materiã fœtus eſſe ſanguinem menſtruum, & uiri ſemen habere ſe actiuè, ac uerti in ſpiritum, & ſua ui tanquam fabrum, materiã illam diſponere, ut inde fœtus procreetur. Hæc eſt ſumma ſententiæ Ariſtotelis, ſed

Formatio fœtus.

refellitur à Galeno multis rationibus, quare Galenum sequamur, qui negat menstruũ sanguinem materiam esse fœtus, sed docet materiam fœtus esse, iuncta semina uiri & mulieris. Etsi in his uiri semen calidius & crassius est, at mulieris semen humidius ac frigidius, & ob hanc causam ueluti nutrimẽtum esse uirili semini, inquit. Cum igitur matrix accepit iuncta semina, principio calor matricis, uelut furni, leuiter assando efficit panniculum, tãquam crustam circa semen: estq; hæc initio uelut oui species, quæ membrana circũdat semen intus bulliens, propterea quia intus est spirituosum. Ac fit panniculus ex exteriore seminum parte, ac præcipue ex muliebri, quod est humidius & magis extendi potest, is panniculus uocatur Græcis χόριον, à nostris secundæ, uulgò secundina. & non solum locus est reliquo semini, sed etiam habet alios usus. Desinunt enim in matricem innumera orificia uenarũ & arteriarum, & ut per ea sanguis menstruus influat, & ut fœtui transmittatur nutrimẽtum. Oriuntur enim non modo à uasis spermaticis, sed etiam ab alijs uenis, uidelicet à caua uena. Hæc orificia similia sunt acetabulis polypi, eamq; ob causam appellantur κοτυληδόνες, quarum cum sit apta figura ad amplectendum χόριον, agglutinatur undique panniculus ille matrici.

Secundæ.

κοτυληδόνες.

trici. Nam & tota matrix appetit ſemen, idq; foueri à tota matrice oportet: ſunt autem in χοείῳ fibræ multæ, quæ uariæ inter ſe contextæ, coeunt, & conſtituũt duas uenas & duas arterias, & in medio meatum, qui uocatur ὄρραγός. Hæ uenæ & arteriæ, ſunt uelut radices fœtus, inſertæ enim reliquo ſemini conſtituũt umbilicum. Primis igitur ſex diebus adornãtur fibræ illæ, & ſemen intus feruet. Deinde cum ſexto aut ſeptimo die umbilicus fabricatus eſt; ut dixi, iunctis illis uenis & arterijs, hic primum attrahitur ſanguis & ſpiritus, per uenas & arterias illas, qui tranſmittatur ad ſemen, & miſceatur ſemini, ut formentur principalia membra. Nam & in chorio fiunt foramina ſimilia cotylidonibus, quibus adglutinatum eſt, per quæ radiculæ illæ attrahunt ſanguinem & ſpiritum. ὄρραγός.

Atq; interim ſemen æſtuans tres ampullas quaſi exiguas ueſiculas facit, quæ ſunt loca hepatis, cordis & cerebri. Trahit igitur uena ex umbilico porrecta ſanguinem craſſiorem, ſeu nutrimẽtalem, qui facile in ſemine coagulatur. Fit autem bifida uena, ac ramo alteri coagulum illud adnaſcitur, hæc eſt hepatis formatio. Videmus enim hepar propemodũ eſſe coagulatum ſanguinem. Et habet hepar multos uillos, qui ſeruiunt attractioni, retentioni & expulſioni.

ſioni. Alteri uero ramo bifidæ illius uenæ agnaſcun tur, μεσεντέριον, uentriculus, ſplen, inteſtina.

Abſoluto igitur hepate, colligitur tanquam ex ra dicibus truncus, ex uenis in gibba parte hepatis, ma xima uenarum, quæ uocatur caua uena, quæ alios ra mos ſurſum porrigit, ex quibus fit διαφραγμα, & pars ſpinæ dorſi ſupra diaphragma, inferiores ra mi procreant reliquam partem ſpinæ circa lumbos.

Porrò arteriæ ab umbilico in ſemen ſparſæ, ten-dunt ad ſpinam dorſi, & paulatim ad locum cordis propagãtur. Hæ arteriæ attrahunt calidiſſimum & ſubtiliſſimum ſanguinem, ex quo in ueſicula illa cor di deſtinata, cor gignitur, quod eſt natura carnea, ſo lida, & ſpiſſa, quemadmodum conuenit membro ca lidiſſimo. Sed de naturis membrorũ poſtea dicetur.

Porrigitur autem caua uena in dextrum cordis uentriculum, ut cordi aduehat ſanguinem nutrien-tem. Sub illo cauæ uenæ ramo, oritur ex dextro uen triculo uena, quam uocant quietam, quæ quia ſubti-lem ſanguinem in corde coctum ac biliоſum tranſ-mittit ad pulmonem, tunicas habet plures & craſſio res, uelut arteriæ, ideoq; uocatur uena ἀρτηριώ-δης, ut poſtea dicam.

At in ſiniſtro uentriculo naſcitur magna arte-ria, quam uocarunt Aortam, quæ ſpiritum uitalem

natum

natũ ex ſanguine in corde euehit in uniuerſum corpus per arterias. Vt enim caua uena truncus eſt uenarum, per quas ſanguis nutrimentalis diſtribuitur in uniuerſum corpus, ita ab aorta ſparguntur arteriæ, ueluti rami per reliquum corpus uehentes ſpiritum uitalem. Cor enim principium eſt uitalis caloris, ſine quo non ſunt efficacia cætera membra, nec poteſt exiſtere nutritio in animali. Eſt autem poſtea, cum de diſcrimine uenarum & arteriarum dicetur, de uocabulo Aortæ diſputabimus, tamen hoc loco adſcribendum dixi, quod ἀορτὴ Macedonibus ſignificat uaginam, inde aptum tranſlatum uocabulum eſt ad magnam arteriam, quia eſt maiuſcula & ſexcuplo craſſior uenis, & ſcribit Galenus Ariſtotelẽ cæteris autorem eſſe huius appellationis.

Sub aorta in ſiniſtro uentriculo naſcitur & altera quædam arteria, quam uocant uenoſam: quia cum ſit pulſatilis, ac uere ſit arteria, & uehat ſpiritum, tamen uenoſa nuncupatur, quia tantum unam habet tunicam, ut uenæ proprie dictæ. Hæc condita eſt, ut poſtea aerem aduehat à pulmone ad cor refrigerandum, & rurſus euehat nimis calefactum aerem. Cum igitur ab utroq; uentriculo cordis porrigantur uenæ inſerendæ pulmoni, iam pulmo naſcitur: cum quidem ſanguinẽ ſubtilem uena ex dextro

uentriculo

uentriculo cordis aduehat, qui ſanguis uertitur in carnem pulmonis, ac ſimul totus thorax ſparſis iam ramis à caua uena, & arterijs agnaſcitur. Accedunt interim & brachia & crura.

Simul etiam faſtigium operis, & ſedes nobiliſſimarum functionum, cerebrum & caput hoc modo formatur. In tertiam ampullam magna pars ſeminis propellitur. Cum enim iam plurimum ſpiritus ſit in ſemine, is ut ſe conſeruet in humido, coit & attrahit multum ſeminis, & efficit uentriculum quendam, qui fit cerebrum, cui foris etiam additur operculum quod ſiccatum & aſſatum, oſſium naturam accipit. Ita cerebrum tantum ex ſemine oritur, ut præſtantiſſimam naturam ſpirituum reciperet, conſeruaret, & alteraret, qui ſunt cauſæ ſenſus & uoluntarij motus. Debet igitur origo huius domicilij, non eſſe ex infirma natura, ſed ex copioſo ſemine.

Nerui renes.

Vt autem in hepate uenæ, in corde arteriæ: ita in cerebro nerui naſcuntur, qui ſunt de natura cerebri, ſubſtantia uiſcoſa, tenax, dura, nec ſunt caui, ſicut uenæ aut arteriæ præter duos opticos. Sunt autem inſtrumenta præcipua, per quæ ſenſus fit & uoluntarius motus, propter ſpiritum animalem, quem quomodo recipiant, an uero tantum à ſpiritu animali alterentur, & qualitas quædam neruis influat,

poſtea

postea dicemus.

A cerebro oritur proxime dorsi medulla, quam sic improprie uocant, Arabes Nucham appellarunt. est enim eius natura cognata cerebro. Plurimũ autem interest inter medullã proprie dictam, & cerebri naturã & nuchæ. Nam medulla est superfluitas nutrimenti, ex sanguine orta, destinata & ad humectanda, & ad nutrienda ossa. At cerebrũ & nucha tantum ex semine oriuntur, nec sunt destinata ad nutriendas alias partes, sed sunt corpora peculiaris cuiusdam naturæ, condita sensus & motus causa, uidelicet ut procreent neruos. Nam & ex hac dorsi medulla, oriuntur aliquot neruorum συζυγίαι.

Medulla.

Cerebrum & Nucha.

Monstrauimus utcunque formationem fœtus, & initia humani corporis. Porrò ex solo semine oriuntur ossa, cartilagines, uenæ, arteriæ, cerebrum, nerui, ligamenta, panniculi, πλοῦραι, cutis interior, & inuolucra fœtus, χόριον. Et membra orta ex solo semine, uocantur spermatica membra. Dictum autem est supra, coniungi & maris & fœminæ semina. Augentur autem semina menstruo sanguine. At ex sanguine proprie oriuntur caro & membra, quæ carne constant, ut hepar, cor, pulmo. Omnia uero membra spermatica & caro, postea nutriuntur materia conueniente singulis ex sanguine,

quem

quem attrahunt uenulæ umbilici ex cotylidonibus, ut suprà dixi. Sic enim fœtus donec in aluo est, nutritur, attrahens sanguinem per umbilicum. Ideoq; desinunt fluere menstrua grauidis, quia fœtus incipit attrahere copiosum sanguinem: is in treis partes distribuitur, unam puriorem attrahit fœtus, qua nutriatur: alteram minus impuram regurgitat matrix per uenas, quæ ad mamillas tendunt, unde lac fit, quo æditus infans alitur, & ob eam causam multi meatus sunt à mamillis ad matricem. Tertia pars, quæ est impurior cæteris, subsidit in matrice, & ædito infante expellitur. Itaque Hippocrates dixit, γάλακτα εἶναι ἀδελφὰ τῷ μηνιαίῳ, idest lac cognatum esse menstruis: oritur enim ex superfluo & minus impuro sanguine. Galenus citat uenustißimam sententiam Athenæi, qui dixit, fœtum plus habere à matre, quàm à patre. Nam mẽstruus sanguis primum auget semina, postea alitur fœtus, & auge tur tantum sanguine materno: sicut plantæ plus accipiunt à terra, quàm à colono. Itaq; docet in natis maximam uim amoris erga matres esse, cum tanta sit cognatio naturæ, ut maiorem substantiæ partem à matribus accipiamus. Nam hæc quoq; causa est, cur in ipsis matribus uehementior amor sit erga natos, quàm in patribus.

Cum iam

Cum iam formatus est fœtus, emittit urinam primis mensibus per ὀρραγὸν, qui est meatus per umbilicum exiens. Postremis mẽsibus clauso illo meatu, incipit mingere infans per uirgam. Ex ano non habet egestiones, nondum enim per os ac stomachum alitur. Effunditur autem urina in membranam, quæ extra fœtum ad id destinata est, ut excipiat urinam, ne lædat infantem: huic membranæ nomen est ἀλλαντοειδὴς, habet enim figuram farciminis. Ambit fœtum & tertia pellicula propior, quæ sudores excipit, cui nomen est ἀμνειὸς, idest agnina, quasi dicas teneram. Huius appellationis autor esse scribitur Empedocles.

Tempora fœtus uarie discernuntur, ac masculi quidem citius absoluũtur quàm fœmellæ, quia in masculis uehementior est calor, & in eodem genere, alij citius, alij tardius matureſcunt.

Primis sex diebus bulliente semine fiunt ampullæ, & uelut quædam oui species existit. Hæc nondum uocatur fœtus, sed γονὴ, idest semen.

Deinde nouem diebus attrahitur sanguis, ex quo paulatim hepar & cor fiunt, ita ut post duodecim dies, iam discerni possit delineatio hepatis, cordis, et cerebri. Itaq; iam non semen, sed fœtus uocatur. Embryum uulgo Græca consuetudine appellamus, si- *Embryon.*

gnificat enim ἀπὸ ἐμβρυου, pullulans, naſcens, maturescens, à βρύω quod eſt pullulo, ſcaturio, floreo, creſco.

Deinde octodecim diebus membra cætera formantur & diſtinguũtur, ſeu (ut uenuſtiſſimè inquit Hippocrates) ramos exerit fœtus. Hos dies ſi collegeris, inuenies dies quadragintaquinque: tunc enim formatis & diſtinctis membris, uiuere iam fœtus incipit, quia ſentit. Ideoq; aiunt, animas inſeri pueris, circa quadrageſimũquintum diem, & tunc non ſolum embryum, ſed etiã infantem uocãt. Nondum tamen propter imbecillitatem mouetur. Sed Hippocratis belliſſimam regulam de motu tradit, Dies à conceptione ad formationẽ duplicati, indicant diem motus. Poſtea triplicati dies motus, indicant diem ædendi partus. Vt ſi fœtus formatus eſt quadrageſimoquinto die, mouetur nonageſimo, & æditur nono menſe. Eſtq; hoc tempus uſitatiſſimum. præſertim in maribus, fœmellæ ferè decimo menſe ædunt. Et de ſero partu inquit Hippocrates, ὃν ἐπέλιοι ν̄, ὃν ὡρῶν ἕλμα ξ̄, ὃν τελφότητα τ̄.

Sic autem æditur infans, cum iam creuit & ampliore nutrimento indiget, quàm quantum ex cotyledonibus per umbilicum attrahit, mouetur maiore impetu, adeo ut rumpat pãniculos, & quaſdam cho-

rij uenas, quare matrix retinere fœtum diutius non poteſt. Cumq; iam aperitur matrix, ſentit infans aerem ingredientem, quare uelut captans aerem, mouetur uerſus os matricis. Hoc modo ritè partus æditur, capite primùm exeũte. Et plorans uenit in hanc lucem, uelut præſagiens calamitates huius uitæ in quam ingreditur. Plorat autem ideo, quia motus ille ac tractatio, non fit ſine dolore aliquo & offenſione teneri corpuſculi.

Aediti ſexto menſe aut citius, non uiuunt, nondum enim planè perfectus eſt fœtus. Septimo menſe æditi uiuere poſſunt, tunc enim abſolutus eſt fœtus. Exempla Plinius recitat. & Homerus ſcribit Euryſtheum, qui latè regnauit in Græcia, & Herculi labores iniunxit, æditũ eſſe ſeptimo menſe, ſic enim ait Homerus, ἣ δ' ἐκύει φίλῳ ἦϊρ, ὁ δ' ἔβδομῳ εἰσήγετο μείς. Et tamen quod mireris, octauo menſe æditi non ſolent uiuere. Nam ſeptimo menſe mouetur fœtus ad exitum, eſtq; is menſis criticus, quare cum natura fœtus ualida eſt, æditur: ſin autem adhuc inualida eſt, non poteſt ædi, ſed manet in aluo, donec uires accipiat, uidelicet menſes duos, transfert enim ſe in aliam alui partem. Cum igitur poſt ſeptimum menſem, ſtatim octauo æditur, non poteſt durare. Fuit enim natura imbecillis, & non prodeſt

prodeſt poſt criticũ tempus moueri materiam. Præterea gemina migratio affligit infantis uires, ut ait Hippocrates. Nam & ſeptimo menſe, trãſtulit ſe fœtus in aliam alui partem, & poſtea ſtatim octauo æditus eſt. Non poteſt autem natura fœtus perferre ſtatim iteratos conatus. Nec uero dubium eſt Aſtrologicam aliquam rationem eſſe, quare ſeptimus menſis ſit Criticus, uel quia ſol uehitur in ſigno, quod oppoſitum eſt ſigno conceptus, uel quia ſi ſingulis menſibus ſinguli planetæ reſpondent, Saturno rurſus tribuitur octauus menſis, naſcentibus inimicus.

Mares naſcuntur magis in dextra parte matricis, & à ſemine quod magis à dextro teſticulo oritur. Fœmellæ in ſiniſtra matricis parte naſcuntur. Nam dextræ partes propter hepatis uicinitatem calidiores ſunt, ſiniſtræ ſunt frigidiores. Cæterum calor maior ſeminis, eſt præcipua cauſa cur maſculi naſcantur. Cauſa ſimilitudinis, autore Galeno, uis maior paterni aut materni ſeminis. Sed in tanta uarietate, mirabilis etiam uis eſt aſtrorum. Nam boni poſitus ſyderum, in formis uenuſtatem, hilaritatem & quaſi lumen, efficiunt. Fœdi poſitus ſyderum, inſigniter deformant corpora.

Gemelli. Gemelli hoc modo exiſtunt: Matrix habet duos ſinus, cum igitur ambo ſinus accipiunt ſemina, ſed diſtincta

distincta, non continua, nascuntur gemelli. idq; fit uel uno conceptu, uel diuersis. Vt ferunt natos esse gemellos Iphiclum & Herculẽ: cum enim Iphiclum concepisset Alcmena ex marito, postea dicitur Herculem ex Ioue concepisse. Id uocant ὑπερκύησιν superfœtationem. Aristoteles multa recẽset exempla, in septimo de Natura animalium. Ait adulteram quandam gemellos peperisse, quorum alter similis marito fuerit, alter mœcho. Sed ut hoc modo gemelli concipi, aut absolui possint, non sit longum interuallum inter duos conceptus: nam matrix occupata altero fœtu, cum iam formari & crescere incipit, non concedit locum alteri. Sed hæc omitto. Nam Aristoteles inquit, superfœtationem hominum raram esse. Sæpius uno conceptu gemelli nascuntur. Monstrorum causæ, sunt materiæ redundantia aut defectus, infausti syderum positus, malum temperamentum qualitatum alui aut seminis. Monstra.

Exposui prima hominis initia, in quibus facile est uidere exempla eorum, quæ de commixtione elementorum, & de qualitatibus supra dicta sunt. Materia est humor. Calor naturalis, tanquam faber. Siccitas terminat & durat corpora. Refrigerationes non solum moderantur calorem, ne immodice uratur, aut absumatur humida materia, sed etiam

ſuam habent actionem, efficiunt in humido coagula. Sed hæc animaduertere non difficile eſt. Pergamus potius, poſtquàm corpus iam formatum eſt, ac dicamus de partium naturis, de humoribus, de temperamentis: ita enim patefiet organorum & potentiarum ratio. Illud tantum adſcribendum hic eſt, de incrementis hominis. Ariſtoteles inquit, hominem quinquennio dimidium conſequi futuræ proceritatis. Plinius libro undecimo inquit, Homo creſcit in longitudinem ad annos uſque ter ſeptenos, tum deinde ad plenitudinem, uidelicet uſq; ad eam ætatem, quæ uocatur ἀκμὴ, uidelicet uſq; ad annum trigeſimum. Vocat enim plenitudinem, non pinguedinem, ſed genuinam membrorum molem, cum fiunt grandiora ſeu craßiora.

De proceritate hom.

Dic de partibus & membris humani corporis.

Longum opus inſtitueremus, ſi integram ἀνατομὴν deſcripturi eſſemus. Sed quoniam organorum ratio intelligi non poteſt, niſi præcipua membra cõtemplemur, neceſſe eſt attingere deſcriptionem humani corporis, ſeu (ut uocant) ἀνατομήν. In qua quidem ego non exiliter minutißimas particulas, omnes omnium oßium ſitus, figuras, uenarum propagines, muſculorũ nexus conquiram: ſed monſtrabo

ſtrabo præcipua & grandiora membra, quorum cognitio in phyſicis neceſſaria eſt. Turpe eſt homini prorſus ignorare ſui corporis (ut ita dicam) ædificium, præſertim cum ad ualetudinem & ad mores hæc cognitio plurimum conducat. Sed quoniam in docendo prodeſt, initio craſſiora, quædam tradere & magis conſpicua, nos quoq; eligemus ea, quæ maximè profutura rudibus arbitrabamur. Quàm præclarè ſenſerint ueteres de hac philoſophiæ parte, quam utilem putauerint, ex eo iudicari poteſt, quòd olim domeſtica inſtitutione, ſtudioſi apud Medicos & Philoſophos aſſuefiebant ad uidendas corporum diſſectiones. Eamq; cauſam fuiſſe Galenus inquit, quare uetuſtiores, non ſcripſerint ἀνατομήν. Nihil enim opus fuit ſcriptis, quia quotidie pueri, in domeſtica inſtitutione cernebãt diſſectiones. Poſtea diligentia illa ueteri extincta, ſcriptis opus fuit, & addit in ſecundo de Anatomicis adminiſtrationibus, ἱκανῶς γὰρ ἐπαιδεύθησαν οἱ παλαιοὶ τὴν ἀνατομὴν, οὐκ ἰατροὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ φιλόσοφοι.

Primùm autem nomina exteriorum partium, ac præcipuarum recenſebo. Nam hæc quoq; propriè intelligi multum refert, non ſolum in poetis, ſed multo magis in Philoſophis ac Medicis.

Caput κεφαλή.

Vertex, ſummum capitis, κορυφή.

Sinciput, quod à uertice in frontem uergit, βρέγμα.

Occiput, poſterior pars à uertice ad ceruicem, id Ariſtoteles ait eſſe inane, non quòd ſit uacuum cerebro, ſed uel quia ibi lacuna eſt, in quam ſanguis exprimitur, uel quia ſpiritus, qui ſenſuũ officia exercent, magis ſunt in priori parte.

Frons μέτωπον.

Facies πρόσωπον.

Bina tempora κρόταφοι.

Aures.

λόβιον orleplin.

Oculi.

Pupilla κόρη, humor medius, quo pprie uidemus.

Iris, circulus uarius circundans pupillam.

Albumoculi λευκόν.

Palpebræ, tunicæ quæ tegũt oculos, Βλέφαρα.

Pili palpebrarum, cilia, Græce Βλεφαρίδες.

Harum uſum eſſe dicunt, ut uel ſpiritus uiſuos uel radios dirigant. Nam his amiſsis aut retortis, oculi non poſſunt recte proſpicere.

Supercilia in ima fronte ſunt ſupra oculos, die augbraen, ὀφρύες.

Naſus.

Naſus.

μυκτῆρες foramina naſi.

Genæ, uocantur & malæ autore Plinio, qui inquit, Malæ homini tantum, quas priſci genas uocabant. Sunt inter naſum & aures, pudoris ſedes, ut inquit Plinius, ibi maxime rubor oſtenditur, Græce μῆλαι καὶ σιαγόνες. etſi quidam diſcernunt, ſed Ariſtoteles tantum ponit σιαγόνας.

Mentum kin γνάθιον.

Mandibula & Maxilla idem, kinback, ſupra mentum.

Buccæ ſub genis, backen γναθοι.

Gelaſinus, cauum in medijs buccis, quod in riſu apparet. unde illud eſt apud Martialem, Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.

Os.

Labra.

μύσαξ, pars à naribus ad labrum ſuperiꝰ, Homerus uocat ἐπαλξιν, utroq; nomine utuntur pro ſuperioris labri barba, ein knebel bart.

Dentes.

Quatuor anteriores dicuntur à Græcis diuiſores, & gelaſini, quia in riſu reteguntur.

Proximi duo dicuntur canini. Vlteriores dicuntur molares & γόμφιοι. Vltimos qui poſtremi

post septem annos nascuntur, uocant ὑραυτῆρας, Varro Geminos.

Indiciũ uirium à dentibus sumitur, quibus enim densi & firmi dẽtes sunt, hi autore Aristotele, μακρόβιοι perhibentur. Contra breuioris uitæ sunt, quibus dẽtes sunt rari & scabri. Pyrrho continuum os dẽtium fuit. Et simile exemplum hæc nostra ætas in uirgine Saxonica uidit.

Gingiuæ οὖλον.
Lingua γλῶττα.
Palatum ὑπερῶα, totum illud fastigium supra linguam usq; ad fauces.
Fauces φάρυγξ.

Plinius obscure dicit, summum gulæ fauces uocari. Nam fauces non significant partem fistulæ, quæ uocatur œsophagus seu gula: Sed significant proprie ipsum spacium seu cauitatem uicinam utriq; fistulæ tracheæ & œsophago. Suntq; in eo spacio uuula & amygdalæ. Galenus aliquoties describens pharynga, inquit eam esse spacium laxius ante duas illas fistulas. Nec uero dubium est pharynga Latinis fauces esse.

Amygdalæ Latinis tõsillæ & glandulæ, Græcis παρίδες & παρίδια, sunt carnes eminentes, tanquam glandulæ, inter quas uuula pendet.

Vuula

Vuula apud Aristotelem σαφυλὴ & λίωψ, ideſt columna, apud Galenum γαργαρεὼν gurgulio. Sic enim uertit Laurentianus in prædictionibus. Ac prodeſt ad efficiendam modulationem uocis, & excipit à capite deſtillantes humiditates, & remoratur aerem, ne nimis frigidus ad pulmonem ſubito irrumpat.

Deinde faucibus uicinæ ſunt duæ fiſtulæ.

τραχεῖα ἀρτηρία, quæ eſt fiſtula deſcendens ad pulmonẽ, condita non ut cibum aut potum tranſmittat, ſed tantum ſpirationis ac uocis gratia. Facta eſt ex chartilagine, tanquã annulis diſtincta, ideoq; uocatur aſpera.

1 Superior pars uocatur λάρυγξ, ideſt guttur, quod eſt orificium tracheæ arteriæ, ac uulgo appellatur nodus gutturis, das kneufflin am hals.

2 Deinde inferior pars uocatur βρόγχος.

3 Epiglottis eſt membrana ex chartilaginibus, facta ad claudendam tracheam arteriam, ne cibus aut potus illabatur, rurſus autem ad aperiendam eam in aere attrahendo.

Altera fiſtula uocatur οἰσοφάγος, Latine gula, Arabice meri, quæ ad os uentriculi tendit, ac tranſmittit eò cibum & potum. Nomen eſt ab οἴω, ideſt,

ideſt fero, & φαγημα cibus, quod tranſuehat cibos. Totus ille canalis Ariſtoteli & ſæpe Galeno στόμαχος dicitur. Nam ſtomachus generaliter ſignificat anguſtos & longos canales, tẽdentes ad aliquod amplum os. Homerus etiam totũ œſophagum nominat στόμαχον, inquiens pecudi caput à ſtomacho præciſum eſſe. Interdum & Galenus tantũ os in uentriculo uocat στόμαχον, ut libro tertio de Locis affectis: ἢ ἀπὸ τοῦ δὴ γαστρὸς στόμαχος, ὃ δὴ καὶ στόμαχον εἰώθασι καλεῖν οἱ ἰατροί.

Collum τράχηλος, conditũ eſt, ut per ipſum porrigeretur trachea arteria, quã oportuit eſſe longiuſculam ad modulandam uocem. Itaq; nullum animal cui deeſt collum, uocem ædit.

Ceruix αὐχήν, etſi Ariſtoteli totum collum ſignificat αὐχήν.

Cauum quod inter iugulos eſt, σφαγή.

Iuguli, duo oſſa à collo ad humeros extenſa, uocãtur & furculæ, κλεῖδες, quarũ facit mẽtionẽ Demoſthenes, inquiẽs Philippũ fregiſſe iugulũ, κλεῖν.

Humeri ὦμοι.

Humeri cacumen ἀκρωμία.

Scoptula operta, apud Celſum duo oſſa lata, à ceruice ad ſcapula tendentia. Celſus inquit, Græci ὠμοπλάτας nominant.

Scapulæ

Scapulæ, apud Aristotelem & Galenum ὠμο πλάτου, in quarto de Anatomiæ administratione.

Brachium βραχίων, sed sic Græcis uocatur pars brachij ab humeris usq; ad cubitum.

Cubitus ἀγκὼν, est flexus brachij. Latinis autem & Cubitus significat πῆχυν, id est partem à flexu brachij usq; ad palmam.

Radius significat alterum ex ossibus cubiti, gracilius uidelicet.

Manus habet egregiam laudem, Aristoteles uocat eam organũ organorum. Nam & plura, & magis uaria opera efficit, quàm ullum organum, & fabricat omnia cætera organa. Anaxagoras inquit manus, sapientiæ causam esse: nisi enim fabricaret organa, neq; doceri, neq; disci ullæ artes possent. Quanquam Plutarchus erudite interpretatur manus, id est experientiam, sapientiæ causam esse. Cæterum impressit Natura miras significationes temperamenti in ipsas lineas manuum, quarum obseruatio peperit χειρομαντείαν, in qua etsi, ut in reliquis diuinationibus aliqua traduntur inepta aut ridicula, tamen ex Aristotele apparet non prorsus commentitiã esse obseruationem. Nam in Problematis quærit de linea uitæ, quam sic uocant, Quare longæui sint, qui habeant integram lineam mediæ manus.

Iunctura

Iunctura manus, ubi uidelicet palma iungitur radio, καρπὸς dicitur, inde medici dicuntur mittere manum in καρπὸν, cum explorant pulsum arteriæ. Extensa manus usq; ad digitos μετακάρπιον, appellatur, id proprie uocat Celsus palmam, Auicenna uocat pectinem manus. Hinc palmus mẽsura est. Maior palmus digitorũ duodecim, Græce σπιθαμὴ ein ſpann. Latini uocant dodrantẽ, quod nouem uncias pedis contineat. Minor palmus quatuor digitos continet, Græcè παλαιστή. Hesiodus palmũ uocat λῶρον, cum ait plaustrum longum decem palmos.

Κόνδυλοι articuli in imis digitis. Inde & κονδύλοι pugnos significant ein fauſt. Et uerbum κονδυλίζειν pugno uerberare, mit feuſten ſchlagen.

Digiti δάκτυλοι.

1 Pollex ἀντίχειρ, quaſi uicaria manus, quia in prehendendo tantum præstat, quantum tota reliqua manus.

2 Index λιχανός, ſalutaris.

3 Medius digitus, μέσος.

4 Medicus, παραμέσος, annularis, proximus minimo.

5 Minimus digitus, μικρὸς, Auricularis.

Thorax, anterior pars uniuersa à collo ad ilia usq;, ſeu ut Aristoteles discernit, ad pudenda usq;. Pectus

Pectus σῆθος, pars thoracis à collo usq; ad septum transuersum, seu ad διάφραγμα.

στέρνον pars pectoris media, uidelicet ossa media pectoris, ut Galenus ait in sexto de Vsu partiũ: Medij ossis in pectore, quod στέρνον uocatur. Et alibi ait: Cor est situm sub στέρνῳ.

Ossa pectoris sub collo efficiunt furculam superiorem, quam σφαγλὼ uocauimus. Ita efficiunt in imo pectoris furculam inferiorem, ea est cauitas in imo pectore.

ξιφοειδὴς est chartilago in illa cauitate, quæ chartilago facta est ad muniendam partem uicinam stomachi. Galenus enim clarè dicit, sub στέρνῳ esse chartilaginem, quæ uocatur ξιφοειδὴς. Hanc recentiores nominant chartilaginem scutalem. item malum granatum. quod sit similis flori mali Punici.

Mamillæ, τιτθοὶ, seu μαστοὶ, in fœminis lactis causa conditæ sunt laxiores. Ideo autem aptissimè collocantur in pectore, ut propter uicinitatem cordis, & in ipsis mamillis fortior sit calor, & sanguis ad eas melius digestus calore uicino perueniat. Ideoq; uenæ porriguntur in mamillas, non rectà ex caua uena, sed longis ambagibus à superiore furcula rursus descendunt, ut benè digeratur sanguis. Quia autem caro mamillarum candida

est,

est, ideo cum attrahit nutrimentum, simul transmutat sanguinem & album efficit, ac reliqua pars, lac est utile ad alendos infantes. Habent autem & alias utilitates mamillæ, tegunt cor, & ut elegantissime inquit Galenus, καρδίαν θερμαινομένην πρὸς αὐτῶν αὐτοθερμαίνει.

Papillæ θηλαὶ, prior pars qua sugit infans mamillas.

Costæ πλευραὶ, duodecim in quolibet latere, sunt autem natura ossea, sed minus dura, & sunt plures ut interstitia fierent, ut dilatari & constringi pectus posset, & musculi inter costas collocarentur. Oriuntur à spondylis, & superiores terminantur ad στέρνον, hoc est ad medium os pectoris, ut cor ad pulmonem muniant. Inferiores uero paulatim breuiores fiunt, ne uentriculus repletus nimium comprimeretur. Et sunt magis chartilagineæ, ut molliores essent, ac desinunt ad diaphragma.

Superiores septem uocantur uitæ costæ, inferiores quinq; uocantur nothæ, uulgo mẽdosæ, quia & breuiores & molliores sunt. Ideoq; has quinque uocarunt Græci χόνδρου, id est chartilaginem. Et partem sub his costis exteriorem & interiorem supra umbilicum, uocat Aristoteles ὑποχόνδριον. Nec uerò dubium est, quin ὑποχόνδριον, significet

cet proximã partẽ ſub nothis coſtis, ſicut Galenus inquit, in hypochondrijs ſita eſſe hepar et ſplenem. Itaq; miror, quare nonnulli uerterint hypochondria præcordia, cũ præcordia ſignificẽt proprie diaphragma, ut teſtatur Celſus, cum ait: Stomachus circa præcordia cum uentriculo cõmittitur. Et Plinius ait præcordia eſſe phrenas: atq; ita phrenas, in Ariſtotele uertit Gaza. Sunt autẽ φρένες proprie ipſum diaphragma ſeu ſeptum tranſuerſum, ut ſuo loco dicemus. Sed redeo ad exteriorum appellationum.

Sub diaphragmate uenter eſt γαστὴρ, cuius pars ſupra umbilicum uocatur ὑπογάστριον.

Ilia lagones ſunt uicinæ partes utriq; circa umbilicum. Latera uero uicina propter cauitatem dicuntur λαγόνες.

Pars ſub umbilico, dicitur ὑπογάστριον & ἧτρον, ut Galenus clare deſcribit ἧτρον, in ſecundo Aphoriſmorum, Aphoriſmo trigeſimoquinto, ἧτρον δὲ ἰδίως ὀνομάζει τὸ κατωχώριον ἢ γαστρὸς, ὅσον ὄπισθεν μεταξὺ τοῦ αἰδοίου καὶ τοῦ ὀμφαλοῦ. ideſt, ἧτρον proprie nominat inferiorem partem uentris, quæ eſt inter pubem & umbilicum. Et addit poſtea totum ſpacium ſub coſtis diuidi in tria, in hypochondrion, ea quæ ſunt circa umbilicum & ἧτρον.

Sub hypogastrio pecten est, idest os transuersum latius, quod munit intestina. Aristoteles inquit, extremum itri, est epischion. Et Galenus ita describit, ut dicat ὑπίσχιον esse anterius, posterius uerò os sacrum.

Supra pectinem pubes est, inguen, βουβών.

E regione thoracis dorsum est, νῶτον.

Pars inter scapulas opposita pectori, μετάφρενον, idest pars supra phrenas. Est autem intra μετάφρενον, os stomachi ad septimam uertebram, ideo in cruciatibus dolor sub scapulis sentitur.

Sub metaphreno est ἄκνησις, usq; ad lumbos.

Lumbi sunt è regione hypochondriorũ ubi cingimur: sic enim describit Aristoteles, τῶν δ' ὑπὸ ἄκνησιν, διαζώματα μὲν ἡ ὀσφὺς, ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἔχει. Inde & cinctum appellant hanc partem.

Sub lumbis est regio ossis sacri. Nam os sacrum est in dorso latum os, quod excipit ultimos spondylos, ac ueluti gestat totam corporis molem. Quod ita uocatur propter magnitudinem, sacrum os, idest magnum os: etsi alij arbitrantur sic appellari, quia partum adiuuet, eo quòd eius iuncturæ in parientibus aperiantur.

In medio dorsi, ῥάχις, ipsa uidelicet spondylorum series, quam etiam ueteres Latini spinam uocarunt,

runt, ſicut Celſus ait. Caput ſpina excipit, ea conſtat ex uertebris quatuor & uiginti. ita loquitur & Plinius. Sed Galenus diſcernit ῥάχιν & ἄκανθαν, uocat ῥαχιν propriè ipſam ſpondylorum ſeriem: his uerò uelut pinnæ additæ ſunt, quas uocant peculiariter ἄκανθαν, ideſt ſpinam: & dicit factam eſſe, ut ſit tanquam uallum ſpondylorum, ſeu (ut ipſius utamur uerbis) χάραξ τῆς ῥάχεως. Porrò ita ſuſtinet ῥάχις omnia oſſa, ut tanquam truncus & carina corporis humani eſſe dicatur.

σπόνδυλοι uocantur uertebræ, ſuntq; oſſa figura uertebrarum inter caput & lumbos quatuor & uiginti, mira arte iuncta, cana intus & tenui carne ueſtita, ut medullam contineant, quæ uocatur à Celſo ſpinæ medulla, à Galeno νωτιαῖος μυελός, ab Arabibus nucha. Eſtq; (ut ſuprà dixi) ſubſtantia ſimilis cerebri, & quidem orta à cerebro. Nec enim cerebrum in capite ſatis magnum erat, ut ſufficeret omnibus neruis procreandis, & ut firmiores eſſent nerui, minus longinquè duci eos oportuit: ideo conditū eſt, quaſi alterum cerebrum, ſeu riuus ex cerebro ductus, ſeu ut inquit Galenus, ποταμὸς ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου, ut inde plures nerui procreentur & minus diſtantes, motus & ſenſus cauſa. Cumq; tanta ſit dignitas hu-

ius medullæ, ſpondylorum læſiones periculoſiſſimæ ſunt. Diligentia uero fouendi, fricandi & calefaciendi ſpondylos, quia neruos iuuat, magnas utilitates adfert multis membris.

Coxæ, ſeu coxendices, ἰσχίαι, ſeu ipſa oſſa natiũ proxima lumbis, ſicut teſtatur Celſus, cum inquit, Ima ſpina in coxarum oſſe deſidit, quod tranſuerſum longeq; ualentiſſimum, uuluam, ueſicam, rectum inteſtinum tuetur, & cætera.

Cotyla, ſeu acetabulum, eſt ſinus, ideſt cauum in ima parte oſſis natium, ubi infiguntur ei oſſa ſummamagni pedis. Hunc ſinum uocant Arabicè Ancam, & uulgò nomen ἰσχίου pertinere tantum ad hunc ſinum putant, quia in eo ſinu morbus oritur, qui ἰσχιὰς uocatur. Sed ſciendum eſt & coxam Latinis, & Græcis ἰσχίου ſignificare integra oſſa natium, cotylen uero coxæ ſinum.

Nates γλοῦτοι.

Femur μηρὸς, haud dubie ſignificat ſuperiorem partem magni pedis à natibus uſq; ad genu. Recentiores abſurde confuderũt nomina coxæ & femoris, & præpoſterè eis uſi ſunt. Os coxæ dicunt pro femore, & econtra os femoris pro coxa: hæc inuerſio in uulgaribus ſcriptis diligenter animaduertenda eſt.

Totum

Totum membrum quod uocant magnũ pedem, à natibus usque ad plantam, σκέλος uocatur ab Aristotele & Galeno.

Genu γόνυ.

Os in genu anterius uocatur mola, Græcè μύλη, qua appellatione etiam Pausanias usus est in hac significatione, cum de Aiace inquit, Patefacto eius sepulchro, in littore conspectam esse inter ossa molam, disci magnitudine, ac inde æstimatam fuisse corporis proceritatem. Ac diserte addit, molam esse os in genu. Verba eius hæc sunt, εἶν οἱ περὶ δίσκου μᾶλλον τὰ ὀστᾶ τῆς γόνασιν ὁσᾶ, καλουμένας δὲ ὑπὸ τῶν ἰατρῶν μύλας. Fuit autem discus haud dubiè amplior orbis, quàm tale os in uulgari corpore, Celsus uocat patellam.

Cauitas posterior, flectendi cruris causa facta, poples. ἰγνύα.

Crus, pars à genu usq; ad plantam Latinis dicitur. Constat duobus ossibus, quorum maius uocatur Tibia, κνήμη. Alterum uerò minus est περόνη, idest fibula.

In posteriore cruris parte est caro, quæ Sura uocatur, uuaden, γαστροκνημία.

Post crura est pes, qui sic propriè appellatur, uulgò paruus pes, et in homine planta dicitur, Græ

cè ποὺς. Partes ſunt calcaneus, et in calcaneo mal leoli, qui tali uocantur. Deinde extenſa pars ad digi tos, planta propriè eſt. Græci abundant uocabulis, quæ non recitabimus omnia. Galenus pedis partes ita diſcernit,

1 πτέρνα, calcaneus eſt.

2 Deinde παρσὸς, pars proxima calcaneo.

Poſtea μεσόπου.

3 Deinde digiti.

In πτέρνῃ ſunt tali, qui uocantur σφυρὰ, Galenus etiam ἀστραγάλους uocat. Et ſi Ariſtoteles malleolos, qui ſunt in pede hominis, non uult dici Aſtragalos.

Recenſuimus appellationes exteriorum præcipuas. Nam hæc quamuis grammatica & breuis explicatio, tamen non ſolum affert aliquid lucis in lectione ueterum ſcriptorum, ac præcipuè Philoſophorum: ſed etiam aditum patefacit ad conſiderandam, cognoſcendamq; naturam multarum partium corporis humani. Nec uerò omnia uocabula curioſe undiq; conquiſiuimus, quod non erat difficile factu. Sed hic modus uiſus eſt aptior & utilior rudibus. Iam uerò interiora membra breuiter deſcribemus. Etſi autem non omnes minutas particulas, omnes uenarum, arteriarum ac neruorum propagines diſtri

distribuemus, sed crassiores partes obiter spectandas proponemus: tamen hæc ipsa explicatio ostendet mirificam Naturæ uarietatem, multis de causis consideratione dignissimam.

Quin igitur properas, & statim nobis profers interiora.

VOS uerò uelut in templum ac sacrarium quoddam, uos introduci putetis: quare singulari reuerentia aspicere non solum materiam, sed multo magis artem, & considerare consilium & diligentiam opificis debetis. Nam ipsa opificij ratio testatur, homines non casu extitisse, sed ab aliqua infinita mente ortos esse, quæ singulas partes mirabili consilio distribuit, & ad certos fines destinauit, quæ impressit notitiam ac mentem, quæ est clarissimum uestigium diuinitatis. Deinde considerandum est, quàm sit & suauis, & ad uitam, ad ualetudinem, ad mores, utilis hæc cognitio: uidere nutritionis & generationis causas, cernere fontes affectuum, & animi motuum, intueri instrumenta & causas notitiæ. Si quis has pulcherrimas res non admiratur, hic prorsus ab hominis natura degenerauit. Quid, quòd in ipsa partium distributione, Deus non solum ostendit, quas actiones priuatim ab homine requirat, sed etiam imaginem quãdam ciuitatis ac politiæ

proposuit. Vt enim tres sunt uelut uentres functionum præcipuarum: infimus seruit nutritioni & generationi: secundus, in quo cor est, ciet motus & defensionem: tertius, in quo cerebrum est, continet maximarũ rerum notitiam. Sic in ciuitate bene constituta, prima cura esse boni moderatoris reipublicæ debet, ut ciues habere uictum possint. Deinde, ut defendantur aduersus iniustam uim. Tertio, ut etiam ad sapiẽtiam & notitiam Dei, & aliarum honestarum rerum instituantur. Ita ipsæ hominis partes indicant, quæ res præcipuè expetẽdæ sint, quæ actiones suscipiendæ, & illustrem imaginem continent legitimi imperij, seu rectè constitutæ ciuitatis. Quare cum nos ipsos intuebimur, consideremus ad quæ actionum genera, & priuatim & publicè destinati simus. Præterea Plato de ordine etiam sua uiter philosophatur, ait distare has partes, sicut distant in cantu ὑπάτη, μέση καὶ νήτη. ὑπάτη summus locus est cerebri, quæ est sedes gubernatricis partis, quæ uocatur ἡγεμονικόν, sub hac sedes est cordis, quod eo cõfert ad μέσον, quia aliàs obtemperat iudicio, aliàs suo impetu temerè mouetur. Tribuit enim cordi potentiam θυμοειδῆ, quia ciet affectus sensuum. Et quoniam gignit affectus, qui cient motus, uelut satellitium est gubernatricis potentiæ

tentiæ. Ideoq; dicit Plato ibi collatum esse cor εἰς τὸν θεμφοειδῆ οἶκον; ut affectus uelut satellites obtemperent rationi. Infimam partem uocat Plato φάτνην, idest præsepe, quod nutrimentum excipiat, & concoquat, & reliquo corpori transmittat. Hanc potẽtiam uocat τὸν θυμοειδῆ, quia continet appetitiones uegetatiuæ uirtutis, famem, sitim. Quæ quoniam minus sunt in potestate rationis, ideo hæc pars longissime distat à gubernatrice, ideoq; νήτη idest, ultima uocatur. Hæc commemorauit, non solum ut fieret illustrior usitata distributio, qua sedes interiorum tres constituuntur, sed etiam ut diligentius considerent studiosi, ad quos usus singulæ partes conditæ sint, & quæ actiones, quo ordine homini conueniant. Vt uelut in cantu ὑπάτη gubernat reliquas uoces, ita sciamus inferiores uires, cum dissonant à gubernatrice parte, nitiosas esse. Nunc igitur ξὺν ἀγαθῇ τύχῃ dicamus primum de infima parte.

DE VENTRICVLO κοιλίᾳ.

Exemplo Galeni ordior à uentriculo, quod eius utilitas notissima sit. Ac primum de figura & situ, Postea de substantia eius & utilitatibus dicam.

Ventriculus, qui cibos transmissos excipit &

primùm alterat, ſub diaphragmate ſitus eſt uerſus dextrum, eſtq; figura rotundâ, oblonga, ſed nonnihil ampliore fundo: deinde paulatim anguſtior erigens ſe uerſus ſiniſtrum latus, ac circa decimumtertium ſpondylum, ſub ipſo diaphragmate alligatur dorſo. Hoc ipſo in loco inſeritur uentriculo anguſtus canalis, figura inuerſæ tubæ, qui ad fauces uſque, non quidem rectà, ſed nonnihil cedens uenæ aortæ, tendit. Hic canalis, uocatur οἰσοφάγος propria appellatione, quod per eum cibi uehãtur ab ore in uentriculum. Habet autem οἰσοφάγος & nomen ſtomachi, ſignificat enim στόμαχος in genere huiuſmodi canales.

Habet uentriculus duo orificia, alterum ſuperius, quod uulgò uocari ſolet orificium uentriculi, uidelicet ubi inſeritur οἰσοφάγος uentriculo, ſub ipſo diaphragmate, ſicut conſtat exemplo, in loco ſub στέρνῳ adhiberi medicamenta ad fouendum illud orificium.

Inferius orificium uocatur πυλωρὸς, hoc eſt ianitor, uulgò ineptè uocant portonarium, per quod uidelicet euehitur ex uentriculo non ſolum cibus alteratus, ſed etiam ſuperfluitas, ut paulo pòſt dicam. nullum enim aliud eſt uentriculi oſtium ad euehendas ſordes. Et ambo orificia, ne perfluerent cibus,

aptè

aptè ſita ſunt in lateribus uentriculi, & accepto cibo claudi ſolent ambo, ut calor magis intus cõtineatur. Ac ne quis miretur, quomodo ſuperius orificiũ claudi poßit, cum inde longus canalis porrigatur, qui quidem cõtinuus eſt ipſi uentriculo, idemq; corpus, ſciendum eſt, uillos in imo œſophago latos eſſe, quibus conſtringitur & clauditur. Ad hæc comprimitur etiam œſophagus, eo in loco à diaphragmate. Nam inter utilitates diaphragmatis, hæc quoq; recẽſentur. Hinc intelligi poteſt, cum hiat orificium, malam coctionem fieri, quia non ſolum exhalant fumi, & calor diſſipatur, ſed etiam proſtratæ uirtutis ſignum eſt uillorum imbecillitas.

Ideo autem uentriculus à dextro latere porrigitur uerſus ſiniſtrum, ut locũ in dextro latere præbeat hepati, quod incumbit uentriculo, & uelut digitis, ſuis (ut uocant) pinnis amplectitur, & calefacit eum. In ſiniſtro latere ſplen eſt, ut in ea parte uentriculum calefaciat, & ut melancholiam infundat, qua cietur in orificio uẽtriculi appetentia. Cæterum à quibus partibus alijs iuuetur, deinde dicemus. Ac ſitus quidem admonet, quare ſumpto cibo proſit cubare in dextro latere, tum ut magis calefiat fundus uentriculi, tum ut non effundatur cibus.

Subſtantia uentriculi, eſt partim carnea, partim

tim neruea, constat enim duabus tunicis, quarum interior est neruosior ac spissior, estq; rugosa, denticulata & aspera, habet uillos longos interius, quibus ceu digitis attrahit cibum. In exteriore parte habet obliquos, qui retentioni seruiunt. Exterior tunica magis est carnosa, quæ uillos habet latos, utiles ad expellendum.

Temperamentum ipsius uentriculi, frigidum est & siccum, conueniens uidelicet naturæ neruosæ, qua præditus est, primum sensus causa, ut afficiatur rebus conuenientibus, & auersetur non conuenientes. Deinde ut appetētia & efficacia maior sit. Præterea ut sit durior, ne ciborum asperitate offendatur. Habet autem & calorem aliquem natiuū: nam & exterior tunica calidior est, & calesit uentriculus à uicinis membris, ab hepate, splene, corde, diaphragmate, quod assiduè agitatur, item ab omento, præterea & à spiritu, qui copiosius infunditur in uentriculum, propterea quod colligatus est uicinis membris per uenas & arterias.

Vtilitas est minimè obscura, seruit enim potentiæ nutritiuæ: ideoq; habet naturam uim appetendi cibos. Nam fames cietur in orificio uentriculi, cum uidelicet exhausta membra nutrimentū desiderant, & attrahere conantur ex uenis, uenæ ex hepate, hepar

hepar ex uentriculo, uentriculus ex orificio, corru
gatur & afficitur orificiũ, & appetit cibum, & iri
tat hanc corrugationem melancholia infusa orifi-
cio ex splene, hoc modo fames cietur. Quanquam
& alia signa sunt, quod naturaliter insit uentriculo
uis peculiaris, appetens atq; attrahens cibum. Nam
in piscibus, qui uocantur χάννας, seu hiatuli, cum
auidius persequuntur prædam, ita mouetur ipsa ap-
petitione uentriculus, ut eis procidat in os. Quo e-
xemplo & uentriculi natura monstratur, & pingi-
tur imago helluonum, qui auidius appetunt cibos.
Et quidam uoraciores sunt, quorum œsophagus &
amplior est, & crassiores habet tunicas.

Sunt igitur quatuor uirtutes uentriculi, attrahe
re cibos, retinere, alterare, & transuecto nutrimen
to expellere superflua, suntq; (ut antè dixi) uilli ad
attrahendum & retinẽdum ordinati. Vis autem al-
terandi præcipua est, quæ uidelicet cibum mutat in
chylum, hoc est uelut in liquorem, id enim Græcis
significat χυλὸς, & hunc coquit tantisper donec
maturuit, ut transmitti possit ad hepar. Fitq; ea co-
ctio, primum peculiari ui ipsius uentriculi, quod ex
eo existimari potest, quia totus uẽtriculus miro mo-
do uniuersum cibum amplectitur ac fouet, uelut ma
trix tota amplectitur fœtum. Deinde adiuuatur ca-

lore

lore (de quo antè dixi) ſpiritu, phlegmate, bile. Cumq; maturuit chylus, aperitur pylorus, & euehit chylum in duodenum inteſtinum, deinde in ieiunum, ibi uenæ meſaraicæ rapiunt eum, & tranſuehunt ad hepar. Superfluitas uerò expellitur in cæcum inteſtinum, feces deinde in cætera deijciuntur.

Dictum eſt breuiter de uentriculo & eius offi cijs, prius quàm uerò ad hepar accedimus, in quo deinde altera fit coctio, prius recenſebo duo tegumenta uentriculi, magno conſilio à Natura condita ad muniendum uentrem & inteſtina.

OMENTVM.

Celſus diſcernit omentum à peritonæo. Eſt igitur omentum, quod Græci uocant ἐπίπλοον, Zirbum: eſtq; tunica, ſeu panniculus neruoſus, multis uenis & arterijs conſtans, cui circumfuſa eſt pinguedo copioſa: oritur à diaphragmate, & tegit anteriorem uentriculi partem, & inteſtina, ac porrigitur uſq; ad pubem. Vtilitas eſt, ut innatum uentriculi calorem concluſum teneat: deinde, ut adiuuet etiam ſuo calore. Ideo enim pinguedo circũfuſa eſt, ut addat calorem: habetq; nomen apud Græcos, quia uelut natet ſupra uentriculum. Galenus experimento probat, omentum conditum eſſe, ut calefaciat: ait enim, gladiatori exectum eſſe, qui etſi uiue-

ret,

ret, tamen minus potuerit concoquere, & pluribus fomentis opus habuerit.

περιτόναιον.

Vulgò siphac, tunica est, quæ ambit ac tegit undiq; omnia membra uentris inferioris, uentriculum, omentum, intestina, hepar, splenem, renes. Atq; inde nomen habet, quòd cum sit inuolucrum omnium membrorum inferioris uentris, undiq; circumtendatur à diaphragmate, usq; ad ossa pubis, & in dorso ad spondylos lumbi affigatur: est autem alibi crassius, alibi tenuius. Vtilitas eius est, ut muniat, & calefaciat, præterea ut alliget, ac suspẽdat ad dorsum membra uentris inferioris. Sustinet autem in exteriori superficie musculos, motus causa factos, supra hos est adeps, deinde cutis.

INTESTINA.

Proxima uentriculo sunt & intestina, quæ etsi sunt continua & unum corpus, tamen discernuntur figura, situ & officijs. Ac tria superiora sunt gracilia, quia cum in ipso transitu etiam aliqua fiat coctio, superiora sunt magis gracilia, ut magis calefieri possint, & (ut Galenus inquit) facilior sit transitus, facta enim sunt ἀναδόσεως causa. Reliqua inferiora sunt magis carnosa & crassiora, quia euehunt excrementa.

Primum

Primum duodenum Galenus uocat ἐνκφυσιν, & ait duodenum ab Herophilo nominatum esse, quod longitudo sit duodecim digitorum.

Secundum ieiunum.

Tertium uulgo εἰλεὸς, quia implicitū est in sinus tortuosos, sed Galenus uocat gracilius intestinum.

Quartum cæcum, uulgo saccus.

Quintum colon κώλων.

Sextum rectum, uulgo longaon, nescio unde facto nomine. Sed cum ordine de singulis dicam, uocabulorum ratio & officia intelligi poterunt.

1 Duodenum.

Primum est duodenum, quod à pyloro oritur, & sursum uersus, in dextra parte uersus dorsum porrigitur, ut alligari firmius possit, præterea ut ad bilis meatum in hepatis regione apte locatum sit. Nam ubi desinit duodenū, in ipso ieiuni initio, meatus est ex uesicula fellis, ut bilis cibum pellat & intestinum mundificet.

2 Ieiunum.

Duodeno continuum est ieiunum, quod sub hepate habet spiras aliquas, deinde aliquanto rectius porrigitur ad hepar. Appellatio indicat officium, semper enim uacuum est. Nam & in hoc intestino meatus sunt bilis, quæ cito pellit cibum, & hepati proximum

proximum est, ideo inde statim rapit chylum, & huius usus causa, multæ uenæ mesaraicæ in hoc intestinum porriguntur, ut ipsum celerrimè exugant. Transmittit etiam hoc intestinum bilem in cætera ad pellendas feces.

3 Ileos.

Vocatur à Galeno gracilius intestinum. habet eũdem usum, quem habet ieiunum, hoc est ut transmittat cibum: sed hoc interest, ieiunum mox exugitur, uerũ gracilius retinet chylum diutius. Ideo enim habet plures gyros, & ut chylum magis coquat, & ut diutius suppeditet alimentum, ne mox opus sit ingerere alios cibos. Has ob causas etiam uenæ mesaraicæ, plures in hoc intestinum, quàm in cætera deductæ sunt. Cumq; sit longißimum omnium, uariè uoluitur circa ilia, inde ab hepate usque ad cæcum intestinum. Suntq; orbes eius innexi mesenterio. Plato ait, hoc consilio fabricatos esse hos gyros, ne si statim alij cibi ingerendi essent, uitam ageremus ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον. Apud Hippocratem & Galenum, εἰλεὸς est morbi nomen, non intestini. Sicut enim in alio inferiore intestino, quod λεῶλυ uocatur, fiunt λεώλυσι dolores, ita in hoc gracili ac superiore intestino, similis morbus existit admodum periculosus, cum fiũt oppilationes, ne quid ex-

pelli poßit, aut ſunt ibi uiſcoſi ac mordaces humores: Vulgo appellant Iliacum morbum.

4 Inteſtina craßiora.

Cæcum ſub hepate ac rene dextro ſitum eſt continuum ileo. Officium eius eſt ex ileo excrementa excipere, in quibus tamen adhuc reliquũ eſt aliquid ſucci, quod exugũt uenæ meſaraicæ paucæ, quæ in hoc inteſtinũ deductæ ſunt. Et quoniam excrementorũ locus eſt, amplius eſt cæteris inteſtinis, ideoq; uulgo ſaccus appellatur. Dicitur cæcum uulgo monoculum, quia unum tantum habet orificium, quod quidem conſpici poßit, quo primum ex ileo excipit excrementa, poſtea exhauſto ſucco, ſi quis erat reliquus, pellit ea in colon. In cæco aiunt naſci uermes.

5 Κῶλον cæco continuum eſt, longum duos cubitos, habet uarios flexus, ne ſtatim perfluant excrementa, ſed ut hic quoq; exugant Meſaraicæ reliquũ boni ſucci. Incipit à cæco inteſtino in dextro latere, & porrigitur in ſiniſtrum, & uoluitur circa renem ſiniſtrum, deinde attollitur ad ſplenem, & extenditur per uentriculum ad hepar, & ut calefiat, & ut ſub tertia pinnula hepatis excipiat meatum ex cyſti fellis. Nam cum maxime conditum fit κῶλον expulſionis cauſa, habet opus bile ad pellenda excrementa. Ideoq; ibi colorem accipit ſtercus, fit enim

enim flauum propter bilem. Et quoniam in colo sunt subinde uelut cellulæ, figura etiam aridioris stercoris imitatur cellulas, ut duriora scybala monstrant. Colici dolores ab hoc intestino nomen habẽt, fiunt autem cum oppilantur meatus à frigidis, crassis & uiscosis humoribus.

6 Rectum intestinum.

Reflectitur λῶλον ab hepate uersus sinistrum renem, ibi incipit rectum intestinum, & demittitur usq; ad sedem: annectitur autem ossi sacro & spondylis renum, euehit stercus, ideo & satis amplum & longum est.

Sedem, seu anum, Galenus nominat σφιγκτῆρα, à constringendo, quia musculis constringitur sedes, ut sit munita contra præcipites & inuoluntarios profluxus.

Recensui intestina, addam aliquid de substantia eorum ac uillis. Tunicarum substantia est panniculari, propinqua carni, neruosa, plurimos habet uillos latos, quorum natura est expellere. Quia enim attractione ac retentione non ualde opus habent, ideo paucos habent alios uillos.

Μδρωτέριον.

Duæ sunt Græcæ appellationes mesenterij, quas Galenus sexto Anatomicôn sic describit: μδρω-

τέρμον inquit, à ſitu dicitur: non eſt enim inteſtinum, ſed eſt aliud quiddam implicitum inteſtinis, non ſolum ut ea geſtet, diſtinguat, dorſo alliget, ſed præcipuè, ut uenas meſaraicas, uelut canales ſuſtentet, quæ hauriant ex inteſtinis chylum, ac tranſuehant ad hepar.

Altera appellatio eſt μεσάρεον, quia ſubtilis panniculus eſt, ſeu ſubtilis quædam congeries exilium & anguſtarum uenarum. Nam ἄρειον ſignificat ſubtile, tenue. Hæc autem utilitas eſt meſenterij. Cum interuallum quoddam ſit ab hepate ad inteſtina, opus fuit ueluti canalibus. Ideo à porta hepatis oriũtur uenæ, ceu rami, quarum orificia infixa ſunt inteſtinis, ut inde chylum hauriant, eamq; ob cauſam appellantur alicubi à Galeno manus hepatis. Iam his canalibus ne rumperentur, opus fuit munimento ac fulcro. id munimentum eſt μεσόρρεον, ſeu μεσάρεον.

Eſt igitur panniculus ortus à peritonæo neruoſus, cõtinens carnem glanduloſam & pinguedinem quandam, qui & uenas illas meſaraicas uehit, & ſimul arterias ac neruos gerit, ut arteriæ calorẽ præbeant tum inteſtinis, tum ipſis uenis coquentibus chylum, nerui ſenſum impertiant inteſtinis, uenæ uerò & hauriant chylum, & uiciſſim nutriant inteſtina.

ſtina. Vt enim à truncis arborum porriguntur in terram radices, ut nutrimentum attrahant, ita rami à porta hepatis ſparſi per meſenterion, adhæreſcunt inteſtinis ceu radices, & inde nutrimentum attrahunt. Caro glanduloſa, & pinguedo, non ſolum muniendi cauſa conditæ ſunt, ſed etiam ut humectent inteſtina, & calorem conſeruẽt tum uenarum, tum inteſtinorum. In hac glanduloſa carne, ſi quando multum melancholiæ relinquitur, aut in eam effunditur, oritur morbus, quem uocant melancholiam mirarchiam, aut χοροχονδρικὴν.

Παγλίκρεας,

Seu καλίκρεας, Arabes non diſcernunt à meſenterio: eſt enim illa ipſa glanduloſa caro, de qua diximus, quæ explet loca uacua inter uentriculum, hepar & ſplenem, & præbet uelut mollem ſedem his membris, & ſuſtinet uenas meſaraicas. Diſertè enim deſcribit locum Galenus in Anatomia uenarum, ubi ait πάγλικρεας ſubſtratum eſſe uenis & arterijs ea parte, ubi uena portæ, quæ eſt in cauæ parte inferiore hepatis, ſcinditur in ramos. Ibi enim ne rumpantur uenæ & arteriæ, ait opus eſſe munimentis quibuſdam. Quare ut Arabes meſenterium eſſe dicunt, ſimul craſſiorem illam glanduloſam partem inſertam uacuis ſpacijs, & deinde exiliorem

intestinis affigentem uenas mesaraicas. Expresse enim dicunt, duas esse mesenterij partes, & uocant Eucarum, quod arbitror esse corruptum ex uocabulo καλίκρεας. Ita Galenus discernit illas partes appellationibus, crassiores partes uocat πάχυκρεας, Sed pelliculas proximas intestinis, quæ sunt angustiores μεσάραιον.

Hepar, Iecur.

Generosum membrum est, quia inter organa nutritiuæ potentiæ præcipuum est. Quare & natura eius, & in opificio consilium architecti, diligenter considerari debent.

Sub diaphragmate proxime in dextro hypochondrio situm est.

Figura est semicirculi, seu uelut Lunæ prodeuntis à coniunctione.

Substantia eius est caro rubra, propemodum ut coagulatus sanguis. In totam hepatis carnem sparsum est ceu rete quoddam, uidelicet rami uenæ portæ, & uenæ cauæ. Nam infra in caua parte meatus est, qui uocatur porta, à qua ceu rami uenæ Mesaraicæ & aliæ quædam propagantur. Ideo autem portam Galenus nuncupari scribit, quia per eum meatum chylus in hepar inuehitur.

Supra uero in gibbo hepatis oritur uena caua, Græce

Græce κοίλη, quæ sanguinem uehit ad cor. Quan
quam igitur extremi meatus ampliores sunt, tamen
mira arte ab ipsis exiles & angustæ uenæ, ceu mi-
nuti riuuli deducti sunt, in totum hepatis corpus,
huius utilitatis causa, ut distributum chylum in mi-
nutas partes, hepar coqueret perfectius, & in san-
guinem conuerteret. Hoc enim proprium est hepa-
tis officium, chylum percoquere, & in sanguinem
nutriendi corporis causa conuertere. Ideoq; tempe-
ramentū eius calidum & humidum est, conueniens
naturæ sanguinis. Et propria causa conuertens chy
lum est ipsa caro hepatis, quæ transformat chylum
tanquam sibi assimilās, & rubrum efficit. Et si igitur
alij dicunt, cor esse fontem & organum generandi
sanguinis, tamen nos Galenum sequimur, qui recte
docet carnem hepatis esse organum sua uirtute spe-
cifica generandi sanguinis, quo nutriendum est cor
pus. Sed tamē hepati impertit cor uitalem calorem,
& spiritus uitales. Ideoq; deductæ sunt arteriæ in
hepar à uicina aorta, quæ sunt paruæ, nō enim hau-
riunt ibi sanguinem, nec nutriunt humido halitu he
par, sed aduehūt spiritum uitalem, & præbent uiam
emittendis halitibus, seu ad euentandum.

Fit autem & generatio & purificatio sangui-
nis in medio hepate, ubi uidelicet à ramis uenæ por-

tæ, transfunditur iam sanguis in ramos uenæ cauæ. Ideoq; in media hepatis pinnula, condita est fellis uesicula, quæ appellatur χοληδόχος κύστις. Nam hepar habet quinq; pinnulas, ut his ceu digitis amplectatur uentriculum. Media pinnula continet uesiculã fellis, à qua porrigitur meatus ad ramos uenæ portæ, & à uena portæ deductus est ramus in splenem.

Cum igitur chylus iam percoctus est, fit purificatio in medio hepate. Vt enim in musto inest non solum uini substantia, sed etiam quædam superfluitas, sunt enim feces, quæ propter grauitatẽ in imum deuehuntur, & est aereum quiddam, quod flos uocatur, inest & quiddam aquosum, hæc cum feruent musta, superne exhalant: Ita chylum dum coquitur & in sanguinem transformatur, purificari & feruere existimemus. Itaq; grauior superfluitas seu fex in imo relinquitur, quam excipit ramus, qui in splenem deductus est, hæc grauior superfluitas, est atra bilis, seu terrea & acida chyli pars. At superfluitas leuior ebulliens, quæ est uelut ignea pars chyli, feruida & acris, quæ uocatur flaua bilis, proximo meatu excipitur, & in fellis uesiculam uehitur. Etsi autem semper aliquid tum melancholiæ, tum flauæ bilis, in sanguine reliquum est, tamen pars impurior ac maior superfluitatis ita segregatur. Post hanc purificatio-

purificationem, manet adhuc cum sanguinis substantia, alia quædam superfluitas aquosa, ut partim in sanguinem conuertatur, partim reddat sanguinem minus densum, ut per angustissimas illas uenas in hepate perfluere possit, & ut mitiget ardorem sanguinis. Postea ubi ex caua uena sanguis distributus est, euehitur aquosa superfluitas ad renes & urinæ meatus.

Magnam utilitatem habet hæc cognitio, intelligere scilicet causas & discrimina humorum, sed non solum utilitas, uerum ipsa etiam artificij uarietas inuitat studiosos, ut naturas atq; actiones harum partium diligenter contemplentur, & uideant hæc non extitisse casu, non frustra, sed fines omniũ partium atq; actionum, sapientissime præuisos esse ab æterna mente, quæ est architectatrix naturæ. Magno consilio ipsum corpus hepatis ita conditum est, ut sit cognatum naturæ sanguinis, ut chylum sibi assimilet. Venæ exiles ceu riui sparsi in toto corpore hepatis, & ut distributus chylus facilius percoqueretur, & ut nos ipsi admoneremur uoracitatem & immodicam repletionem, naturæ inimicam esse. Additæ etiam partes, quæ purificent sanguinem. Distinctæ humorum naturæ mirabilium utilitatum causa, ut suo loco dicetur. Nam singuli humores

mores certis actionibus seruiunt. Sanguis nutrimentum & spiritus suppeditat. Aquosa superfluitas refrigerat, mitigat & alit sanguinem. Flaua bilis dissipat, incendit, ac pellit: atra bilis coercet, condensat, refrigerat. Magna hinc uarietas temperamentorum, actionum, ingeniorum, denique etiam morborum oritur. Iam illa magna dignitas est hepatis, quod sedes est in qua uenæ oriuntur, sequimur enim Hippocratem & Galenum. Inquit autem Hippocrates, ῥίζωσις φλεβῶν ἥπαρ. Nam in hepate oritur uena caua, à qua ceu rami, toto corpore reliquæ uenæ propagantur. Vocatur q; ab Aristotele uena iecoraria & magna, non enim alia amplior est in corpore, quia ut imi trunci arborum sunt ampliores, quàm fastigia aut rami, sic in uenis initium est ampliſsimum. Hippocrates describens eius usum, inquit eam esse ὄχημα τροφῆς, hoc est uehiculum alimenti. Hinc enim in totum corpus per reliquas uenas sanguis distribuitur. Sed tamen ut fidus ciuis, domini rationem maximè habet hepar, ideo caua uena primum inuehit sanguinem in cor, non solum, ut reddat mutuum officium cordi, accipit enim hepar à corde calorem uitalem: sed ut præcipuam partem, uelut bonus paterfamilias, primũ alat, quæ quidem & ex hoc ipso sanguine gignit spiritus uitales,

tales, ut uniuerſo corpori reliquo, impertiat regium ac ſummum beneficium, uidelicet ſpiritus uitales, et calorem uitalem. Aſcendit autem caua uena per diaphragma, eſtq; continua dextro uentriculo cordis, inde & ſurſum & deorſum rami propagãtur. Vlyſſes inquit ſe deliberaſſe, an ea parte confoderet Cyclopem, ubi hepar iunctum eſt phrenibus, hoc eſt diaphragmati: quia ibi perfoſſa uena caua, extinctus eſſet Cyclops, deſijſſet enim ali beneficio cauæ uenæ. Sed pergo ad cætera, reſtant enim quædam de ueſica fellis dicenda.

Veſicula fellis,

κύστις χοληδόχος.

Dixi antea in media hepatis pinnula, eſſe fellis ueſiculam, & inde porrigi ramum ad uenas in medio hepate, qui excipit flauam bilẽ in purificatione ſanguinis. Cumq; hic meatus oppilatus eſt, ut à ſanguine flaua bilis non poſſit ſegregari, multa & impura bilis ſanguini permixta, gignit febres cholericas, aut icterĩcum morbum. Sed ramus, ſeu canalis potius, quem dixi tendere à ueſicula fellis ad medium hepar, diuiditur ceu furca: oritur enim ab eo procerus ramus, qui porrigitur in inteſtinum duodenum, ut inde pellat nutrimentum in reliqua inteſtina.

In uentriculum uero plerunque nullus eſt fellis meatus,

meatus, ne si influat bilis, turbetur coctio, et expellatur nutrimentum. Nam uentriculus, si à flaua bile, quæ admodum acris est, stimularetur ac morderetur, indignans dißiparet, ac euomeret cibos. Dixi autem, plerunq; nullum esse fellis meatum in uentriculum. Nam Galenus scribit pauca quædam esse corpora, in quibus non solum usitatus meatus deducitur in duodenum intestinum, sed etiam ab eo ramo oritur alter, qui paululum supra pylorum inseritur uentriculo, qui si paulò amplior est, largiter infunditur in uentriculum flaua bilis. Vnde fit ut in uentriculo redundet bilioſa superfluitas, quæ non solum gignit multam prasinam bilem, quæ & coctionem turbat, & acres & mordaces succos parit, sed etiam perpetuam nauseam, & cupiditatem uomitus adfert. Estq; his opus uomitu plerunq; ante cibum, ad eijciendam bilioſam superfluitatem. Galenus exempla commemorat, & nos ipsi quosdam uidimus tales, qui etiamsi erant sic satis temperantes, tamẽ ferè quotidie uomebant. Auicenna hos appellat miseros à natiuitate, quia non est accersitum malum, sed à natura ortum, quæ præter morem, illum ramum inusitatum, qui porrigitur in uentriculum, istis addidit. Habẽt autem perpetuas cruditates & fastidia, capitis dolores, & in ἀπεψίας incidunt.

dunt. Sed in alijs ampliores, in alijs angustiores sunt hi meatus, & fel ipsum in bilioſis maius est: qui dicuntur πικρόχολοι, propterea quod in eis redundet amara bilis, quæ cum faciat succos insuaues, ea corpora male nutriuntur. Sed infrà de temperamentis, de hoc genere bilioſorum dicetur.

Quæ sit utilitas fellis, facile intelligi potest ex his, quæ diximus. Nam in purificatione sanguinis opus est deriuari aliquò flauam bilem copioſiorem. est igitur opus receptaculo, in quo bilis & calefacit hepar, & conſeruat ne putreſcat. Habet deinde alia officia propria, pellit nutrimentum in inteſtinis, & abſtergit inteſtinorum ſordes.

Splen, lien.

In ſiniſtra parte uentriculum amplectitur ſplen paulo inferius: conſtat autem carne ſubtili, rara, ſpongioſa, figura propemodum quadrangula, colore ſubnigro, eſt enim receptaculum atræ bilis. alligatus eſt autem dorſo & in medio coſtis mendoſis. Porrigitur autem canalis uenoſus ex hepate à uena portæ ad ſplenem, quo ſanguis limoſus, in quo fex eſt ſanguinis, atra bilis attrahitur. Nec uerò nulla eſt actio ſplenis, ſed cum in eo multæ ſparſæ ſint arteriæ, calorem recipit à corde, quo illum feculentum & limoſum ſanguinem magis coquit, & aliquid

quid assumit inde, quo nutritur. Deinde quidam rami propagantur à splene, qui sanguinem illum ad nutriendas etiam uicinas partes uehant. Sed unus à splene præcipuè utilitatis causa deducitur ad os uentriculi, quod haurit, & emulget inde melancholiam, quæ cum sit acerba, corrugat orificium uentriculi, cum ut iritet appetentiam, tum ut claudat orificium, & infusa in uentriculum confirmat uim retentricem.

Hinc utilitas & splenis & melancholiæ intelligi potest. Etsi autem infrà de affectibus dicendum erit, quomodo humores uel seruiant ad ciendos affectus, uel moueantur ab ipsis affectibus, tamen hic breuiter monendus est Lector, atram bilem tristitia cordis moueri, & ex ipso splene effundi. Itaq; mœstis, etiam si natura non abundant atra bile, tamen accidunt dolores hypochõdrij in sinistro latere sub costis, cum uidelicet in eo loco agitatur, & effunditur atra bilis. Ac nouimus ipsi aliquot, qui cum alioqui bona ualetudine uterentur, tamen occupati curis, sæpe his doloribus afficiebantur.

In alijs qui abundant atra bile, ipsa melancholiæ redundantia mœstitiam parit, & exhalans in cerebrum gignit errores mentis, & effusa ex splene in uicinas regiones ac mesenterium, magnos crucia

tus

tus affert. Hanc Auicenna uocat mirachiam, melancholiam, Græci appellant πάθη ὑποχόνδρια. Vidimus hoc morbo laborantem uirum doctißimum Longicampianum, qui magnos cruciatus habebat circa ilium. Cumq; de morbi genere inter Medicos quæstio esset, facilè apparuit tantum melancholiæ agitationem esse, quia cruciatus illi crebra habebãt interualla. Quoties enim animus iucundis sermonibus exhilarabatur, prorsus sedabãtur dolores, postea recrudescebant, cum solitario in animum rursus incurrerent eæ curæ, quibus exercebatur. Hæc eo recitauimus, ut cum hi, qui habent animos occupatos curis, obnoxij sint his periculis, causas horum dolorum obseruare & intelligere discant.

Renes, νεφροί.

A uena caua ex hepate uersus cor emissa, rami oriuntur cum alij quidam, tum amplißimi duo figuræ literæ Λ. Qui uocantur uenæ emulgentes, quæ aquosam superfluitatem segregatã à sanguine, cum iam ex hepate euehitur, excipiũt, & ad renes transmittunt. Simul autem aliquid sanguinis eò influit ad nutriendos renes, estq; bilis admixta sanguini.

Tendunt igitur uenæ emulgentes ad duos renes, quorum alter sub hepate, alter sub splene situs est. Estq; eorum substantia carnosa, solida, densa, ne dissoluatur

dissoluatur ab aquosa ac biliosa superfluitate, seu (ut Galenus inquit) ne sanguis, quo renes nutriendi sunt, unà cum aquosa superfluitate extillet, ac perfluat. Additæ sunt renibus maiusculæ arteriæ, quæ spiritum & calorem suppeditant, ut renes percolare excrementum, & conuertere sanguinem in nutrimẽtum possint. Galenus his arterijs etiam euehi aliquam superfluitatem ex corde ait.

Est autem in medio renum cauitas, tanquam lacuna, quæ cuius usus causa facta sit, iam dicã. Nam uenæ emulgentes non sunt in cauitatem demissæ, sed statim ubi renum carnem attigerunt, sparguntur in multas exiles uenas, quibus renes sanguinem illum aquæ permixtum accipiunt, ut sanguine nutriantur, quo defecato, aqua & bilis in lacunam illam exudant. Ab ea lacuna inchoatur, in quolibet rene longus canalis descendens ad uesicam. Hi duo meatus appellantur οὐρητῆρες, id est urinarij, quia per eos defluit urina in uesicam, quæ quia iam à sanguine segregata est, colorem aquæ habet, sed à bile tingitur, ideo & nonnihil flaua est & acris. Vt autem uel in terra gignuntur saxa ex glutinoso ac terrestri humore, uel in caminis coquuntur lateres, ita in renibus ac plerunque in lacuna gignuntur calculi ex terrestri & glutinoso humore, qualem præcipuè

præcipue ſalſamenta aut frixa gignunt. Inde cum ſubſidit in renibus coagulum, renes immoderate calidi, durant ipſum, uelut igni lateres durãtur. Et quia in cauernis anguntur renes, afficiuntur nerui ingenti dolore, poſtea etiam in anguſtijs ureterum. Et quia impeditur urina, & quia diſtenduntur uenæ illæ à calculis, excitantur ſæuiſſimi cruciatus, cientur uomitus, quia cum afficiuntur nerui, peruenit ſenſus et ad uicina membra. Hæc commemoraui, ut renum natura intelligi melius poſſit, ſunt igitur renum officia, attrahere aquoſam ſuperfluitatem ex uena concaua, & deriuare urinam in ueſicam.

Veſica, Κύστις.

Sita eſt ueſica in uiris iuxta rectum inteſtinum ad anum, inde porrigit ceruicem ad uirgam. Sed in mulieribus magis ſupra os matricis collocata eſt, & ſunt in mulieribus breuiores & ampliores urinæ meatus, quare minus ibi afficiuntur calculi doloribus. Conſtat autem ſubſtantia ex neruea membrana, intextis uillis, rectis ut attrahant, tranſuerſis ut expellant. ſparſæ ſunt in eam & uenæ, & arteriæ quædam. Ceruix ueſicæ carnoſa eſt, & habet quoſdam anfractus, ut facilius retineat urinam. Habet & muſculũ unum inuoluentem eius os, factum, ut cum uolumus, urinam expellat. Etſi autem pro-

prie una est uesicæ tunica, tamẽ eam circumdat et alius panniculus. Atq; ita ureteres per utranq; tunicã infixi & sparsi sunt, ut meatus non sint recte oppositi, ne uidelicet retro fluat ruina. Quàm sint angusti meatus, intelligi potest, quod in uesica exemptæ mortuis animantibus, nullum conspicitur foramen, præter unum quoddam amplius, quod ad emittẽdam urinam factum est, reliquis partibus undique clausa est adeo, ut ne quidem aer perspiret. Coeunt enim in mortuis orificia illa angusta, quæ excipiunt ureteras, sicut nerui læsi corrugãtur, & contrahũtur.

Vtilitas uesicæ magna est. Nam si superflua aquositas non eueheretur, sed passim in membris relinqueretur, postquàm corpus impletum esset, ac redundaret illa aqua copiose collecta, creparent, ac rumperentur plæraq; membra. Imo etiam suffocaretur homo, compresso diaphragmate. Condita est igitur uesica ad hunc usum, ut transmissam superfluitatem aquosam excipiat, & tantisper retineat, donec commode effundi possit.

Varijs affici morbis potest, ac notabilis solutio eius est lætalis. Nascitur in ea calculus, ex humore uiscoso & terrestri, qui calore duratur, & fit calculus, ut supra dictum est. Accidunt uesicæ & difficultates urinæ reddendæ, quæ dicuntur στραγγουρίαι

εἶαι, ab οὖρον urina, & σπαγγίζειν, quod est colare, & ui guttulas exprimere, σπαὶξ enim est gutta. Sunt & aliæ ſpecies uicinæ στράγγουριας. Cum enim meatus in ceruice, qua emitti urinam oportet, obſtruuntur craſſo & frigido humore, non potest emitti urina, interdum alijs de cauſis hoc accidit, uel propter calculum, uel propter debilitatem uirtutis expulſiuæ.

Vaſa ſeminaria,
ἀσφραλικὰ ἀγγεῖα.

Aliud eſt dextrum, aliud ſiniſtrum. Et ut ſiniſtrum prius deſcribamus, ab emulgente uena ſupra ſiniſtrum renem oritur uena, & ab arteria tendente ad ſiniſtrum renem, quæ ſatis magna eſt, oritur etiam arteria. Hi rami, uena & arteria iunguntur, & teguntur nerueo panniculo, & deſcẽdunt ad loca teſtium. Itaque ſemen uirtutem habet ab hepate propter uenam, à corde propter arteriam, à cerebro propter panniculum. Et quoniam uena emulgens uehit aquoſam ſuperfluitatem, in hoc uaſe ſiniſtro magis aquoſum ſemen eſt & imbecillius, & gignendis fœminis accõmodatius. Sed in dextro latere oritur uena à ramo cauæ uenæ, interdum ſupra, interdum infra dextrum renem. Oritur & arteria, ab arteria aorta deſcendente. Iunguntur itaque, &

teguntur panniculo, ac descendunt ad loca testium. Et quoniam à caua uena dextrum uas oritur, semen est uicinius naturæ sanguinis & calidius. Hæc uasa attrahunt à toto corpore utilem superfluitatem ultimæ coctionis, & paulatim præparant ad seminis naturã, ideo uocantur uasa præparãtia. Et quia sunt duriuscula, non attingunt testiculos, sed aliud quoddam uas, seu uesicula, ex quibusdam panniculis conditum est, quo inuoluti sunt testes, & uocatur ἐπιδίδυμις, idest inuolucrum testium. In hoc inuolucro quod est mollius, desinunt uasa illa descẽdentia, & per eius poros liquor destillat in testes, qui cum sint cauernosi & calidi, attrahunt, & percoquũt semen, ut ibi albefiat, & accipiat uirtutẽ generatiuã.

Nam Galenus iure repræhendit Aristotelem, existimantem testiculos tantum attrahere semen, ut eijciatur, non conducere ad generationem, nec alterare semen, & uirtutem ei conferre generatiuam. Nam & natura calidi sunt testes, & arteriæ uasorum, quæ diximus, transuehunt eò spiritum. Quare calore testium perficitur semen, & uirtutem generatiuam consequitur.

Nam priusquam liquor ille peruenit ad testes, etsi paulatim præparatur in uenis, tamen adhuc rubet, & naturam habet sanguini propiorem. deinde

uero

nero in testibus mutat colorem, quare ibi magis alte ratur, & percoquitur, & propriam seminis formam accipit. Iure & illud reprehenditur in Aristotele, quod negat ab omnibus partibus corporis semen deriuari. Nam cum uideamus propagari morbos certorum membrorum in natos, apparet materiam seminis & ab illis membris parentum ortam esse. Ideoq; affirmat Hippocrates semen manere à toto corpore, & sanum à sanis partibus, languidum à languentibus, & quidem docet plurimum seminis deriuari à cerebro. Nam cerebrum maxime cognatum est naturæ seminis, cum totum oriatur ex præstantissima parte seminis, plena spiritus, sicut supra dictum est. Est igitur inimicissima cerebro & perniciosissima, immoderata Venus. Verba in Libro de Semine, qui extat inter Hippocraticos, hæc sunt, χωρίει γὰρ τὸ πλεῖσον τοῦ γένου ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, &c. Comparantur autem testes uentosis, nam ut illæ attrahunt sanguinem, ita tribuitur magna trahendi uis testiculis, sed redeo ad Anatomica.

Cum testes, qui sunt uelut spongiosi, percoxerunt semen, rursus in illud inuolucrum, quod uocatur ὑδροκήλη exudat, quia & calore testium & suo spiritu incitatur, est enim semen plenum spiritu. Ab inuolucro uehitur in uasa, quæ

Parastatæ. uocantur παραστάται, quasi dicas assistentia. Ascendunt enim per quosdam anfractus, & utrinque porriguntur ad canalem uirgæ, cumq; sint glandulosa & uiscosa caro, cauernas habent, quibus excipiunt, & retinent semen, ideo appellantur uasa conseruantia.

Vasa conseruátia

Testes uocantur διδυμοι, idest gemelli.

Cutis extrema quæ continet testes, uocatur ὄσχεον, Latine Scortum, quod uulgò non rectè scrotum dicunt.

Virga, καυλός.

Matrix, μήτρα.

Partes duas habet, receptáculum, factum ut fœtum contingere possit, idq; uocatur ὑστέρα. Altera pars est angustior, quæ est aditus longiusculus, ideoq; collum matricis dicitur. Et quoniam receptaculum amplius est, qua parte uersus collum tendit, sunt addita cornua, ut quasi Lunæ crescentis figuram referat. Nam hæc cornua sunt ligamenta, quæ matricem alligant coxis. Habet & mulier testiculos, sitos iuxta hæc cornua utrinq;, minores uirilibus & frigidiores, sed tamen semen quoddam generantes, quod est quidem tenuius uirili & subaquosum, sed tamen in procreatione fœtus, miscetur uirili semini, eiq; uelut alimentum est, ut Galenus ait,

Cornúa

Testiculi fœminei

ut

ut augeat uirile ſemen, & fœtus ex utroq; procreetur. Nam utrunq; ſemen, & actiuè & paſſiuè ſe habet in generatione fœtus. Multum in utroq; ſpirituum ineſt, ſed uirile cum ſit calidius, & minus rarum, magis ſe actiuè habet. Cum autem mulieris teſticuli ſint extra matricem, & tamen ab ipſis muliebre ſemen in matricem tranſmitti oporteat, ut iungatur uirili, ſciendum eſt, ut in uiris uaſa ſpermatica uehant ſeminis materiam ad teſtes, deinde teſtes tranſmittant per quaſdam ambages in paraſtatas, ita propemodum fit in mulieribus. Nam uaſa ſpermatica materiam ſeminis muliebris, undique ex corpore muliebri attrahunt, deinde teſtes excipiunt, exceptum & coctum tranſmittunt in paraſtatas, quæ ſunt uaſa amplectentia matricem, quæ cum à teſticulis recedunt, incipiunt fieri paulo latiora, donec ingrediuntur matricem. Per hos ramos, quia in concubitu aperiũtur propter motum, illabitur muliebre ſemen in cauum matricis. Differunt autem uiriles paraſtatæ à muliebribus, quia uiriles per longas ambages perueniunt ad uirgam, ſed in muliere amplectuntur matricem non longo ductu.

Eſt & matrix intus undiq; conſperſa tanquam punctis: ſunt autem hæc puncta, orificia uenarum undiq; tendentium ad matricem. Et hæc orificia uo-

cantur ideo κοτυληδόνες, quia ut amplecti poſſint fibras, quibus fœtum in utero & retinent, & alunt, ſunt ſimiles extremis polypi pedibus, qui appellantur cotylidones propter cauam figuram, & aptam ad prehendendum.

Triplex utilitas eſt cotylidonum. Sunt enim canales, per quos ſanguis menſtruus effluit, ſuppeditant etiam ſanguinem puriorem alendæ matrici, & alendo fœtui, & figura ſua fibras apprehendunt, ut retineri in utero fœtus poßit. Oriri autem cotylidones alij putant à uaſis ſeminarijs, Galenus etiam à caua uena. Aliquæ haud dubiè rami ſunt uenarum, quæ à mamillis ad uterum tendunt. Attrahunt enim mamillæ partem aliquã ſanguinis ex utero, quæ mutatur in lac, ſicut ſuprà recitauimus Hippocratis dictum, qui ait, Lac menſtruo fraternum eſſe.

Sinus duo uidentur eſſe in matrice, dexter & ſiniſter, in dextro mares, in ſiniſtro plerunq; aiunt fœmellas naſci.

Varijs morbis affici matrix ſolet, quos recitare non eſt huius loci. Plato eam appellat animal, & quia ſua quadam naturali inclinatione, afficitur odoribus, & propter certos motus, qui tamen ei per accidens eueniunt, quia enim neruoſa ſubſtantia eſt, facile afficitur, & affecta cum dolore contrahitur.

Deſcripſe

Epilogus.

Descripsi utcunq; infimi uentris membra, quæ seruiunt nutricationi, & generationi, quæ etsi dignitate non sunt partes functionibus superioribus, tamen ad conseruandam naturam necessaria sunt, & si licet hac uti comparatione, sunt uelut œconomica uitæ pars, quæ uidelicet alit corpora, & procreat alia. Nunc ex hoc infimo gradu, educemus hominem ad præstãtiora, & uelut politica officia cordis uidelicet, & uicinorum membrorum.

Transitus.

Sed prius quàm hinc discedimus iterum monendus est Lector, ut cogitet, quãtam habeat utilitatem consideratio harum partium, primũ enim ualde conducit ad tuendam ualetudinem, intelligere singularum partium naturas, officia, pericula. Deinde liberalibus ingenijs iucundum est, uidere imagines plurimarum uirtutum, impressas ipsis membris hominum. Modus organorum hortatur ad temperãtiam, cum enim immodicè onerantur, non potest coctio perfici, & uitia primæ coctionis deinde non possunt corrigi in alijs coctionibus. Quare cibo immodico ingesto, cum fit malus chylus, etiam postea fit insuaue nutrimentum, & corpus uitiosis humoribus repletur. Membra quæ seruiunt generationi, quanta diligentia & arte munita sunt, quàm uarios habent anfractus, ac meatus, ut semen conserue-

Vtilitas huius doctrinæ

1

2

tur? Sumus enim conditi ad continentiam. Et semine tantum ad necessariam generationem homines usi essent, si natura non esset horribiliter debilitata, nunc debilitatam magis etiam corrumpũt libidines. Deinde formatio fœtus illustre exemplum est, quod monet, homines nasci ad conseruationem speciei. Et si tanta sedulitate munit, & alit fœtum natura in ipso aluo, magna rabies, & magnus furor est pugnãs cum natura, temere nocere hominibus, quos tanta diligentia architectatrix natura fouit, & prouexit. Huiusmodi multa animaduerti possent, si oculis puris ac philosophicis has ipsas partes aspiceremus. Postremo ars ipsa in tam mirabili opificio, testatur naturã non extitisse casu, sed aliquam mentem architectatricem esse, quæ fines omnes mirabili cõsilio prospexit. Sed iam ab hac parte, ut ita dicã, œconomica discedamus, quæ etsi suppeditat alijs cibũ, ut dictum est, tamen neq; ipsa posset esse efficax, nisi à corde uelut à rege, uires, hoc est calorẽ uitalem acciperet.

De Medio uentre.

Priusquam igitur de corde & uicinis partibus dicemus, monendus est lector de præcipua utilitate medij uentris, sic enim uocatur hæc pars, quæ continet cor, pulmonem, & organa respirationis ac uocis, & horum partes & tegumenta.

Est igitur

Est igitur hic medius uenter, officina caloris uitalis, estq; præcipuum eius opus, calorem uitalem gignere & conseruare, & in totum corpus diffundere, præterea aerem attrahere, & cordis refrigerandi, & formandæ uocis causa.

Ossa pectoris supra recensuimus, nunc igitur breuiter describemus primum panniculos, deinde cor & pulmonem.

Panniculi tres sunt, mediastinus, πλευρὰ, & διαφραγμα.

De Mediastino.

Mediastinus est, qui in cauitate diuidit pectus, secundũ longitudinem per medium, in dextrũ & sinistrũ, & duos efficit thoracis uẽtres, pulmonẽ etiam mediũ diuidit, ut gemina sit spirationis copia. Et cũ sit admodum firmus, alligat thoraci uenas, arterias, neruos, & œsophagũ & pulmonem. Est autẽ alligatus hic pãniculus anteriori parte, ad os pectoris sternon, posteriore parte alligatus est dorsi uertebris.

De Pleura, seu ut Galenus uocat, de Tunica cingente costas.

Secundus panniculus tegens thoracem intus totum, uulgo appellatur pleura, subtilis & neruosa substãtia, extẽsa ut introrsum uestiat costas, & musculos inter costas. Hoc loco existit morbus πλευρίτις

ώτις, uel cũ membrana ipſa, uel cum muſculi cum membrana inflammantur, cum uidelicet ebulliunt in ea loca humores, & putrefiunt ibi. Sequuntur autem febres uehementes, quia pars affecta non procul diſtat à corde, & colligata eſt cum diaphragmate, quod cum ſit uicinum, incaleſcit, & motu ſuo auget inflammationem.

3 De Diaphragmate.

Tertij panniculi & nomen & officia notiora ſunt, uidelicet διαφραγματος, quod eſt ſub pleura. Eſt autem diaphragma magis lacertus, quàm panniculus. Hoc eſt, eſt muſculus, ſubſtantia neruoſa & carnea, ueſtitus duabus membranis, conditus magnarum utilitatum cauſa, uidelicet ut moueat pulmonem, attrahendi & emittendi aeris cauſa. Secundo, ut ſit uelut interſtitium inter membra naturalia & ſpiritualia, & premat os uentriculi, ne aſcẽdant halitus poſt ſumptum cibum. Tertio, ut muniat, & tranſuehat cauam uenam. Quarto, ut ſuo motu inuet inteſtina ad expulſionem.

Amplitudo diaphragmatis, & figura decliuis, ex ſitu iudicari poſſunt, nã in parte anteriori aſcendit uſq; ad chartilaginem, quæ uocatur ξιφοειδὴς, ubi oßibus pectoris in imo alligatum eſt. Attingit enim pulmonem, ut eum moueat, inde deſcendit ambiens

biens imam partem thoracis, & dorso affigitur circa duodecimum spondylum supra lumbos. In dextra parte perforatum est à caua uena, quæ ab hepate per diaphragma ascendit ad cor, ut suo loco dictum est, in sinistra parte perforatum ab œsophago demisso ad uĕtriculum, item à ramis arteriæ aortæ.

Mirum est, quod narrat Plinius, Gladiatores diaphragmate uulnerato, mortuos esse risu. Ideoq; diaphragma sedem arbitratur esse risus, quia enim multum habet neruorum, titillatio ciet ibi sensum acriorem. Est enim risus, dilatatio quædam orta ex acriore sensu.

De appellationibus, non dubium est ueterem & propriam appellationem diaphragmatis esse, φρένας, sic enim loquuntur Hippocrates, Plato, Aristoteles & Galenus. Etsi autem in re non ambigua nihil opus est testimonijs, tamen adscribam uerba Platonis, qui inquit, Perinde ut in ædificijs fuerunt interstitio distinctæ habitationes uirorum & mulierum, ita τὰς φρένας esse διαφραγμα inter partem præstãtiorem, seu magis uirilem, ac alteram inferiorem, quæ est tanquam culina. Et Aristoteles imitatus Platonem, in tertio de Partibus animãtium inquit, Vt principium animæ sentientis non lædere tur à uĕtriculi halitibus, additum esse interstitium,

seu

ſeu ſepem, οἷον παρεισοδύσεως καὶ φραγμοῦ, τὰς φρένας. Interdum & generalibus nominibus hoc ſeptum effert, uocat διάζωμα, qua uoce etiam aliàs utitur in genere pro interſtitio.

Odioſum eſt immorari uocabulis, ideo non ſum in his deſcriptionibus prolixus, & tamen de uarietate monendi ſunt rudes, quia appellationum confuſio ſæpe offundit nebulas tyronibus. Et recte enarratis uocabulis, facilius poſſumus res meminiſſe, quaſi proprijs notis inſignitas. Poetæ ut cæteris uocabulis ſæpe abutuntur, ita uariè utuntur nomine φρενῶν. Sed tamen apud Homerum Odyſſeæ nono, φρένες propriè ſignificant diaphragma: ὀτρύνειν πρὸς σῆθος, ὅθι φρένες ἦπαρ ἔχουσιν: ideſt uulnerare in eo loco pectoris, ubi hepar annexum eſt phrenibus, uidelicet ubi caua uena per phrenas penetrat in thoracem. Plinius haud dubiè uocauit Præcordia, quod diaphragma dicimus, & alij ſeptum tranſuerſum.

Præcordia

4. Capſula cordis,
περικάρδιον χιτών.

Nunc igitur de corde dicendum eſt, ſed prius proximum domicilium deſcribemus. Ambit enim cor ſimili figura panniculus, qui uocatur Capſula cordis, Galenus appellat περικάρδιον χιτῶνα, & domum

& Domum cordis. Est autem substantia neruosa, ita crassa & firma, ut osse mollior sit, & tamen muniat cor, estq; alligata pleuræ, & mediastino, & diaphragmati per suas pelliculas, alligatur & cordi per pelliculas. Continet aquosum humorem non sanè multum, sed tamen perpetuum, ut eo ceu rore rigetur cor, ne forti calore exiccetur. Cumq; hic ros arescit, ut fit in marasmo, aut ijs, qui laborant magnis animi doloribus, extinguitur homo. Rursus etiam fiunt tremores & suffocatio spirituum, si redundet hic humor.

Est & pinguedo quædam circa cor, quàm in macilentis aiunt exiguam esse, multam uerò in pinguibus, quam addidit Natura, ut prohibeat, ne cor cum assiduè moueatur, exiccetur.

Cor, καρδία.

Vt Sol in mundo eius caloris autor est, quo terra fit fœcunda, ita cor in humano corpore, fons est uitalis caloris. Vt igitur dignitas cordis considerari possit, primùm officia atque utilitates in genere recitemus, nam postea magis intelligentur, inspectis partibus. Sunt autem in genere hæc officia, sanguinem crassiorem ex hepate attractum purgare & calefacere, & ex aliqua parte spiritus uitales gignere, & reliquam partem calefactam transmittere ad totum

totum corpus alendum: nisi enim sanguis uitali calore accenderetur, & à spiritu foueretur, nulla fieret transmutatio, ac nutritio. Ideoq; cor dicitur esse organum omniũ uirtutum. Nam & ad transmutationes, & ad actiones opus est spiritu uitali, quem cor generat, & spargit in totum corpus. Itaq; quàm necessarium sit hoc membrorũ, ex hac functione æstimari potest. Extincto enim calore uitali, et extinctis spiritibus, omnes actiones simul moriũtur, & declarat experientia, læso corde statim extingui animal.

Quanquam autem plura officia postea in enumeratione partiũ recitabuntur, tamen hic etiam initio dicendum est, quod sedes est, & uerum organum affectuũ, eamq; ob causam mirifici motus, & uilli multiplices, qui sunt instrumenta motuum illorum in corde, cõditi sunt. Hæc res præcipuè digna est admiratione, quòd tanta affectuum uarietate cietur cor, quod omnes res lætæ & tristes statim corda feriunt, & mouent. Quæ nam hæc tanta est motuum in corde uarietas? Instrumenta motuum comparent, sed mirum est in uillis hanc tantam uim esse, mirum est rebus sensu perceptis, ac uelut nũciatis, statim cor affici ac cieri. Itaq; cor aptè comparant regi, propter utrunq; officium, & quia spiritus uitales gignit, quo omnium potentiarum actiones conseruantur,

ſeruantur, quam ob cauſam uitæ dominus eſt, & quia affectuum omnium, lætitiæ, triſtitiæ, ſpei, timoris, amoris, odij, iræ, miſericordiæ ſedes eſt. Vt rex, modo uere ſit talis, præcipue afficitur bonis & malis rebus uniuerſæ reipublicæ, ita cum cor præcipue ſentiat hos motus, iure rex dici poteſt. Præterea cum uita extinctis his motibus nulla ſit, ea parte præcipue uiuimus, quæ hos motus ſentit.

Dixi breuiter de officijs, nunc de ſubſtantia. Subſtantia autem cordis, eſt caro ſpiſſa bene compacta, conſtans ex multiplicibus uillis, quibus aſſidue mouetur cor.

Sunt enim motus cordis, quos ſua natura ciet, ſeu qui uocari poſſunt ἐνέργειαι, pulſus & affectus. Nam tremor non eſt ἐνέργεια, & prorſus aliunde oritur, etſi ad uehemẽtem affectum ſeu motum accedit tremor. Fuit autem opus pulſu, ut attraheretur aer refrigerationis cauſa, ut motu & calore gignerentur ſpiritus, item ut motu ſanguis & ſpiritus emitterentur in uniuerſum corpus. Et ut illorum uſus agnoſci poßit, docet Galenus in pulſu fieri diaſtolen & ſyſtolen, dilatatis ſeu laxatis, & rurſus contractis uentriculis cordis. Etſi autem magna & admiranda uarietas eſt motuum in pulſu, qui ſic uocatur, tamen uarietas motuum in affectibus ma-

ior est, magisq; digna admiratione. In quibus uidelicet cor dilatatum aut contractum, ciet uarios humores in corpore, in ira flauam bilem, in lætitia sanguinem spargit ad exteriora, in metu reuocat, in mœstitia ciet atram bilem. Quis perspicit causas tantæ uarietatis? A corde quidem ipsos motus oriri constat, cuius necesse est mirificam esse uim & naturam, quare & delectetur, & doleat, & impellatur tam uarijs affectibus, & suo motu, non secus atque equi currum trahunt, in alijs affectibus alios humores moueat. Sed de affectuum causis infrà dicendum erit, cum potentiam appetitiuam describemus. Nunc breuiter hæc attigi, ut quem ad usum uilli in corde conditi sint, intelligatur, & motuum diuersitas & dissimilitudo consideretur, & doceamus cor sedem esse affectuum, qui propriè sic uocantur. Ideoq; & Sacræ literæ, cordis appellatione utuntur pro ea parte animæ, unde existunt ueri affectus. Lepus, ceruus, asinus cor habent maius, ideo Aristoteles ait timidiora esse, quibus sit magnum cor. Sed id debet intelligi de corde magno non ualde spissо, parum calido, non gignente multum spirituum. Nam quibus magnum cor est & spissum, calidum & gignens multos spiritus, præstant robore & audacia. Aristomenis Messenij fortitudo ualde laudata est,

qui

qui trecentos Lacedæmonios interfecit, huic compertum est fuisse cor hirsutum, qua ex re iudicari potest fuisse & magnum & spissum cor, & admodum calidum. Et Aristoteles monet, hebetiores esse illos, quibus caro cordis est durior: econtra eos, quibus est mollior caro cordis, habere sensus acriores, credo quòd gignant subtiliores spiritus. Nescio an huc pertineat, quod Plato ait de stolido, habere eũ seruiles pilos animæ, hoc est cordis, siue ad illos cordis alludens parum subtiles, siue ad hoc, quod (ut dixi) hirsutum cor alicubi repertum est.

Situs cordis secundum omnes dimensiones exquisitè in medio pectoris est. Sed addunt recentiores, mucronem cordis nõnihil erigi uersus sinistram papillam, fortasse ut sinistro lateri aliquanto plus caloris suppeditet, nam in dextro latere, calor adiuuatur caliditate hepatis.

Cor habet figuram coni, sed basis est gibba & amplior, ut sit apta thalamis seu uentriculis, quibus opus habet. Pulmo enim circundat dextram & sinistram cordis partem, sed anteriorẽ non tegit. Nunc partes inspiciamus.

Ventriculi, seu sinus, seu thalami cordis duo sunt, dexter & sinister. Inter hos est uelut interstitium, quod distinguit uentriculos, suntq; in medio

quædam orificia, seu porositates, has uocant aliqui medium uẽtrem, cum non sit una quædam cauitas, sed diuersi, plures, angusti pori, qui uix conspiciuntur, sed in magnorum animantium, ut boum cordibus, magis cerni possunt.

Dextri uentriculi utilitas hæc est, caua uena in eum inseritur, quæ aduehit ab hepate sanguinem, qui influit in dextrum uentriculum cordis. Hic sanguis distribuitur in treis partes, parte aliqua subtiliore & biliosa nutritur pulmo. Alia pars transmittitur per poros illos in sinistrum uẽtriculum, ubi uertitur in spiritum. Tertia pars amplissima, uelut Euripus, ex dextro sinu in medias illas cauernas fluit, et inde refluit, ut uitalem calorem imbibat, inde per ramos ortos à caua uena, emittitur ad nutriendum totum corpus. Vide, quanta sit dignitas huius uentriculi, cum & sanguinem, qui iam uitalem calorem habet, & nutritioni aptus est, suppeditet uniuerso corpori. Et tamen restant functiones sinistri uentriculi nobiliores, sed prius pertexamus dextri thalami ædificium.

Duæ uenæ sunt infixæ dextro uentriculo, caua scilicet, quam toties iam dixi canalem esse sanguinis ab hepate transmissi. Prius quàm autem caua uena inseritur in illum cordis thalamum, scinduntur ab ea

ea exiles rami, amplectentes externam superficiem cordis, qui & ipsi sanguinem impertiunt cordi. Et eo loco, quo inseritur caua uena dextro uentriculo, iuxta auriculam (ut uocatur) oritur à caua ramus, qui ascendit ad iugulum, & ueluti stipes est ascendentium uenarũ, quæ partibus supra thoracem aduehunt sanguinem, quo nutriantur. Atq; hactenus de caua uena dixi.

Altera uena infixa dextro uentriculo, ex ipso corde oritur, dissimilis aliarum uenarum, ideoq; appellatur uena arteriosa, recentiores quietam & non pulsantem nuncuparunt. Ideo autem uocatur arteriosa, quia tunicas habet similes arterijs, uidelicet crassiores. Nam reliquæ uenæ, quæ uehunt sanguinem nutrientem, constant tunica non plus una, quia enim sanguis est crassus, uasa ut facilius distribuant, sunt tenuiora. Arterias oportuit fabricari firmiores, ne spiritus, qui subtilis est, statim exhalaret, ideo sexies crassiores sunt, quàm uenæ: ita differũt uenæ & arteriæ aliàs in corpore. Sed uena arteriosa, de qua dixi, imitatur arterias, inde habet appellationem, cũ enim condita sit ad alendum pulmonem, debuit esse firmior, quia bilioſum, subtilem & facile exhalaturum sanguinem uehit. Ne igitur subitò exhalet sanguis, oportuit canalem munitiorem esse.

fuit etiam ideo opus firmiore tunica, ne rumpatur assiduo motu pulmonis. Hæc in dextro uentriculo, sunt conspectiora opera.

Iam contemplemur sinistrum uentriculum, qui regnum tenet, & uelut arx est uitæ. Vt enim flamma in lychnis rapit oleum, ita hic sinister uentriculus ex dextro, & medijs cauernis rapit sanguinem, quem trãsmutat, & gignit ex eo spiritus uitales ceu flammam. Vt in lychno flamma uerè est ardens fumus, ita spiritus sunt fumi sanguinis ardentes, et ualde calentes, ut uerè flammas dicere possis. Hos spiritus gignit, & cõtinet sinister uentriculus, ideoq; calore uincit dextrum. Consideremus & reliquũ ædificium sinistri uẽtriculi. Sunt & huic infixi duo canales, alter grandiusculus, arteria uidelicet, quæ uocatur aorta, quæ omnium arteriarum in toto corpore stipes est. Vt enim uenæ, quæ sanguinem nutrientem uehunt, oriuntur ab hepate: ita arteriæ, quæ uehunt spiritum uitalem, oriuntur à corde. Et si autem existimo arterias dici ab ἀερτάω, quod firmiuscule compactæ sint, aut ut sustẽdant secum uenas, nam adiunctæ uenis sparguntur in totum corpus: tamen non omittẽdum duxi, quod quidam scribunt, dictas esse ab ἀὴρ, & τηρῶ, quasi custodes spiritus.

Aorta uaginam significat, inde translata est appellatio

pellatio ad hunc arteriarũ truncum, propterea quod ſit uas aliquanto firmius & denſius, quàm uenæ, & (ut ita dicam) uaginæ ſimile, Galenus ait Ariſtotelem huius appellationis autorem eſſe. Aorta paulum extra cor porrecta, ſcinditur in duos magnos ramos, quorum alter aſcendit, ut ſpiritum uitalem ſuperioribus partibus corporis aduehat, alter deſcendit paulo grandior. Occurrunt autem ramis uenæ cauæ, cum quibus ſimul per corpus ſparguntur, raro enim ſunt arteriæ ſolæ, non adiunctæ uenis. Iucundum eſt autem, conſiderare conſenſum uenarum & arteriarum, & mutua officia. Nam arteriæ uenis adiunctis, per anguſtiſſimos poros ac meatus impertiunt ſpiritũ, qui calore uitali ſanguinem excuſcitat, percoquit, ac conſeruat. Rurſus autem arteriæ hauriunt aliquantulum ſanguinis ex uenis, quo uehitur, rigatur, & augetur ſpiritus. Ideo inquit Galenus, σωαναστόμωνται μὲν καὶ ἀρτηρίαι ταῖς φλεψὶ, καὶ ὅλον τὸ σῶμα, & cætera. Illuſtre autem exemplum nobis in hac imagine propoſitum eſt mutuæ communicationis, ſine qua conſeruari Natura non poteſt.

Eſt autem ſub iugulo circa pulmonem glandulоſa caro, ſubſtrata aſcendentibus uenis & arterijs, quæ caro uocatur θυμός. Ideo annotaui, ut

cui parti propriè tributa sit appellatio θυμὸς, obseruetur. Et haud scio, an ita uocetur, quia in iratis incensi spiritus ibi ascendunt, & inflammant pulmonem & caput, rubescunt enim oculi, & tota facies iratis. Ideo inquit Hippocrates, Iracundia calidum attrahi ad cor, pulmonem & caput, lætitia uerò cor liberari.

De Arteria uenosa.

Dixi de origine aortæ, nunc de altero canale dicendum est, qui oritur ex sinistro uentriculo cordis. Hic canalis uocatur Arteria uenosa, & porrigitur in pulmonem. Differt autem non solum figura, sed etiam usu à uena arteriali, quæ è dextro uentriculo porrigitur in pulmonem. Nam ex dextro uentriculo sanguis in pulmonẽ emittitur, nutriendi eius causa. Sed hic canalis sinistri uentriculi, ex pulmone affert aerem refrigerandi cordis causa. Affert enim trachea aerem in pulmonem. Spargit autem arteria uenalis ramos in pulmonem, iunctos tracheæ, & angustis orificijs excipientes aerem, ut ad cor transmittant. Rursus à corde euehit hæc arteria fumos & aerem nimis calidum, etsi unà aduehit pulmoni spiritus & arterialem sanguinem ad calefaciendum pulmonem. Ad hunc usum & figura accommodata est, non enim perinde densa est, ut cæ-

teræ arteriæ, ſed conſtat una tunica, ut facile dilatari & conſtringi poſsit, ad exhalandum & recipiẽdum aerem, præterea ut facile exudet ſanguinem halituoſum, ne ue duricie impediat motum pulmonis. Ideoq; dicta eſt Arteria uenoſa, eſt enim condita præcipuè aeris & ſpiritus uehendi cauſa, & tamen figura imitatur gracilitatem uenarum.

Deſcripſi uentriculos cordis & canales eis infixos. Recenſentur hic à medicis & aliæ quædam, ſed admodum minutæ particulæ, quarum ſubobſcura eſt deſcriptio.

Habet enim cor duas auriculas, ideſt membranas neruoſas, quæ rugas ſeu ſinus habent, ſeruiunt autem duobus canalibus, ſcilicet uenæ cauæ, & arteriæ uenali, & uocantur promptuaria cordis. Nam eo loco ubi inſeritur caua uena cordi, addita eſt orificio auricula, hoc eſt membrana, quæ ſinus quoſdam, ſeu anfractus habet, his aſpergit caua uena aliquam partem ſanguinis, ut cum ſitit cor, nec ſubitò attrahere ex caua uena poteſt, hinc attrahat ex uicino. Tanta eſt enim ſitis cordis, ut uehementior tractus etiam rumperet cauam uenam, haurit igitur interim ex promptuario illo: nam hæc membrana facile diſtrahitur & contrahitur, ideo cor ex ea celerrimè rapit ſanguinem. Ita & iuxta arteriam ue-

nosam, addita est orificio auricula, quæ & aerem & superfluum spiritum cordis haurit, & reddit. Proinde auriculæ conditæ uidẽtur, ut suppetat copia tum sanguinis, tum spiritus.

Dixi de auriculis, reliqua sunt ostiola, quæ sic uocãtur, de his breuiter dicam. Ita enim exilia sunt, ut oculis etiam difficulter iudicari possint. Quatuor canales, quos recensui, uidelicet cana uena, uena arterialis in dextro uentriculo cordis, deinde in sinistro aorta, & arteria uenosa, quibusdam tenuissimis pelliculis clauduntur & aperiuntur, & quidem singulis propria sunt huiusmodi opercula. Galenus ait eas imitari figuram literæ Sigma, nũcupari etiam τριγλώχινας, quasi dicas sagittæ cuspidem, habentem tres pinnas, huius cuspidis figuram aliquo modo imitantur illæ pelliculæ. Neque uero recensuissem has minutas particulas, nisi usus magnitudo me mouisset. Non enim tantum ad claudendum aut aperiendum cõditæ sunt, ne nimium influat aut effluat, sed sunt organa attractionis: nam motu cordis tensæ, tendunt & ipsæ canalium tunicas, ut sanguinem aut spiritum, quem continent, pellant.

Recensui partes, quæ in descriptione cordis solent recenseri, & quidem aliquanto crassius eas descripsi, ut hæc commemoratio plus lucis haberet.

iuuabit

Iuuabit autem interdum aſpicere pecudum corda, in quibus cum partes illæ cernentur, poterimus earum imagines illuſtriores animo concipere. Cumq; opificij uarietatem contemplabimur, & animo cogitabimus, quàm uarij motus ſint huius membri, quàm miranda uis procreans ſpiritus, & uitalem calorem uniuerſo corpori impertiẽs: ſimul reputabimus hæc non extitiſſe caſu, ſed mirabili conſilio Dei opificis facta eſſe, qui huic membro quædam illuſtria ueſtigia impreſſit, in quibus uult agnoſci. Cor enim non ſolum uitæ fons eſt, ſed etiam, ut diximus, propria affectuum ſedes, hi motus teſtantur nos non eſſe ortos à natura non animata, & legitimi affectus teſtantur, quomodo Deus ſit affectus, quod ſit φιλόεργος & amans opificij ſui, quod amet uirtutem, quòd oderit uitia, ita deducit nos ad agnitionem Dei hæc humani cordis conſideratio.

Pulmo πνεύμων.

Quo conſilio natura circumdederit cordi pulmonem, officia eius declarant. Apte enim uocat pulmonem Plato ἅλμας μαλακήν molle uentilabrum cordis, & cum ſubſtantiam, tum officia breuiter ſignificauit. Eſt enim ſubſtantia pulmonis partim exrara, ſpongioſa, leui, aerea carne, ſimili coagulatæ ſpumæ ſanguinis, partim ex tribus fiſtulis, quæ uelut rete

ut rete contextæ, per totũ pulmonem ſparſæ ſunt. Nam trachea arteria, & duo canales, qui ex corde infigũtur in pulmonem, ſcilicet uena arterialis, quæ ex dextro uentriculo cordis affert nutrimentũ pulmoni, & arteria uenalis, quæ eſt aeris canalis, diuiduntur in exiles ramos, & contexti per totum pulmonem ſpargũtur. Nam per tracheam arteriam primum attrahitur aer, quem ex trachea poſtea haurit arteria uenalis, ut ad cor tranſmittat. Eſt igitur continuus pulmonis motus, dilatatur enim & rurſus cõſtringitur, ita haurit & emittit aerem, ut fiat anhelitus. Ac moueri pulmonem non per ſeſe, ſed motu thoracis à diaphragmate docet Galenus, mouetur etiam propter motum cordis.

Figura pulmonis imitatur ungulam bouis: eſt enim (ut ita dicam) fiſſa in duas partes, & lobos ſeu pinnas habet tres in dextro latere, duas in ſiniſtro.

Vtilitas eſt duplex pulmonis: nam & cordi & uoci formandæ ſeruit, & cordi duo beneficia præſtat, affert ei aerem qui mitiget calorem cordis & ſpiritũ, atq; hũc aerem præparat antea. Cor enim læderetur, ſi penetraret ad ipſum aut frigidior aer, aut nimis multus. Secũdum beneficium eſt, niſi cor poſſet exhalare fumoſum aerem, ſuffocaretur ipſa ui & copia ſpirituum, & fumoſi aeris. Ideo opus

fuit

fuit organis, per quæ commodè exhalarent illi fumi. Atq; ideo pulmo capax est multi aeris, ut pauliſper omiſſa ſpiratione, tamen cor accipiat & reddat aerem. At ſi deeſſet pulmo, breui interuallo omiſſa ſpiratione ſuffocarentur animantia.

Ex his iudicari poteſt, quare neceſſaria ſit ſpiratio, & pulmonem ſpirationis cauſa factum eſſe. Sed piſces non habent pulmonem, ideo nec ſpirare dicuntur. Attrahunt tamen, & emittunt aerem per branchias, cum quidem nec opus habeant multo aere, quia natura frigidiores ſunt.

Altera pulmonis utilitas, quòd aerem inflat in tracheam arteriam, uocis formandæ cauſa, ut enim in fiſtulis hoc modo fiunt ſoni, cum inſpiratum aerem lingua tanquam plectro percutimus, ita propemodum fit uox humana. Pulmo, ſeu uentriculus motus à diaphragmate, aerem reddit tracheæ, cum hunc in trachea uariãt circuli & Epiglottis fit uox. Ita in fiſtulis ars naturam imitata eſt, proinde piſces cum pulmone careant, muti ſunt.

Aſpera arteria, ſeu Vocalis arteria, τραχεῖα ἀρτηρία.

Fiſtula à faucibus ad pulmonem ducitur, quæ ad geminos uſus condita eſt, nam & ad ſpirationẽ, & ad uocem conducit. Aer enim ore & naribus exceptus,

exceptus, per hanc fistulam defertur in pulmonem, & inde rursus exhalant fumi cordis, ut dictum est. Cum igitur cordi opus esset hac fistula, aeris transmittendi causa, accessit & altera utilitas. Nam ne alio loco peculiaris fistula uocis causa fabricãda esset, hæc ita condita est, ut simul fieret organum uocis, præsertim cum & ad uocem efficiendam aere opus esset, quo hæc fistula abundat. Opus est & motu quo aer in fistulam impellitur, id quoq; motus diaphragmatis præstat, quo pulmo agitatur. Itaq; loci & partiũ opportunitas fuit in causa, ut hæc fistula fieret etiam uocis organum. Sed existimo etiam peculiari consilio additum esse cordi organum uocis, seu ut regi adest Orator, seu quia affectus & animi motus maxime declarantur uoce. & debebat oratio non temere in labris nasci, sed oriri ex corde, ac bene compositis motibus cordis. Mirum est autem opificium huius organi, cuius descriptio ac ueluti pictura, ut intelligi melius possit, primum uocabula explicabimus, nam hic magna cõfusio est appellationum.

Fistula à nodo gutturis in pulmonem porrecta, uocatur Trachea arteria propter asperitatem chartilaginum, quæ intus uelut annulis distinctæ sunt. Pars suprema tracheæ arteriæ, quæ prominet in collo, & uulgo nodus gutturis dicitur, Græce est λαρυγξ

ἀρύγξ. Deinde reliquum fistulæ usq; ad pulmonem, uocatur βρόγχος. Nam bronchum significat generaliter asperum & scabrum, sicut & Plinius inquit libro undecimo: Senectus in equis intelligitur dentium bronchitate. Constat autem fistula, de qua loquimur, asperis chartilaginibus. In suprema parte est lingua in fistula, quæ est proprium uocis organum, hæc uocatur & ὑπογλωττὶς & γλωττὶς à Galeno. Sed recentiores uocabulo Epiglottidis abusi sunt nõ pro hac lingula, sed pro tota larynge, hoc est, pro toto nodo gutturis. Galenus autẽ haud dubiè uocat ὑπογλωττίδια & γλωττίδια linguã fistulæ. Alia quædam est chartilago, quam recentiores non male uerterunt cymbalarem, hanc appellat Galenus ἀρυτανοειδῆ, ideſt similẽ cyatho. Nam Arytæna apud Athenæum significat cyathum.

Nunc figura describenda est, Arteria trachea, est ceu fistula & mucronis figura, descendit in pulmonem, quem ubi attigit, finditur in duos ramos, ab his deinceps in ipso pulmone oriuntur innumerabiles fibræ. Est autem composita trachea, partim ex chartilaginibus, partim ex membranis. Nam quum moueri tracheam oporteat, quum accipit aut emittit aerem, laxatur enim in expiratione, astringitur in inspiratione, fabricanda fuit ex mollibus

ligamen

ligamentis, seu mobilibus membranis. Rursus quia est organum uocis, admiscendæ fuerunt chartilagines, ex quibus annuli in trachea facti sunt, & iuncti propemodum, ut in cauda cancri iunguntur circuli, horum asperitas & uarietas ad uocem formandam necessaria fuit. Non enim fieri potest uox, nisi aer in aliquo repercutiatur. Neq; tamen sunt integri circuli, etenim ea parte, qua trachea attingit œsophagum, oportuit pharynga esse molliorem, ne deglutienti œsophago obstaret. Vestiunt autem tracheam panniculi, quorum is, qui intus tegit chartilagines, durior est, ut muniat eas, ne arrodantur ab acribus fumis & catarrhis.

Sed mira solertia fuit naturæ in fabricando initio tracheæ, quod Larynx à Galeno uocatur, componitur enim ex musculis, neruis, & chartilaginibus, & tegitur panniculis. Musculi & nerui cient chartilagines. Recẽsentur autem chartilagines tres, etsi singulæ ex pluribus compositæ sunt. Exterior & crassissima, uocatur scutalis, quæ munit initium tracheæ, estq; nodus ipse gutturis, qui eminet, & conspicitur in collo.

Altera chartilago est, quam Galenus uocat ὑπογλωττίδα & γλωττίδα. Est autem lingula similis linguis fistularum, alligata chartilagini scutali duobus

duobus musculis, quibus mouetur. Constat autem ex membrana & chartilaginibus, ut dilatari & constringi possit in modulatione diuersarũ uocum, constat & ex humida, pingui & uiscosa carne, ne assiduo motu arescat, sed habeat natiuam humiditatem, necessariam ad formandam uocem, sicut apparet in ardentibus febribus, difficulter loqui homines propter arefactam illam lingulam. Est autem duplex usus huius lingulæ, est principale uocis modulandæ instrumentum, & est operculum, quod claudit tracheam arteriam, ne in eam delabantur cibi aut potus. Ideoq; his, qui inter loquendum aut ridendum comedunt, quoniam tunc hiat ὑδρηγλωττὶς, sæpe aliquid in tracheam influit, unde suffocatio oriretur, nisi iterum reijceretur.

Tertia chartilago est inter os laryngis & ὑδρηγλωττίδα, cymbalaris dicta, quæ & ipsa habet geminã utilitatem. Conducit enim ad uocem formandam, quia astricta aperit os laryngis, & efficit ceu foramen fistulæ, percutiturq; ab epiglottide, ita & ipsa modulatur aerem. Et haud scio, an ideo cymbalaris dicta sit, quia uelut cymbalum percutitur. Galenus indidit ei nomen à figura cyathi ἀρυταινοειδὴς, quia ita inseritur laryngi, ut cauitas uelut cyathi foras spectet, excipiens ὑδρηγλωττίδα. Altera

utilitas est, ut epiglottis claudat os laryngis, ne quid inter edendũ influat. Ita cymbalaris claudit, ne quid in uomitu reijciatur in tracheam.

Hæc est chartilaginum descriptio iuxta Galeni sententiam, quem malui sequi, quia minus habet obscuritatis, ac uolens omitto recentiorum descriptiones, qui & appellationes ueteres confuderunt, & dum chartilagines nimis exiliter secant, & plures recensent, nonnihil offundunt caliginis.

Illud non est prætereundum, quod hoc loco reprehenditur error Platonis, qui ait tracheam arteriam potus canalem esse, & recta potum influere ad pulmonem. Aristoteles & Medici iuste reclamant, nam potus per œsophagum defluit in uentriculum, ubi coquendus est, ut in hepate uertatur in sanguinem, qui euehitur per cauam uenam ad cor, ut supra dictum est. Sed trachea arteria, tantum est meatus aeris. Plutarchus agitat hanc quæstionem, & citat multorum dicta, quæ uidentur suffragari Platoni. Alcæus inquit,

πέμπε τὼ πνεύμονας οἴνῳ,
τὸ γὰρ ἄστρον πορεύεται.

Humecta pulmones uino, Nam Sol circumuoluitur, idest, inclinat ad occasum. Hunc locum eo adscripsi, quia in Gellianis codicibus omnino depra-

uatus

uatus est. Sed Alcæus non ait potum per tracheam labi. Rigatur pulmo, cum ex corde alitur, nouo et mi nus feruido sanguine, & refrigeratur, cum frigidi halitus à potu, per totum corpus penetrant. Ita accipi potest & Euripidis, οἶνος πορεύσας πνευμόνων διαῤῥοάς, Vinum penetrans pulmonum meatus.

οἰσοφάγος, Meri, gula.

Et si suprà, cum de uentriculo diceremus, simul recitauimus œsophagi descriptionem & usum, tamen hic rursus breuiter eius facienda est mentio, ut clarius conspici possit dissimilitudo ipsius, & trachææ arteriæ. Est autem œsophagus canalis cibi & potus, constans ex panniculis & carne, uillos habens aptos attractioni & expulsioni. Itaque multis modis dissimiles sunt, œsophagus & trachea arteria: differunt enim substantia, usu, situ, & longitudine. Substantia trachææ est ex chartilaginibus, ut dictum est, ut sit firmior canalis, nec toto corpore coeat, sed maneat meatus aeris, seu spirationis. Oesophagus uerò est ex molliore substantia, & coit, atq; astringitur suis uillis, quum est inanis. Etsi enim superne amplior est canalis, tamen paulatim fit angustior, donec uentriculum attigit sub diaphragmate. Nam eo loco est os uentriculi, quod recepto cibo

prorſus clauditur, ut calor naturalis retineatur in uentriculo, coquendi chyli cauſa. Cum enim os illud, propter imbecillitatem, nõ probe clauditur, interturbatur coctio, exhalant crudi fumi ex uentriculo, qui nauſeam & multos morbos adferunt.

2 Vſu differunt, quia trachea arteria, eſt meatus aeris, ſed œſophagus cibi & potus, & quidem præparat hæc ad coctionem.

3 Situ differunt, quia trachea in anteriore colli parte poſita eſt, & quia propter aſperitatem magis munita eſt, & ut rectà tẽderet ad os, ad aerem continuò hauriendum. Oeſophagus autem eſt in poſteriore parte colli, magisq; latet, ut plus contineat caloris, deſcendens autem nonnihil flectit ſe ad dextram, ut cedat locũ aortæ, cum ferè acceſſit ad diaphragma, reflectitur ad ſiniſtrum, ut cedat locum uenæ cauæ. Ita uelut ſeruus officioſe cedit præſtantioribus membris, ſed anfractus illi proſunt ad fulciendum membrum, ad excipiendos neruos, item ne impediatur deglutiens.

4 Longitudine differunt, trachea enim multo eſt breuior quàm œſophagus. Nam trachea ſub furculis inſeritur pulmoni, ſed œſophagus multo longior eſt, nam à collo peruenit uſque ad decimumtertium ſpondylum, ubi ſub diaphragmate attingit uentriculum.

culum. Nam & diaphragma coarctat œsophagum, ut melius claudatur os uentriculi. Est autem œsophagus, continuum corpus uentriculo, id quod oculis etiam iudicari potest: de appellationibus suprà dictum est.

Lingua, γλῶττα.

Ante laryngem positum est os bifurcatum, quod & munit chartilagines laryngis, & basis est, cui alligata est lingua per plurimos musculos. Galenus uocat ὑοειδὲς à figura literæ υ, alij nominant λαβδοειδὲς, nam & λ duos habet ramos. Si enim uni tantùm ramo alligata esset lingua, moueretur inæqualiter, traheretur q; tota ad unum latus. Vt igitur æqualiter agitetur lingua, duo eam rami sustentant, supra quos libratur, ceu machinæ fulcris impositæ. Est autem lingua, caro musculosa, sed mollis, rara, fungosa, plena neruorum, arteriarum & uenarum. Abundat neruis propter multiplices & uarios motus, ac propter duos sensus, gustum & tactum. Et quanquam ijdem nerui, utrunq; sensum impertiunt, gustum & tactum, tamen ab his distincti sunt nerui, qui motum impertiunt. Ideoq; percussi in cervice, interdum fiunt muti, etiamsi non amittunt gustum, læsa uidelicet neruorum origine, qui motum præbent. Arterijs autem abundat, quia opus est lin-

guæ multo ſpiritu & calore, propter tantam motus uarietatem, itaq; etiam uenis abundat, ne deſit ei nutrimentum. Addita eſt & humiditas, ne areſcat lingua aſſiduitate motus, atq; hic apparet ſaliuam etiam afferre aliquid utilitatis. Etſi enim ſaliua, eſt excrementum phlegmatis, deſtillãs uel ex cerebro in fauces, uel ex uentriculo exæſtuans, tamen ad hoc conducit, ut linguam humectet. Itaq; & foramina condita ſunt in oſſe baſilari, quod inter palatum eſt & nares, tum hauriendi aeris cauſa, tum ut per ea deſtillet ſaliua, atque inde uocant hæc foramina, colatorium. Etſi autem ex his quæ dixi, apparet diligenter proſpectum eſſe linguæ, propter motus uarietatem, tamen opificis ſolertia multo magis intelligeretur, ſi muſculi omnes conſpicerentur, quibus lingua mouetur, & trahitur, propemodum ut baliſtæ rudentibus tenduntur.

Vtilitas autem linguæ triplex eſt: formet ſermonem, hoc eſt articulatã uocem. nam in larynge uox, non ſermo formatur. Lingua eſt ſermonis organum, ſecundo eſt organum ſenſus, tertio conducit ad cibum maſticandum & tranſmittendum in œſophagum. Obiter autem hic ſciendum eſt, etiam palatum pertinere ad organum guſtus, nam id quoq; percipit ſapores: eſt enim tectum pãniculo, in quo ſunt nerui aliqui,

aliqui, qui præbent gustum & tactum. Sed illa est summa linguæ dignitas, quam pro magnitudine utilitatis nemo satis prædicare potest, quod uidelicet sermonis & eloquentiæ opifex est. Etsi mens, quæ intelligit, ac iudicat, longe antecellit cæteras partes hominis, tamen mens parum prodesset, nisi interpretem linguam haberet. Hæc igitur administrat id, quod est homini maxime proprium, & in hac societate humana pulcherrimum, uidelicet docere alios de Deo, deq; alijs rebus bonis & honestis. Hæc conciliauit homines, & ad societatem cœtusq; traduxit. Hac teneri & rudes animi puerorum, ad intellectum uirtutis ac communium officiorum, à parentibus instituuntur, atq; inuitantur. Hæc coegit homines in ciuitates, easq; in pace regit. Hæc religiones, leges, iudicia, fœdera gubernat. Hæc cõsilium in rebus dubijs explicat, moderatur omnes affectus, auocat animos à mœsticia, incẽdit, & mitigat odia atq; iram, terret securos, perterrefactos consolatur. Sed omitto hanc commemorationem, non enim possumus hanc tantam uarietatem complecti. Illud est hominis philosophi intelligere, quod ad hunc usum præcipue lingua sit, ut eius officio Deus innotescat. Deinde ut alios in cæteris negocijs communicatione sermonis iuuemus, ad hos usus linguam

conferamus. Nullũ est enim telum nocentius, quàm lingua, si ad nocendum conferatur. Præterea consideremus, quantum sit miraculum, quòd linguæ motu ceu plectro, dissimilia & articulata uerba efficiuntur, quæ sunt notæ picturæq; rerum, & animi cogitationum. Neq; enim satis intelligi potest, quare articulata uox hoc motu fiat, nisi quia naturam hominis Deus ita condidit.

De Supremo uentre.

Caput, κεφαλή.

Suprà monui uelut ad sacrum, religiosè ad inspiciẽdum mirabile opificium humani corporis accedendum esse: est enim clarissimum testimonium, hanc naturam ab æterna aliqua mente conditã esse. Ideo ad insspectionem capitis & cerebri religiosissimè accedendum, nam in hac parte sunt expressissima uestigia Diuinitatis, cognitio uidelicet, cogitatio seu ratiocinatio, & memoria. Hæc non potuerunt casu existere, aut à bruta aliqua natura oriri, in his actionibus lucet quædam imago Diuinitatis. Itaque uidebar auspicacius exordiri descriptionem capitis, si prius admonerem Lectorem, ut in his partibus considerandis, mente etiam intueatur Deum opificem atque architectum.

De situ capitis non dicam multa, satis enim intelligi

telligi potest, hunc positum & ad speciem pulcherrimum, & ad utilitatem accommodatissimum esse.

Figuram capitis optimam scribit esse Galenus, si imitetur sphæram exactè rotundam, sed quæ paulatim utrinq; comprimitur, & fit arctior. Ac laudat magnum caput pro proportione, & ut ipse ait, εὐεγκεφάλου. Quod eo recitauimus, quia Homerus in ui superatione Thersitis, etiam hanc notam peruersi ingenij posuit, quod habuerit acuminatum caput, φοξὸς ἐλὼ κεφαλώ. Et Hippocrates iubet aspicere, an sit acuminatum caput. Nam mala capitis figura, significat uitiosum cerebri temperamentum. Vt minus caput iusto, significat cerebrum modicum et nimis siccum, ut sunt Aethiopum, quia in calidissimis locis degunt, ideoq; gentes illæ sunt hebetiores. Ita caput exile, acuminatum, significat aut coactum cerebrum in angustias, aut certè confusionem medij uentriculi cerebri. Porrò medij uentriculi confusio, propriè nocet ratiocinationi, ut postea dicemus, cum erunt discernendi uentriculi cerebri, & singulis propriæ actiones tribuendæ. Significat igitur Homerus, Thersiten natura habuisse perturbatas & confusaneas ratiocinationes, hoc est, quod nos dicimus, habuisse corruptum iudicium, nec potuisse rectè ratiocinari, quid maximè deceret, aut

conueniret uiro uersanti in Republica, quæ incommoda essent reprehendenda, quæ dissimulanda.

Vtilitas capitis est, continere cerebrum & sensuũ organa, quæ sunt partes gubernatrices uitæ, ad cognitionẽ destinatæ, quæ est præstantissima actio.

Recitabo autem initio partes, quarum aliæ uestiunt caput, aliæ continẽtur in capite. Nam cum in summa proposuerimus, quæ opera contineat caput, facilius erit meminisse singula, & totum opificium in conspectu positum, plus habet admirationis. Ordiemur itaque à pilis, etsi hi sunt superfluitas quædam. Sub pilis est cutis aliquantulum crassa & carnea, ut pili in ea radices agere possint. Sub cute parum carnis est, circa frontem & tempora. Deinde est panniculus circundans totum os capitis, qui uocatur περικράνιον, ortus à neruis & ligamentis per suturas prodeuntibus à dura matre, ut uocatur, conditus magnarum utilitatum causa, primum, ut alliget cranio duram matrem, deinde, ut uenas & arterias excipiat, ac sustentet. Quæ sparsæ per extrema colli ascendunt, ut ad caput perueniant, & ingressæ per suturas nutriant, & foueant cerebrum. Præbet hic panniculus etiam sensum cranio.

Sub hoc panniculo est totum os, tegens caput, quod Græcè ἐγκέφαλος uocatur, à galeæ figura, munit

nit enim, & continet cerebrum, Latini Caluariam & Testam appellant. Quia autem oportuit esse meatus certarum utilitatũ causa, ideo hæc testa non est unum cõtinuum os, sed septem ossa coniuncta sunt futuris, quæ præbent meatus, ut postea dicam. Sub cranio proximè est dura mater, quæ est panniculus satis crassus, ideoq; uocatur à Galeno Crassa meninx, sustentans uenas, quæ nutriũt cerebrum. Deinde sequitur pia mater, quæ est tenuis membrana, immediatè continens & cingens cerebrum, Galenus uocat subtilem μήνιγγα. Deinde cerebrum, in quo sunt quædã amplæ cauitates, quæ uocantur uentriculi, distinctæ interuallis, sub quibus sunt nates binæ, uermes duo, conus unus. Et propemodum sub tota basi cerebri est rete mirabile, quod Galenus uocat δικτυοειδές. Deinde infusorium, in quod à cerebro uelut in peluim deriuatur superfluitas, quæ partim sputo, partim per nares excernitur. Præterea oriuntur à cerebro nerui, qui sunt instrumenta sensuum. Deinde contẽplandi erunt oculi, aures, nares.

Dura Mater.

Veteres Græci generaliter dixerunt Meningas pro crustis, seu membranis circũdantibus aliud corpus, postea hæsit appellatio in his membranis tantum, quæ ambiunt cerebrũ, id de nomine admonet

net Galenus Libro nono Anatomicôn. Est autem crassa meninx, seu (ut nunc uocãt) dura mater, paniculus nerueus, crassus & firmus, sed tamen porosus, cranio proximus, ambiens totã cerebri molem, ita ut etiam ipsum cerebrũ, à fronte ad postremam partem, quæ uocatur cerebellum, diuidat secundum longitudinem (ut sic dicam) efficiatq; interstitium, ut etiam in pecudum capitibus cerni potest. Deinde cum cerebellum, quod uocatur παρεγκεφαλὶς, quod in postrema parte capitis situm est, magna ex parte seiũctum sit ab altera mole cerebri, hic quoq; dura mater facit interstitium inter utranq; molem, secundum latitudinem.

Vtilitas huius membranæ, est munire cerebrum aliquanto molliore tegmine, quàm erat cranium, ne impingens in motu uehementiore in cranium, lædetur. Est & altera utilitas, sustentare uenas, quæ nutriunt cerebrum & uicinas partes.

Pia Mater.

Deinde proximè circũdat cerebrum alia quasi fasciola, quæ uocatur tenuis membrana. Est autem subtilis pãniculus, nerueus, proximus cerebro, non modò ipsam ambiens molem, sed etiã penetrans intra uarias plicaturas, quæ conspiciũtur in cerebro, & latera uestiens in amplioribus cauitatibus, quas cauitates

cauitates dixi uocari uentriculos. Et quia proximè ambit cerebrum, & tanquam fouet, ut fœtus in utero à chorio fouetur, Galenus hanc membranam uocat χοριοειδῆ.

Vtilitates sunt, prima, ut tanquam mollis fasciola, uestiat cerebrum, ne diffluat. Secunda, uenas & arterias non solum colligit, ac sustentat, sed etiam transuehit, tanquam subtilissimos canales in ipsum cerebrum, ut uenæ nutriant ipsum, arteriæ uerò adferant calorem & spiritum. Tertia, cum cerebrum per sese non sentiat, hæc fasciola, quia est neruea, impertit cerebro sensum.

Cerebrum.

Tandem uelut in intimum templi sacrarium ingredimur, quod cum considero, rursus ingenti admiratione adficior. Constat hanc esse sedem cogitationum, quæ quomodo fiũt? Aut quid est omnino hæc moles, nisi ualde imbecille coagulum, quod è spermate efferbuit? Deinde cũ in hac mole, tot sint amplæ cauitates, quasi domicilia, cur non collabitur hæc humida & liquida massa, quænam habet fulcra? In ædificijs uidemus testudines impositas esse certis fulcris, at cerebrum, quibus fulcris nititur, ne domicilia caua obruantur, illa tam liquida massa fluitante supra has cauitates?

Sed

Sed mihi hæc cogitanti uidetur cerebrum quandam habere cœli similitudinem. Vt cœlum, quamuis est quædã seu ætherea seu aerea natura, tamen non collabitur, non excutitur ex suo loco, ita consistit cerebrum sua quadam natura diuinitus, nec obruuntur uentriculi, nisi letalis uiolentia accesserit. Vetus dictum est, hominem tanquam paruum mundum esse, quare cognatio etiam sit alicuius partis in homine, cum cœlo. Ac profectò spirituum fulgor, qui à cerebro ad oculos perueniunt, testatur cerebrum aliquam cum cœlo cognationem habere. Nam spiritum illum esse, ceu flammulas quasdam, & lucidos halitus, ceu radios, seu ut Galenus loquitur αὐγοειδεῖς, constat. Et horum similes sunt aliquo modo cæteri spiritus, qui in cerebro quasi cœlestem & ætheream naturam accipiunt.

Quidquid est igitur cerebrum, etsi est ex semine ortum, ut suprà in formatione fœtus dixi, tamen cœleste quiddam est. Imò & seminis natura eo magis admiranda est, quod ipsum quoque aliquam cum illa præstanti Natura cœlesti habet cognationem. Deplorandaq; est humana infirmitas, quæ non intelligens opus diuinum, non satis reuerenter eo utitur. Iam ut magna uis ac moles halituum perpetuò petit cœlum, ita & cerebrũ cum sit tanquam spongiosum

gioſum corpus, plenum eſt ſpirituum, hæc etiam videtur cauſa eſſe, cur ita conſiſtat. Sed deſcribemus quaſdam huius admirandi opificij partes, nam ſubſtantiam ipſam & actiones magis admirari homines, quàm deſcribere poſſunt. Cõſtat oriri ſubſtantiam, ex parte ſeminis optima, & plena ſpiritus.

Diſcerni autem debet cerebrum, quod eſt in priore parte capitis, ab altero, quod eſt in poſtrema parte, quod uocatur uulgò cerebellum, Græcè παρεγκεφαλὶς, etſi ſubſtantia ſimilis eſt, & ima parte continua, ac tanquam riuus anterioris molis cerebri. Tantum durior eſt παρεγκεφαλὶς, quia ab ea ſpina dorſi, & nerui duriores oriuntur. Dixi autem ſuprà, interſtitium etiam eſſe inter cerebrum et παρεγκεφαλίδα, quod ut eſſet firmius, etiam à dura matre factum eſt.

Ventriculi cerebri.

Cum uentriculi cerebri nominantur, amplæ cauitates intelligendæ ſunt in cerebro, quarum præcipua in eo opificio dignitas eſt, ſunt enim uera organa ſenſuum interiorum. Numerantur uſitatè tres uentriculi, & nos uulgatam diſtributionem ſequemur, nam res tamen rectè deſcribi poterit.

Primus uentriculus.

Anterior pars cerebri habet duas amplas & longas

longas cauitates, figura Lunæ recens prodeuntis, amplitudine oui pene ad aures usq; porrectas. Hæ cauitates tametsi duæ sunt, tamen usitate dicuntur simul, primus uentriculus. Est autem altera cauitas in dextra parte, altera in sinistra, utriusq; parietes uestiti sunt pia matre, in qua hærentes uenæ & arteriæ, lambunt cerebrum, hæ cauitates plenæ sunt spirituum. Cum enim arteriæ aduexerunt spiritum uitalem à corde, is in uentriculis cerebri fit lucidior, & ex igneo cœlestis, ut cieat actiones interiorum sensuum. Vt enim & uentriculorum & spirituum usus agnosci possit, de actionibus interiorum sensuum dici necesse est.

Etsi autem hæc arcana opera, non satis clare cerni possunt, tamen cum in alijs leuioribus naturæ partibus multa deprehensa sint diligentia, aut certe coniecturæ probabiles collectæ, miror, ne quæri quidem à doctis, quo fiant modo hæ actiones: tantum rixantur de numero uentriculorum, deinde obiter dicunt uentriculos esse organa. Drusianus aliquãto eruditius inquit, spiritus esse ipsum organum actionum illarum, sed nihil addit amplius. Quæri igitur potest, an cerebrum nihil agat, an non moueatur in illis actionibus, sed tantum sit uelut alueus spiritum, quod item sit neruorum officium, an cerebro affe-

bro afferant imagines ſenſu acceptas, an uiciſsim feriãtur à ſpiritibus? Tanta cum ſit harum actionum, quibus uita præcipue regitur, obſcuritas, deploremus humanam infirmitatem, ac uere petamus noua luce impreſſam nobis Dei imaginem renouari.

Porro ſi licet nobis recitare noſtras coniecturas, non uidentur illæ actiones ſine aliquo cerebri motu fieri. Nam ut in corde ſpiritus ciet cor, & tamen cor ipſum adficitur, ſic etiamſi ſpiritus in uentriculis ſunt organa, quorum motu cogitatio efficitur, tamen feriri ipſum cerebrum, aut neruos à ſpiritu iudico. Et ut chorda reddit ſonum impulſa, ſic fieri actiones illas arbitror, cum cerebrum feritur à ſpiritu. Certe ab exteriori ſenſu, per neruos peruenit in cerebrum imago. Hæc eſt actionis in ſenſu, tanquam ſoni progreſsio, quæ progreſsio cum ſpiritui iungitur, ſpiritus feriens cerebrum aut neruos, nouas parit actiones.

Plato uſus eſt ſimilitudine ſigilli, ſignificans à ſpiritu, tanquam à ſigillo notam imprimi cerebro. Et eſſe motus aliquos cerebri in illis actionibus adparet, quia ideo additi ſunt uermes, ut aſtringant, & aperiant uẽtriculos, hæc aſtrictio & laxatio, haud dubie actionum cauſa inſtitutæ ſunt. Idem & defatigatio cerebri indicat, quæ ſequitur acrem intentionem.

tionem. Et cerebrum cum sit spongiosum, accipit, & reddit uentriculis spiritus, sicut in Euripo fluit, & refluit unda. Et ut nerui, qui petunt sensus exteriores, acciperent uim à spiritibus, ac rursus adueherent imagines, seu simulachra, idest actionum quasi uibrationem, seu reuerberatior[illegible], origo neruorum statim sub fundo est utriusq; uentriculi, ut opportuna sit actionibus. Quanquam autem de neruorum situ postea aliquid dicemus, tamen modo fecit eius mentionem, ut cogitemus quomodo spiritus ad neruos permanare queant, & quomodo nerui suos motus, ac uibrationem suam transuehant ad spiritus. Non enim negari potest, hãc uibrationem oportere peruenire ad spiritus ac uentriculos, ante interiorum sensuum actionem.

Hactenus de loco & figura cauitatum duarum dixi, quæ uocantur primus uentriculus. Attigi etiam utilitatem, uidelicet conditas esse, ut adiuuent actiones interiorum sensuum, seu quia sunt aluei spirituum, seu quia ipsarum astrictio & laxatio etiam iuuat illas actiones, & laxioribus alueis opus est, ut spiritus foueri, agitari, & ferire neruos possint. Cum enim hæ cauitates implentur fecibus, hoc est lentis & pestiferis humoribus, ut fit in apoplexia, spiritus obruuntur, & neruorum officium cessat, amittuntur

emittuntur ſenſus & motus. Et quia thorax moueri deſinit, amiſſa ſpiratione cor ſuffocatur. Galenus utilitates has tres recenſet. Primam, ut ſpiritus animalis in his uentriculis præparetur. Secundam, ut ad inſpirationem & expirationem conducant, hoc eſt, ut recipiant, & emittant aerem, quo opus eſt ad fouendos ſpiritus. Tertiam, ut ſint ſpacia ac meatus ad excrementa.

Dixi de hac parte opificij, ut potui, nunc proximas partes deſcribam, uidelicet duos uermes, quibus cauitatibus ſeruiunt.

Duo uermes.

Sub quolibet uentriculo eſt longus funiculus, ut ſic dicam, conſtans ex uenis & arterijs, tectis pellicula cognata piæ matri. Hi funiculi quum ſint longi, & iuncturas habeant, & ſint rubri, uocantur uermes, porriguntúq; ad aures uſq;, & medium uentriculum. Vtilitas eſt, ut uehant ſpiritus ad medium uentriculum, & aſtringere & laxare uentriculos uoluntario motu exiſtimantur, cum enim iuncturas habeant, uidentur ita conditi, ut ſe contrahere & extendere poſſint.

Medius uentriculus, ſeu meatus.

Eo in loco, ubi in fine duæ cauitates anteriores coeunt, ſub ipſis eſt alia cauitas, quaſi teſtudine

quadam facta. Nam in fine uermium sunt duæ partes eminentes cerebri, quæ uocantur nates, quas uermium pellicula expansa tegit, erectæ perinde, ut duo crura, quæ in astrictione uentriculorum se contingunt, in laxatione autem disiunguntur. Inter has nates est cauitas amplitudine uitelli oui, à cerebro quasi fornice tecta. Hæc cauitas, uocatur medius uentriculus, sed est alia appellatio eius uetus ab Herophilo accepta, uidelicet Meatus. Quia Herophilus sensit, hanc cauitatem factam esse, ut per eam spiritus transmittatur in tertium uentriculum, qui est in una parte cerebelli, ut suppeditet uirtutem motiuam.

Conarium, pinus, glandula.

Clauditur autem medius uentriculus quadam glandula, magnitudine glandis. Quæ uocatur conarium, id enim situm est inter medium uentriculum & initium tertij. Etsi enim immobile est, & sustentat uenas & arterias, tamen ipso positu est uelut ianitor inter uentriculos, angustam semitam faciens ad tertium uentriculum.

Tertius uentriculus.

Cerebrum & cerebellum interstitio distinguuntur, ut dictum est prius. Cum autem tertius uentriculus, qui sic uocatur, sit in ima parte cerebelli, quod

appellatur

appellatur ἀνεγκεφαλὶς, necesse est uiam per illud interstitium esse, ut spiritus eò transuehi possint. Est igitur seu foramen, seu sinus sub dura matre penetrans in cerebelli sedem, in quam riuus ab anteriore cerebro ducitur, qui testudinem efficit, inferiore parte excauata. Estq; illi cauitati imposita massa amplior cerebelli, sic est continuum cerebrum illi postremæ parti. Et nucha cum à riuo illo, tum à cerebello oritur, & deinde spinam dorsi implet. Hactenus tres uentriculos recensui, quorum alij in cerebro conditi sunt, postremus in domicilio cerebelli.

Postquam autem opificij forma utcunq; proposita est, colligantur utilitates. Ac tria genera utilitatum in summa dici possunt, quæ omnibus in conspectu sunt. Ventriculos conditos esse, ut uehant spiritus, qui cient actiones sensuum exteriorum & interiorum, item qui suppeditet uirtutem motiuam. Hæc genera nota sunt, sed cum hæc explicanda sunt diligentius, ubi & quomodo fiant actiones sensuum interiorũ, hæremus attoniti, & fatemur nos quadam caligine impediri, quo minus illos admirabiles motus perspiciamus. Ideo et de opificij dignitate leuius sentimus, & minor est cura conseruandi naturales uires. Deniq; minus agnoscitur architectus, qui hæc suæ sapientiæ, & suæ uoluntatis uestigia impressit

nobis. Cum igitur non possint hæc arcana, prorsus erui ac patefieri, simus cõtenti cõmuni descriptione.

Commodissimum est, quod tradidit Aristoteles, duos esse sensus interiores. Prior est sensus communis, apprehendens obiecta, & discernens, ac deinde aliud ex obiectis eliciens, ac ratiocinans. Alter, est memoria. Compertum est enim amitti alium sensum interiorem sine alio. In illa celebratissima pestilẽtia Attica, quæ grassata est initio belli Peloponnesiaci, in quibusdam qui reualuerunt, tanta extitit obliuio, ut nec suos, nec seipsos agnoscerent, in his manserãt appræhensio & æstimatio, sed amissa fuit memoria. Quidam lapide ictus, prorsus oblitus est literas, ut scribit Plinius.

Ergo alium sensum, ad aliam cerebri partem ordine transferunt. Priores cauitates, sunt organa sensus communis, in posteriore parte cerebri memoria est. Carpus actiones illas omnes tribuit duabus amplioribus cauitatibus, quæ uocantur prior uentriculus, etiamsi alia parte, aliæ fiunt actiones. Deinde medium uentriculum arbitratur conditum esse, ad transuectionem spirituum in tertium, ubi spiritus suppeditant uirtutem motiuam. Arbitratur & hoc esse officium medij uentriculi, ut inde in infusorium deriuẽtur superfluitates. Hæc non eo commemoro,

ut ueterem

ut ueterem opinionem reijciam, quorsum enim attinet incomperta affirmare? Satis est in genere & summatim cognosci, quod uentriculi sint actionum domicilia, & quod alia pars cerebri alijs actionibus seruiat. Non est leuis coniectura, quod posteriori parte læsa, amittitur memoria, sine offensione aliarum actionum. Existimemus igitur spiritus imprimere notas cerebro, in aliqua posteriori parte, memoriæ causa. Proinde uidemus quosdam alijs antecellere memoria, qui celeritate ratiocinandi longe inferiores sunt. Hæc cum de utilitate uentriculorum necessario dicendum esset, adieci, ut reuerenter de hoc diuino opificio studiosi sentiãt, etiamsi in tanta imbecillitate humana patefieri omnia non possunt.

Infusorium.

χοάνην uocant Græci, quod nos dicimus ein trechter. Hanc figuram habet hæc cauitas, quæ est sub medio uẽtriculo cerebri, ad os basilare, in quam deriuantur crassiores superfluitates cerebri, quæ deinde in sputum uertuntur, aut per nares excernuntur. Vocatur & πτύελος, idest peluis, item embotum, caput rosæ, sæpe & lacuna dicitur. Sed supra cerebellum, ubi duplicata dura mater interstitium facit, est alia cauitas, in quam uenæ concurrentes sanguinem infundunt, ut inde destillet ad rigan-

dum cerebrum. Hanc cauitatem ſuperiorem Gale-
nus uocat λωὸν, ſeu Torcular, id quoque inter-
dum appellant lacunam, quod eo annotaui, ne nomi
num confuſio errorem pariat.

Rete mirabile.

Hæc ſplendida appellatio non ab opificij digni
tate, ſed à figura operis ſumpta eſt. Nam rete mira-
bile tantùm eſt contextus quidam arteriarum, quæ
per os baſilare ſurſum ductæ ſunt, & ibi ſub dura
matre ſcinduntur in plurimos ramos, qui uariè in-
tricati, quaſi quoddam rete efficiunt. Ab his arte-
rijs inde propagantur rami, qui per duram matrem
perueniunt ad cerebrum. Exiſtimant autem prodeſ-
ſe hunc ramorum contextum, quem rete uocant,
ſeu ne dura mater offendatur, ſi ſtatim ab oſſe baſi-
lari contingeretur, ſeu ut meatuum multitudo co-
piam ſpirituum ſuppeditet, & exilitas eos præpa-
ret, ac puriores efficiat.

Oculi.

Dominantur inter ſenſus oculi, quos inquit Pla
to præcipuè nobis duces eſſe ad agnitionem Dei,
intuentes hanc pulcherrimã machinam cœli, ac no-
tantes motuum uarietatem, quæ non alio ſenſu, niſi
oculorum animaduerti potuit. Eſt autem mira eius
compoſitio, ex tunicis quatuor & tribus humori-
bus.

bus. Etsi enim artifices tenuius dissecant tunicas, ac plures numerant, tamen id eo fit, quia eadem discernunt locis, anteriori & posteriori.

Prima tunica uocatur coniunctiua, quia coniungit oculum capiti, orta à pănitulo tenente ossa frontis, & ab interiore pellicula palpebrarum, hæc ambit oculum usque ad corneam.

Est igitur secunda tunica cornea, sic dicta, quia & colore & firmitate imitatur laminas pellucidas, ex cornu factas, oriri dicitur à dura matre. In anteriore parte est perspicua, in posteriore cum sit opaca & durior, uocatur sclirotica.

Vuea, est circulus intra corneam, qui uulgò Iris dicitur, propter colorum uarietatẽ, interdum enim cærulea, interdum fulua cernitur. Nam quod Græci χαροπὸν uocant, Gaza uertit Fuluum. Et Aristoteles laudat oculos χαροπούς, & dicit tales esse leonibus & aquilis. Et Oppianus loquens de leonum oculis, ait esse χαροπούς. Aristoteles ait hunc colorem oculorum, significare ingenij & animi præstantiam. Et exempla testantur plerunque eos, quibus est Iris fulua, ualere ingenijs. Sed Vueam dixerunt Scriptores, quia & colore imitatur uuas, & perforata est. Nam Iris ambit pupillam, quæ est ipsum oculi foramen, quo recipiuntur species uisibiles

sibiles, & in quo nerui optici, qui spiritus aduehunt, defixi sunt.

4 Quarta tunica est, Aranea intra uueam, continens crystallinum humorem, eiq; uelut glaberrimi speculi superficiem efficiens, ut in ea reddi & fulgere imagines, seu species acceptæ possint. Ac longe omnia specula claritate uincit, orta à neruo optico. Quare hoc ipsum opificium, quum sit lucidissimum, indicat cognationem cerebri ac neruorum cum cœlesti natura.

1 Humores tres sunt. Albugineus, ouorum albo similis, sed multo est tenuior & fluidus, continetur inter corneam, colore suo ambitũ, qui apparet candidus, in oculo pingens, et perueniens usq; ad araneã, ut irriget crystallinum, totumq; oculum. Iuuat sua subtilitate, ut spiritus per eum facile penetrent.

2 Vitreus dicitur nitro liquefacto similis, nigredine quadã mixta albo. Nec est fluidus, sed aliquanto firmior, estq; sedes crystallini humoris, ac magna pars pupillæ. Nam humor crystallinus huic uitreo insertus est, tanquam gemma annulo. Ideo parte aliqua continentur ambo humores, uitreus & crystallinus intra araneam, ac dicit Galenus, A uitreo humore nutriri crystallinum.

3 Præstantissimus humor est crystallinus, in quo imme

immediatè fit uisio. Est enim hic humor, tanquam lucidissimum speculum, non aliunde petita luce, sed sua natura lucens, & cæteras oculi partes, in quibus est lumen, illuminans. Nec est fluidus humor, sed paulo firmior penè ut cera, ut recipere imagines possit, ac tanquam gemma in media pupilla fulgens. Interdum fulgor, ut in cattis, effundit lumen extra oculos, unde existimari potest, qualis sit luciditas huius humoris.

De Naribus, & auribus.

Narium & aurium compositio, non habet opus longa descriptione, tantùm monendi sunt studiosi, de organis olfactus & auditus.

Verum organum olfactus, sunt duæ caruncul æ mamillares sub cerebro, intra craneum & os basilare positæ, proximè supra nares, ortæ ex substantia cerebri, tectæ pia matre, figura papillarum mulieris. Sed longiusculæ sunt, quia enim accedunt ad foramina ossis supra nasum, ideo extremitas imitatur figuram papillarum. Proderat enim odoratus instrumẽtum intra cranium esse, quia sensus odorum nobis datus est, confortãdi cerebri causa. Hauriunt igitur papillæ istæ uapores odoriferos, per porositates ossis supra nasum, & transmittunt eos ad anteriores cerebri uentriculos.

Vtilitates

Vtilitates igitur narium tres sunt. Prima, ut per eas excernantur superfluitates ex cerebro, quæ destillantes per κοάνλω, de qua suprà dictum est, fluunt ad narium initia, & ibi densantur, ac eijciuntur. Altera utilitas est, ut per nares hauriantur odores. Tertia, ut aer hauriatur per nares in uentriculos cerebri, & inde rursus expirare possit.

Organum immediatum auditus, est panniculus in foramine ossis petrosi, quod est radix, & meatus aurium. Nam hic panniculus à neruis auditiuis oritur, qui ei uim suppeditant. Quare impulso panniculo nerui, tãquam chordæ tactæ, sonos accipiunt. Et quoniam nerui oriuntur statim sub ipsis cerebri uentriculis, perfertur illa neruorum uibratio usque ad uẽtriculos, ut si quis lapillum conijciat in aquam, circuli alij post alios fiunt impulsa aqua.

De Membris similaribus.

Adijcienda est & communissima diuisio membrorum. Alia enim sunt ὁμοιομερῆ, seu ut uulgò uocantur, simplicia uel similaria, uidelicet in quibus pars retinet appellationem totius, & sunt nouem,

1 Caro,
2 Os,
3 Chartilago,
4 Nervus,

Chorda

6 Chorda,
5 Ligamentum,
7 Vena,
8 Arteria,
9 Panniculus.

Ac præter carnem, omnia reliqua oriuntur ex semine, non ex sanguine. Ideoq; dicuntur spermatica, etsi ex sanguine conueniens nutrimentũ accipiunt.

Caro est substantia sanguinea, quæ fit, cum crassior pars sanguinis quasi coagulatur.

Ossa fiunt è semine, cum id quod est crassissimum, à calido urente induratur, sicut lapides coquuntur è calido urente. Sunt autem ossa, uelut truncus sustinens reliquum corpus.

Chartilago est osse mollior, & alijs omnibus membris durior. Huius utilitatis causa facta est, ut sit fulcrum mollius quàm ossa, & ne ossa inter se durius collidantur.

Neruus est substantia è cerebro, aut è spinali medulla orta, tenuis, mollis & alba, tenuissimis uillis per longum contexta, quæ est instrumentũ præcipuum sensus & motus. Nam nerui à cerebro & à spinali medulla, quasi transuehunt uim sensitiuam & motiuam ad membra impulsa spiritu. Ac solet quæri, an cauitate aliqua excipiant spiritus, an uerò

aliter

aliter uim à ſpiritibus accipiant, ut cum digitis fides pulſantur. Sed recepta eſt ſententia, duos tantum neruos cauos eſſe, ſcilicet opticos, per hos meat ſpiritus ceu flammula. Alios neruos negant eſſe cauos, & dicunt eos uim accipere à ſpiritu, ut Auicenna loquitur, per irradiationem, fortaſsis ut lumen per uitrum tranſit, ſeu uibrari à ſpiritu, pro modo ſuæ naturæ. Habet enim neruus ſuam quandam naturã, ad hæc officia conditus, quæ non ſatis perſpici poteſt. Oriuntur autem à cerebro ſeptem paria, quæ partim ad ſenſuum organa perueniunt, partim ſpargũtur in alia membra, ut in uentriculum. Quod eo obſeruandum eſt, ut membrorum συμπαθείαι magis conſiderentur. Suntq; molliores nerui ex cerebro orti. Alij ſunt duriores, qui à nucha, ideſt ſpinali medulla oriuntur. Conueniebat enim duriores eſſe, quia non ſolum ſenſus, ſed etiã motus inſtrumenta ſunt. Eſt autem & ſpinalis medulla, cognata cerebro, & quidem ab eo oritur. Hic numerantur triginta paria neruorum à nucha orientium, qui paſsim in totum corpus ſpargũntur. Etymologia nominis extat apud Galenum, νεῦρον à uerbo νεύω, quod eſt nuere, agitari, quia nerui ſunt inſtrumenta motus.

Et quia facta eſt mentio uillorum, obiter dicendum eſt, uocari uillos ſubtiliſsima fila, tenacia & ſolida

lida, Græci uocant ἶνας. Cumq; in multis membris dicantur esse uilli, sciẽdum est non unum esse genus uillorum. Sed neruorum uilli, nihil sunt, nisi tenuissimæ partes nerui, & his uilli in panniculis cognati sunt. Verùm in corde nulla est cognatio uillorum cum neruis, ibi enim uilli sunt ex substantia cordis, quæ tota est caro cuiusdam peculiaris naturæ. Cæterùm ut uoluntario motui seruiunt musculi, sic naturalem motum cient uilli ubicũq;, ut attractionem uilli recti, expulsionem transuersi.

Ligamenta, σώδεσμοι, sunt membra neruis similia, alba, exanguia, & sine interiori cauitate, duriora neruis, tametsi mediocris est duricies, ne nimis dura impediant motum iuncturarum, neue nimis mollia rumpãtur, aut faciant dislocationes. Cognationem habent cum ossibus, non cum neruis, oriuntur enim ab ossibus, & omni sensu carent. Utilitas est multiplex, alligant ossibus cætera membra, ut cor, uentriculum, matricem, uesicam, alligant musculos ossibus. Aristoteles improprie uocat neruos, sed Medici rectè discernũt neruos & ligamenta, est enim dissimilis origo & natura, ut dixi.

Chordæ, τένοντες, membra composita sunt ex neruis & ligamentis, uenientibus ad musculos, in quorum extremitatibus natæ, trahuntur inde ad

iuncturas,

iuncturas, ut eas moueant, cum uolumus. Nam musculus est mediatum organum uoluntarij motus iunctuarum, chordæ immediatũ, etsi musculum prius moueri, contrahi, aut laxari oportet. Oportuit autem iungi in chorda ligamentum & neruum, ut neruus suppeditaret sensum & motum, sed ne rumperetur fuit opus alio duriore uinculo, ideo additum est ligamentum, quod sic uocatur. Iliados decimo Homerus ait, Sectũ esse collum Doloni, & duas chordas præcisas, quia in ceruice ascendunt duæ admodum crassæ & conspicuæ chordæ, quæ alligant caput trunco. De his ait Homerus, qui quidem uidetur proprietatem amasse in talibus appellationibus,

φασγάνῳ ἀίξας ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε.

Cum autem hic facta sit mentio musculi, addam, quid sit musculus, seu lacertus, nam utroq; nomine idem significamus. Musculus, est confertum quiddam ac thorosum, compositum ex neruis, carne & ligamento, sicut Galenus inquit, perinde ut pileos, ita musculos fieri, confarctis scilicet densius plurimis neruorũ uillis, ligamento & carne. Transit autem & per medium musculum neruus uelut axis, quo ipse musculus sese relaxat, aut contrahit. In ima parte musculi oritur chorda, seu τένων, à neruorum uillis & ligamento, qua chorda trahit

bit musculus aliud membrum, ut antea dixi.

Nomen à figura factum est, quod una parte sint thorosiores & ampliores, altera tenuiores, unde & lacertorum figuram imitantur. Sunt in corpore plures quingentis, ut multæ sunt partes, quæ uoluntarijs motibus cientur. Sed præter partes, quas supra recensui, accedunt in musculis aliæ, quæ dicuntur extrinsecæ, quia non proprie ad naturam musculi pertinent. Cum enim eis opus sit nutritione & calefactione, inseruntur uenæ & arteriæ, & totum opificium panniculo tegitur, sed hæ partes non sunt proprie naturæ musculi.

Panniculus est tenuissima membrana, ex neruis & ligamentis facta, sed in alijs plus est naturæ nerueæ, in alijs plus naturæ ligamentalis. Alij enim alijs crassiores sunt, muniunt & alligant membra, & impertiunt sensum plerisq;, ut hepati, cordi, pulmoni, splenі, renibus.

Vena, est canalis tenui tunica, deferens sanguinem crassiorem, quo nutrimur. Oriuntur autem uenæ in hepate, ibi enim stipes est uena caua, maior & amplior cæteris omnibus, quare ab ea uelut à stipite rami, cæteræ uenæ propagantur. Sequimur enim communem sententiam, quæ in scholis graui autori tate recepta est. Aristoteles putauit cor esse princi-

pium uenarum, sed aliter sensit Hippocrates, quem Galenus sequitur, refutans Aristotelis opinionem.

Arteria est canalis ortus à corde, uehens spiritus uitales cum aliquo sanguinis riuo, sed tenuissimi. Porrò ne exhalent spiritus, oportuit esse arteriarum tunicas firmiores & densiores, & ipsos meatus angustiores. Ideo duabus tunicis constant arteriæ, quarum interior quincuplo crassior est, quàm uenarum tunicæ. Hanc ambit alia tunica exterior tenuis, ita fit arteria sexcuplo crassior, quàm uena. Dixi suprà iunctas esse uenas & arterias, ut uenæ suppeditent spiritui materiã, spiritus uero in arterijs calore suo foueat sanguinẽ. Sunt enim utrinq; orificia, ut spiritus ceu flammula rapiat nutrimẽtum ex uenis, & uenæ spiritum ac colorem ex arterijs. Sic uiuimus, ut in lychno flamma rapit nutrimẽtum ex cera, sic spiritus in nobis suum alimentum ex uenis haurit, eaq; in re natura ipsa pulcherrimum nobis exemplum proposuit mutuæ communicationis in hac ciuili societate. Initium arteriarum est aorta, quæ ex sinistro uentriculo cordis oritur. Etymologias uocum arteriæ & aortæ supra recensui.

Alia membra, in corpore dicuntur ἑτερομερῆ & composita, cum partes non retinent nomen totius,

totius, ut caput, oculus, & cætera. Non enim quælibet pars capitis, est caput.

De Humoribus.

Etsi fontes humorum melius conspiciuntur, modus nutritionis exponitur, tamen quia in descriptione humani corporis uersamur, non uolui præterire hic humorum discrimina, quorum magna uis est in natura corporis. Vocatur autem hoc loco humor, liquidum & fluidum corpus, in quod conuertitur nutrimentum in hepate, ut corpora nutrimententur, & conseruentur. Differunt humores naturales à uitiosis, seu præternaturalibus, ideo primùm de non uitiosis dicendum est.

Humores naturales sunt quatuor, sanguis, phlegma, flaua bilis, & atra bilis, ac simul generantur in hepate hoc modo. Vt in omnibus mixtis, quæ coquuntur, insunt diuersæ partes, aliæ igneæ, aliæ terrestres, aliæ aquosæ, aliæ aereæ, ita in massa tota sanguinea, postquàm hæc in hepate cocta est, igneum quiddam inest ebulliens, id uocatur flaua bilis, quæ est calida & sicca. Inest & terrestre quiddam fecibus simile, id uocatur atra bilis, quæ est frigida & sicca. Manet etiã ibi aliquid aquosum, quod cœpit quidem coqui, ut fieret sanguis, nondum autem percoctum est, sed adhuc album, insipidum &

remißi caloris eſt, id uocatur phlegma. Reliquum eſt aereum, quod eſt calidum & humidum, ſeu temperatum, dulce, pingue, ſuauiter nutriens, id propriè uocatur ſanguis. Hæc diſcrimina humorum Galenus pingit uenuſta ſimilitudine. Vt uidemus in muſtis efferueſcentibus ebullire id, quod tenuius eſt, quod ipſe uocat ἀνθῶν, deinde quiddam ineſſe aquoſum, ſubſidere etiam feces, ita ſunt in maſſa ſanguinea totidem humorum diſcrimina, hinc facile ſumi poſſunt definitiones. Sed addenda eſt etiam utilitas ſingulorũ humorum, non enim ſunt fruſtra conditi, & cum non ſunt uitioſi, habẽt neceſſarios uſus in corpore.

Sanguis eſt calidus & humidus, ſed temperatus, dulcis, aereus, optima & præcipua pars nutrimenti. Etſi enim ſemper cum ſanguine uehuntur reliqui humores, & ſimul fiunt nutrimenta, ut ſanguis dilutus phlegmate, magis alit frigida & humida membra, ut cerebrum, bilioſus magis alit pulmonem, melancholicus magis alit oſſa, tamen præcipua nutrimenti pars eſt id, quod propriè eſt ſanguis. Nam nutrimentum oportet eſſe dulce, aut dulci ſucco dilutum. Conſtat ergo, quæ ſit ſanguinis utilitas.

Phlegma eſt humor ſubaquoſus, qui cœpit coqui, ut fieret ſanguis, ſed nõdum percoctus eſt, ideo eſt

est subalbus, insipidus, tenuis, non pinguis, nec calore æquans sanguinem. Vtilitas eius est, ut ardorem sanguinis mitiget, ac prohibeat, ne densior & aridior fiat, paulatim coquitur in uenis, ac fit materia sanguinis. Item phlegma cum sanguine alit cerebrum, & reliqua phlegmatica membra.

De nomine phlegmatis rixati sunt & Veteres, & apparet initio sic uocatum esse uitiosum humorem adustum. Nam populo notiores sunt uitiosi humores, accipimus autẽ appellationes à populo. Prodicus maluit hunc humorem, appellare Βλῶναν, id est pituitam: sed opinor etiam id nomen initio fuisse uitiosi humoris, postea docti appellationes transtulere ad humorem non uitiosum.

Flaua bilis, ξανθὴ χολὴ, quam uulgò uocant choleram. Etsi cholera est morbus, cum bilis largiter infusa in uentriculum, erumpit per uomitus & inferiora. Id etsi non moueo litem de uocabulo, tamen propter adolescẽtes adscripsi, quibus interdum confusio appellationum aliquid offundit caliginis. Est autem flaua bilis non uitiosa, sanguinis spuma, calida & sicca, quæ fit cum calidiores & sicciores partes chyli, propter fortem calorem sic ebulliunt. Saporis est amari, qui propriè dicitur πικρὸς, ut Galenus clarè discernit utranque bilem saporibus,

inquiens, καὶ φιλοῦσι τὴν χολὴν ἡ μὲν ἀεὶ πικρὰ φαίνεται, λίαν μικρῷ μορίῳ ψαύσῃ δὲ γλώττης, ἡ μέλαινα δὲ ὀξεῖα. & aliquoties repetit hanc ſententiam. Quum recenſet amara, Græcè πικρὰ, nominat Nitrum, χολὴν, amaras amygdalas. Hæc eo adieci, ut ſaporum differentias obſeruent ſtudioſi, quarum appellationes infrà recitabimus.

Colores etiam in non uitioſa bile differunt, alias magis, alias minus rubet, quare & rubram & flauam nominant. Vtilitas eius eſt, diſſipare ac penetrare, aperit meatus, ubi cum ſanguine uehitur, & ſimul alit membra cognata, ut pulmonem. Nec tota uehitur cum ſanguine, ſed maior pars deriuatur in folliculum fellis, quæ & ipſa eſt bilis non uitioſa. Sunt autem ex felle meatus, qui uehunt flauam bilem ad inteſtina, ut inde pellat feces.

Atra bilis non uitioſa, eſt humor magis craſſus et terreſtris, qui in ſanguine ſubſidit, propemodum nigro & ſpiſſiori uino ſimilis, ſed eſt frigidus & ſiccus. Pars uehitur cum ſanguine, quæ tamen quia diluitur ſanguine, pontici magis eſt, quàm acidi. Reliqua naturalis deriuatur in ſplenem, quæ eſt acida.

Vtilitas eius eſt, ſanguinẽ reddere ſpiſſiorem, & adſtringere, et ubiq; adiuuare retentionẽ, et unà cũ ſanguine nutrire melãcholica mẽbra, oſſa et ſplenẽ.

Plato

Plato in Timæo non recenſet utilitates trium humorum, ſed dicit eos eſſe morborum & malorum morum cauſas. Nam propemodum, ut uulgus loquitur, non diſcernit uitioſos humores à naturalibus, ſed quærendum eſt diſcrimen illud, & conſiderandæ ſunt utilitates. Nam hæc diuerſitas nec fruſtrà condita eſt, nec tantũ addita corporibus, ut uenenũ ad perniciem. Eſt & illa utilitas obſeruanda, quod alij humores, alijs animi motibus ſeruiũt, ſicut poſtea dicam. Prius enim prætexam uitioſos humores.

Vitioſi humores, uocantur non naturales, ſinguli autem dupliciter corrumpuntur, aut quia ſine alterius admixtione, ſubſtantia ipſa degenerat, aut quia miſcentur alij uitioſi. Sanguis degenerat, ut quum putreſcit clauſis poris, ac uertitur in bilem uitioſam, unde oritur continua febris. Corrumpitur etiam ſanguis admixtione alterius humoris, ut in ictericis affluente bile, aut in hydrope, ubi prior ſanguinis maſſa uitiatur, adfluente crudo humore, non cocto in hepate.

Phlegma non naturale quoddam, uocatur crudum, quod eſt humor aquoſus, frigidus & humidus, redundans in corporibus propter infirmam coctionem. Idq; aliàs tenuius eſt, quod ſputo, uel per nares eijcitur, & interdũ, ut in coryza largiter de-

stillat, aliàs crassius est, quod uomitu & egestionibus interdum eijcitur.

Aliud quoddam phlegma uocatur salsum, cum uidelicet phlegmati miscetur bilis, quod quidem ex sapore sputi facile iudicari potest, & in corporibus intemperantium, qui salsis cibis utuntur. Nascitur copiosius, ac inde pernicioſi catarrhi oriuntur, uocatur acetosum, cum miscetur atra bilis.

Bilis flaua uitiosa, aut per se degenerat, ut cum aduritur, & fit atra bilis uitiosa ac cinerea, densa et mordax. Sicut paulatim in picrocholis degenerat rubra bilis in adustam, uel ætate, uel uehementioribus motibus. Quare tales πικρόχολοι senescentes, fiunt furenter iracundi.

Aut miscetur alius humor, uidelicet tenue phlegma, ut rubor diminuatur. Hæc bilis uocatur citrina, Galenus Pallidam nominat. Sed si est crassius phlegma admixtũ, fit bilis uitellina, sic dicta, quod color imitatur uitellum oui. Fiunt autem tertianæ febres nothæ, ex bile, cui phlegma admixtum est.

Præter has species, gignitur in uentriculo humor uiridi colore, qualia sæpe uidemus esse infantum excrementa, aut aliorum. Sæpe & in uomitu uiridem humorẽ miræ mordacitatis eijcimus. Hic humor etsi fit admixtione bilis & immodica aduſtione,

ne, tamen non est uerè bilis, ut Iacobus de Partibus rectè disputat, sed crudus humor in uentriculo nimis ustus, cui aliqua bilis influens in uẽtriculum admixta est. Ideoq; à Galeno uocatur Prasina bilis, quod uiriditas imitatur porri colorẽ. πρᾶσον enim significat porrum. Et quum uiriditas est obscurior, nonnihil ad fuluum colorem accedens, uocatur hæc bilis æruginosa, Græcè ἰώδης, ab ἰὸς, quod significat rubiginem. Nam rubigo uetus, quasi uirescere incipit, talis bilis sæpe uomitu eijcitur.

Atra bilis uitiosa est, cum uel cæteri humores, uel ipsa atra bilis ita aduritur, ut humor cineris naturam crassiorem & mordacem referat. Nam & Hippocratis Aphorismus testatur, degenerare sanguinem ac rubram bilem, quum aduruntur clausis poris, in atram bilem. Verba Aphorismi hæc sunt, ὡσαύτως τὸ ἐπίχολον, καὶ ξύμμορον σῶμα, μελαγχολικὸν γίνεται, μὴ ἔχον ἔκρῥωσίας. Pariter biliosum & sanguineum corpus, fit melancholi cum, ubi non effluunt, seu exhalant fumi, atq; hinc existunt amentiæ multiplices. Si melancholia est ex sanguine, & diluitur modico sanguine, efficit amentias ridicule lætantium. Si ex rubra bile, aut diluitur multa rubra bile, fiunt atroces furores & maniæ, qualis fuit Herculis & Aiacis furor. Si diluitur phle

gmate, fit inusitata segnicies, sicut ipsi uidimus mente errantem, qui fere perpetuo dormiebat. summisse loquebatur, nec excitabatur nisi citharæ sono, quẽ cum audisset, attollens caput arridere incipiebat, & interrogatus hilariuscule respondebat. Si ipsa per sese atra bilis redundans aduritur, fiunt tristiciæ maiores, fugæ hominum, qualis fuit Bellerophontis mœsticia.

Qui miser in campis errabat solus Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum uestigia uitans,
ut inquit Homerus.

Sed hæ species mira uarietate miscentur, sicut temperamẽtorum uarietas multiplex est. Vina quàm uarie temperata sunt, Creticũ, Italicum, Renanum, Neccharinum, quantum differunt? Ita ijdem humores in alijs sunt generosiores, mitiores, puriores, eaq; uarietas in temperamentis habet cœlestes causas. Multo generosior est melancholia, si coniunctione Saturni & Iouis in Libra temperetur, qualis uidetur Augusti melancholia fuisse, quàm si confusa sit Saturni, Martis & Lunæ congressu in Scorpio, qualis Catilinæ melancholia fuisse uidetur. Hæc eo reicito, ut admoneam lectorem, non posse enumerari omnes modos uarietatis humorum uel bonorum, uel uitiosorum.

Homerus

Homerus mœsticia mortuus dicitur, ænigmatis perplexitate uexatus. Heraclitus Ephesius sæpe lachrymabat Senex, deplorans hominum miserias, quem quidem fuisse melancholicum & Theophrastus scripsit, tribuens melancholiæ, quòd obscura et confusanea scripsisset. Quæsiuit solitudines, & immundiciæ uictus, hydropicus factus est. Postea sperans se aquam illam inter cutem desiccaturum, iussit se oblini stercore boum, & ad solem exponi, inde mortuus fertur. Democriti delirium fuit hilarius, qui ridere solebat hominum stulticiam, eaq; animi tranquillitate uitam produxit, usq; ad annum centesimum nonum suæ ætatis.

Empedocles furens insilijt in Aetnæ uoragines. Sophoclis delirium fuit multo suauius, qui uoluptatibus leuabat ætatis incommoda, & oblectabat se componendis poematis.

Marius delirans imaginabatur expeditiones, & prælia, adeo ut gestus & clamorem pugnantis repræsentaret.

At Luculli amentia fuit hilarior, ac mitior. Ita in Senibus cum degenerat melancholia, efficit dissimiles amentias.

Hic non inutile est recensere Aristotelicam disputationem de atra bile, ut natura humoris propius aspiciatur,

aſpiciatur, quam quidem multis uenuſtis deſcriptionibus illuſtrauit. Diſputat quare excellentes uiri in gubernatione reipublicæ, ut Solon, Philoſophi, Poetæ, & alij excellentes Artifices, plerique omnes ſint melancholici. Ac primùm naturas eſſe melancholicas oſtendit ex ſignis, quæ in ſenecta teſtantur, antea in illis fuiſſe copioſiorem atram bilem. Morbi indicant humorum naturas. Herculis ulcera eruperunt ex aduſtione atræ bilis. Et deliraſſe in ſenecta dicuntur plerique Poetæ, Philoſophi, & Artifices. ergo etiam antea in eis redundabat atra bilis, ex his ſignis ratiocinatur Ariſtoteles, fuiſſe illorum naturas melancholicas.

Hic quæritur de atra bile, an & quomodo præſtantiores motus in ingenijs efficiat. Aponenſis non rectè iudicat, qui exiſtimat hos motus in magnis uiris ab aduſta bile eſſe, non à naturali: nam aduſta efficit furores & amentias, non parit rectos motus & probandos, qui reguntur conſilio. Deceptus eſt Aponenſis, quum putauit Ariſtotelem hoc quærere, an paulatim ætate Heroes fiant melancholici, id enim non quærit, ſed ipſas naturas, & temperamenta eorum ſentit eſſe melancholica. Ac deinde ſatis oſtendit ſe non de uitioſo, ſed de naturali humore loqui. Ait triplicem eſſe atram bilem, quandam aſini-

nam,

nam, dilutam multo phlegmate, quæ adfert frigidos morbos, nõ prodeſt ingenijs. Altera eſt aduſta, quæ furores ciet. Tertia eſt non uitioſa, quæ quum eſt copioſior, & ſanguini temperato aptè miſcetur, efficit acriores, ardentiores, & tenaciores impetus. Primum enim talis melancholicus ſanguis, eſt admodum halituoſus, & multos gignit ſpiritus, & fiunt in eo motus durabiliores, non ſolum quia ſtabilior ſanguis eſt, ſed etiam, quia illi ſpiritus acrius urunt denſiorem ſanguinem. Vt ignis in ferro urit multo uehementius, quàm in ſtipula, & ſunt impetus ardentiores, propter eãdem cauſam, quia talis ſanguis incenſus magis flagrat, et ardet. Quantus impetus, quantus ardor eſt Cæſaris dimicantis, reuocãtis fugientem exercitum? Non diſſimilis eſt hic impetus fulminum, atque ut in puluere tormentorum, qui fit ex nitro & ſulphure, impetus excitatur uehementiſſimus, ita flagrantiſſimos motus in ſanguine melancholico ſpiritus incenſi excitant. Nónne Poetas quum intenti aliquid componunt, uidemus uelut afflatu quodam moueri? Accidit idem alijs excellentibus Artificibus, quum in aliquam cogitationem maiore animi impetu incumbunt. Archimedes non ſenſit urbem capi, non animaduertit milites in domum ſuam irrumpere. Quid tam melancholicum, quàm

quod

quod idem Artifex è balneo exiliens, per forum cu currit nudus, & clamitans ἥυρηκα, cum inueniſſet rationem, qua deprehenderet, quantum argenti admixtum eſſet auro, ſi uidelicet pondera coronæ in aqua obſeruaret, quæ ratio nũc quoq; uſitata eſt apud Aurifices. Nec Periclea & grandis eloquentia exiſtit, niſi in tali temperamento naturæ. Non igitur Ariſtoteles de uitioſa atra bile loquitur, ſed de naturali, & reipſa hoc uult, excellere ingenijs eos, quorum craſis eſt temperata, ſed declinans ad melancholiam, qualem efficit Saturni & Iouis coniunctio, quæ Heroicis ingenijs peculiaris eſt.

Hæc ut fiant magis perſpicua, diſcernẽdæ ſunt etiam craſes, ſeu temperamenta.

Vulgò uocant complexionem, quam Græci Craſin dixerunt, & alij temperamentum uocant. Eſt autem craſis, congenita qualitatũ primarũ inter ſe conueniẽtia, uel exceſſus, propterea quòd elemẽta ſunt omnium mixtorum initia, etſi igitur non omnes diuiſiones perſequar, tamen præcipuas recitabo.

Craſis duplex. Duplex eſt craſis, alia temperata, aliæ intemperatæ. Temperata eſt æqualitas qualitatum, conueniens certæ ſpeciei. Nec intelligitur hæc æqualitas de arithmetica æqualitate, ideſt de numero graduum æquali, quæ uocatur uſitate æqualitas ponderis,

vis, ubi tot sunt gradus caliditatis, quot frigiditatis: nam hæc æqualitas est impossibilis, & nulli speciei conueniret. Sed intelligitur æqualitas secundum iustitiam distributiuam, idest conueniens certæ speciei. Vt crasis humani corporis melior est, quàm pecudis. Et crasis humani corporis, in fine adolescentiæ melior est, quàm antea, aut in senecta. Et membrorum æqualitas dissimilis est. In corde quum rectè temperatum est, tamen abundat caliditas. In cerebro rectè temperato abundat humiditas, id uocatur temperamentum iustitiæ. Econtra dicuntur distemperatæ crases, quæ recedunt ab hac æqualitate iustitiæ, uidelicet quum una qualitas excedit, ut si cerebrum siccitate tantum excedat, uel uentriculus frigiditate tantum excedat. Aut quum excedunt duæ qualitates, ut si hepar sit calidius & siccius, ac à iusta proportione recesserit.

Hinc subtili enumeratione colliguntur octo distemperatæ crases, quia ex quatuor qualitatibus singulæ excedere possunt, aut possunt excedere duæ coniunctæ, hæc enumeratio est erudita. Nam Medici non modò de humorum, aut de sanguinis temperamentis loquuntur, sed de crasi cuiuslibet membri, ad hanc discernendam aptius fuit distributiones facere, per primas qualitates, ac nominare, qua

qualitate

qualitate aliquod membrum aut corpus excedat. Postea si ad corporum & humorum crases redeatur, cum excessus sit duarum qualitatum, quatuor distemperatæ crases constituuntur.

Sanguinea. Excedens calida & humida, talis est sanguinea, ut in Alexandro adolescente.

Phlegmatica. Excedens frigida & humida, talis est phlegmatica, ut in sue.

Cholerica. Excedens calida & sicca, talis est biliosa, ut in cane.

Melancholica. Excedens frigida & sicca, talis est melancholica, ut in apibus, formicis, &c.

Porrò temperamentum iusticiæ habet gradus & latitudinẽ, ac plus aut minus declinat ad aliquam distemperatam. Rarum est enim etiam illud ipsum iusticiæ temperamentum exactum. Vt in Platone magis declinabat temperata crasis ad melancholicam, in Alexandro magis ad sanguineam. Sic & reliqua temperamenta miscentur. In leone dominatur biliosa crasis, sed declinat ad melancholicam.

Postquàm igitur temperamenta recensuimus, iam ad Aristotelis disputationem redeo, qui melancholicis naturis tribuit ingeniorum præstantiam. Et fatetur se non de asinina melancholia, nec de adusta loqui, sed de sanguine, in quo est atra bilis copiosior,

ſior, hoc eſt loquitur de temperata craſi, declinante ad melancholicam. Hæc excellit, quia in tali ſanguine ſpiritus efficiunt acriores, ſtabiliores & ardentiores motus, ut dictum eſt. Pertinet huc & memorabilis ſententia Ariſtotelis, quæ extat in Secundo de Partibus animaliũ, Sanguis craſſior & calidior, efficit maius robur, ſed tenuior & frigidior, auget uim ſentiendi & intelligẽdi. Verba Ariſtotelis hæc ſunt, ἔστι δ' ἰσχυρὸν μὲν τὸ ποιητικὸν τόπον, τὸ παχὺ τόπον αἷμα καὶ θερμόν τόπον, αἰσθητικὸν δὲ τόπον καὶ νοερόν τόπον, τὸ λεπτόν τόπον καὶ ψυχρόν τόπον. Vulgati libri legunt νοσερόν τόπον, ſed appæret aliter legiſſe Gazam, quem nos ſequimur, etſi utraq; ſententia uera eſt. Porrò in craſi temperata, ſanguis eſt ſubtilior ac purior, quia autem ad melancholicam declinat, eſt frigidior. Talem craſim efficit Mercurius, nam huic quoq; attribuitur melancholia. Venuſtiſſimè autem confert Ariſtoteles atram bilem ad uinum. Vt enim uinum uarias qualitates accipit in ebrijs, alij fiunt hilares, alij feruẽt ira, alij lachrymant, quia enim calidum, ſpumoſum & halituoſum eſt, ideo excitat calore ſanguinem, & gignuntur ſpiritus pro qualitate ſanguinis copioſiores. Vnde apud Græcos dictum eſt de uino, τοῖς μὲν τρόποις τὴν χαρμόνην κεραίνυται. Sic &

atrã bilẽ inquit Aristoteles, quasi obsequi sanguini, & cũ sit halituosa, copiosiores et ardẽtiores spiritus excitare. Proinde cũ temperato sanguini copiosior miscetur atra bilis, accenditur sanguine, & suppeditat copiosiores et ardẽtiores spiritus. Cũ igitur alijs humoribus se sic attemperet, quia est densior & halituosior, fit ut hic humor magis uarius sit, quàm cæteri, & effectus habeat multiplices in ingenijs, moribus & morbis. Gubernant atram bilem, Saturnus & Mercurius, sed mixturæ luminum faciunt innumerabiles differentias. Mars rubram bilem gubernat. Præsunt sanguini Sol, Iupiter, Luna, & Venus, illi magis fouent uitali calore, istæ mouent & suppeditant humorem. Id discrimen in Sententijs Ptolomæi traditur, ὁ ἥλιός ἐστι ψυχὴ τῆς ζωτικῆς δυναμεως, ἡ δὲ σελήνη τῆς φυσικῆς.

Hactenus de humoribus & temperamentis breuiter dictum est, ut uulgares distinctiones & descriptiones sint in promptu adolescentibus, quas in physices initijs tradi maxime cõuenit, conducunt enim ad considerandam naturam humani corporis, & ad intelligendas membrorũ functiones, nonnihil etiam hæc prosunt moribus. Constat enim, mores imitari temperamenta corporum. Et ut infinita morum uarietas est, sicut Poeta inquit, Pectoribus mores tot sunt, quot

sunt, quot in orbe figuræ, ita existimandum est mirificas esse humorum mixturas, Vt sunt uarij stellarum positus; etsi temperamenta etiam aliquam à materia ac semine diuersitatẽ accipiunt. Plato postquàm de humoribus dixit, postea addit morbos & mores, qui inde oriuntur. Nos suprà in uitiosis humoribus, uno atque altero exemplo admonuimus Lectorem, ut meminerit certos morbos, à certis uitiosis humoribus oriri, integra enumeratio pertinet ad Medicos. Et tamen prodest, cum in anatomia, tum in humorum descriptione cogitare, qui morbi quibus partibus accidant, et ex quibus causis existant, id ad ualetudinis cõseruationem, & ad eruditionem in Physicis conducit. Cognitis igitur his initijs, postea alicunde petendæ sunt morborum & remediorum descriptiones.

Nec de moribus prolixè dicam. Temperata crasis gignit placidos mores, qui propriè ἤθη uocantur. Et quoniam declinare solent ad aliquem excessum, differunt mores, etiam in eucratis.

In Alexandro declinat temperata crasis ad sanguineam. Est igitur hilarior, amans conuiuiorum ac sodalitiorum, comitate sermonis mirifica, nec satis uerecundus, nec satis temperans, quum uino incaluit, iracundior.

In Scipione haud dubiè declinabat temperata cre-
Scipio — Melancholia — temperatè.
tis ad melancholiam, fuit enim subtristi ingenio, te-
cto, & ironico, amans solitudinum, cogitabundus.
Fertur enim illud Scipionis, se cum maximè solus es
set, minimè solum esse. Verecundus, grauis, sed cum
quadam comitate, certans etiam interdum falsè di-
ctis, animo excelso, & dirigente consilia ad ueram
rationem, non ad uulgi opiniones, patientia & mo-
destia singulari. Cessit enim tribunitijs criminatio-
nibus, ne si durius aduersaretur, excitaret ciuile in-
cendium, cum haberet exercitus in potestate, ac fa
cillimè posset illos sycophantas cõpescere, domi mo
dico et exiguo apparatu contentus fuit. In petitione
honorum, nõ offundebat oculis ciuium præstigias,
quibus alij utebantur, uidelicet comitatũ magnum,
non certabat profusionibus & ambitione populari.
Nihil uolebat uideri adferre ad petitionem, nisi so-
lam uirtutem. Deniq; nullum Ducem legimus in Hi
storijs, in quo ita luceat id, quod propriè uocatur
πολιτικὸν, coniunctum cum imperatorijs artibus, &
uirtutibus, ut in Scipione.

Sed excessus in alijs temperamentis considerẽ
Cholerici. — inconstantes, vt Aiax.
tur. Cholerici sunt feruidi, præcipites, incauti, non
satis diligentes, aperti, iracũdi, sed facile placabiles,
mutabiles. In omnibus affectibus animi, in lætitia,
ac dolo

ac doloribus habent subitos motus uehementiores, qui uocantur πάθη, ideo in furores aliquando incidunt, ut Aiax. Porrò hi mores in alijs magis, in alijs minus turbidi sunt, & in mediocribus ingenijs, ratione nonnihil regi, & ad moderationem flecti possunt. Quare natura obseruãda est, ut discamus eam arte regere, discamus etiã cauere alios, quorũ mores ad nostram consuetudinem non cõgruunt. Hæc prudẽtia in uita est necessaria, & pars est philosophiæ.

De melancholicis antè dictum est, horum est mirifica uarietas. Primũ illa Heroica Scipionis, uel Augusti, uel Pomponij Attici, aut Dureri melancholia generosissima est, & uirtutibus excellit omnis generis, regitur enim crasi temperata, & oritur à fausto positu syderum, sed quo longius ad excessus accedit, eo magis degenerat. Si dominatur melancholia phlegmatica, sunt ingenia segnia, stupida, ut suprà dixi. Sed si est adusta melancholia aut diluta copiosius bile rubra, quæ etiã paulatim aduritur, hinc magna est ingeniorum ac morum prauitas.

Primũ enim tales omnes superbi sunt, quia cum melancholia sit halituosa, flatus illi efficiunt uentosa ingenia, quæ res magnas concupiscunt. Deinde sunt suspicaces, morosi, occultatores, tenaces simultatum, immites, inuidi, obtrectatores, maleuoli,

ἄσοργοι, ut Timon, qui dictus est μισάνθρωπος, Diogenes, et alij Cynici, Cato. Est enim magna uarietas, ut sunt humores in alijs plus, in alijs minus uenenati, & propter diuersos syderum positus, & propter seminis naturam, & alij plus, alij minus naturæ uitijs repugnant. Nonnihil ad differentias temperamentorũ obseruandas conferunt exempla Poetarũ. Achilles uituperans Agamemnonem, tribuit ei caninam naturam, epulas amantem, θρασυδειλίαν, audacem & temerariam in lacessendis alijs, non in dimicãdo fortem. Hæ notæ conueniunt cholericis, ut canum natura est cholerica, qui sunt in lacessendo petulantes, & leuiter icti refugiunt, auide uorant. Sapienter autem Homerus discrimen monstrat inter Heroicum uirum, & uulgarem naturam, in qua non est illa uirtutis præstantia, quæ est in Heroicis ingenijs. Sæpe enim in republica peccatur ab ijs, qui hoc discrimen non obseruantes, uolunt pares uideri Heroicis uiris, illorum appetunt honores, & mouent pernicios a certamina. Vt post Alexandrum Duces aliqui uix mediocres, tamen Alexandri gloriam sibi promittebant. Post C. Cæsarem Antonius pollicebatur sibi imperium, cum quidem, ut Agamemnon inferior fuit Achille, ita Antonius procul abfuerit à præstantia ingenij, & magnitudine animi,

animi, quæ in Cæsare fuit. Exercuerunt & Scipionem homines inuidi, Lentulus, Asellus, & alij quidam, qui non intelligentes præstantiam illam uirtutis, Diuinũ quiddã esse, similes successus sperabant.

Deniq; sæpe in uita incidunt exempla, etiam in artibus, ut Virgilio pares haberi uolebant, Bauius & Meuius. De quibus inquit, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Prodest igitur intelligere discrimen, inter naturas Heroicas & uulgares, ut agnoscamus Heroicas uirtutes, diuinos adflatus esse. Quanquam enim, ut suprà diximus, temperata crasis declinans ad melancholicam, materia est idonea illis ingentibus motibus, tamen hi motus à Deo in illa materia adiuuantur, & gubernantur, ut Scipio diuinitus impellitur, & adiuuatur, ut uincat. Hæc naturarum discrimina considerantes, infirmitatem nostram agnoscamus, non conemur suprà uires, nec inuideamus præstantioribus. Sicut grauissimè monet Ioannis sententia, Nemo potest sibi sumere quidquam, nisi sit ei datum de cœlo.

Sed ad temperamenta & mores redeo, uide quantum sit interuallũ inter illos duos. Agamemnon est cholericus, θρασύθελος, ferox in lacessendo, habet impetus stultos, subitos, sed cito deflagrã-

tes, negligit negocia propter epulas, ideo enim uocat eum ebrioſum. Eſt ergo gregarius miles, ſine eximia uirtute, ſicut ei ipſe quoq; conuitiatur, τῷ δὲ μὴν γε νηπιὸς ἆϊσται. Quaſi dicat, nec regio animo præditus eſt, nec uirtutis præſtantiam intelligit, ſed ſtolidos impetus habet, ut gregarius miles.

In ipſo autem Achille, quanta eſt animi celſitudo? Intelligit Principis uiri munus, uidelicet res magnas pro communi ſalute gerẽdas eſſe. Et acerrimis ſtimulis ad hoc decus excitatur, ut Rex gerat reipublicæ utiles, delectatur ipſo labore, & ipſa uirtutis pulchritudine magis, quàm præmijs. Sicut Philoſtratus eum inquit Aiaci reſpondiſſe, cum enim interrogaretur, quos labores omniũ difficillimos, atq; aſperrimos ſuſtinuiſſet, tum Achilles, ſuſceptos pro amicis. Cumq; rurſus interrogaret Aiax, quos ſuſtinuiſſet iucundiſſimos, inquit ille, eoſdem, ſignificans nihil eſſe dulcius ingentibus animis ipſa uirtute, cum bene merentur de ciuibus. Sed à ſtolido duce adfectus contumelia, iraſcitur uehementius, nec ſtatim deponit offenſionem. Significant autem melancholicam naturam, illi acerrimi motus, & conſtantia in ſuſceptis laboribus, deinde & hic ingens æſtus iracundiæ ac pertinacia.

Non libet teterrima & monſtroſiſſima exempla ne-

pla uenenatæ melancholiæ recitare, ut Catilinam, Therſiten, & ſimiles, ut poetam Cineſiam, quem accuſat Lyſias, ſolitum irridere religiones, & feſta contraria uſitatis celebraſſe cum ſuis ſodalibus. Hac nouitate & petulantia, cum famã ingenij aucupare tur, & ſibi ualde placeret, nõ minus furebat, quàm Hercules, cum liberos & coniugem interficeret.

Habet & hæc ætas multa talia ingenia, plena ueneni & furoris, non diſſimilia Therſitæ & Cineſiæ. Sed hæc portenta omittamus. Nec opus eſt hic longiore diſputatione, ſatis eſt enim tenere generale præceptum, quod mores congruant temperamentis. Mixturæ uarietas uagatur in immenſum, quæ tamen in conſuetudine hominum conſideranda eſt, & interdum conferendus ſyderum poſitus. Eſt & gentium diuerſitas conſideranda, de quibus Ariſtoteles inquit, Sanguinem hominum in regionibus frigidioribus æſtuare, & dẽſiores fumos ac halitus ædere, q̃ in calidis & ſiccis locis, ubi naſcuntur homines infirmis corporibus, timidi & fugaces.

De Spiritibus.

Spiritus eſt ſubtilis uapor, ex ſanguine expreſſus, uirtute cordis incenſus, ut ſit uelut flãmula, ſuppeditans uim in exercendis actionibus. Etſi autem unus eſt fons ſpirituum, tamen locis diſcernuntur,

1. & mutantur. Spiritus uitalis, est flammula in corde nata ex sanguine, calorem uitalem deuehens ad cætera mẽbra, & impertiens eis uim exercendi actiones, quas calore uitali efficiunt.

Ad hunc usum conditæ sunt arteriæ, ut hunc spiritum transuehant, cuius quanta dignitas & uis sit, inde existimari potest, quod calore uiuifico semper opus est omnibus membris, ad substantiæ conseruationem, & ad nutrimenti conuersionem. Huius caloris fomes est, hæc ipsa scintilla, quæ uocatur spiritus uitalis, quem sic admirati sunt uiri sapientes, ut alij dixerint animam esse, alij proximum animæ instrumẽtum. Nec mortem aliter definit Aristoteles, nisi extinctionem esse caloris natiui, quum ait in libello de Iuuentute, senecta, Vita & morte, Mortem esse φθορὰν τοῦ θερμοῦ φυσικοῦ. Calorem autem spiritus impertit. Ideo de spiritũ conseruatione & instauratione diligenter traduntur præcepta, qui quidem uel nutritionis uitijs, uel morbis, uel cordis imbecillitate, motibus & affectibus, uel laboribus immoderatis corrũpuntur, aut extinguuntur, ideo magna cura fouendi & conseruandi sunt.

2. Spiritus animalis, uocatur spiritus, qui cerebri uirtute factus est lucidior, & conueniens actionibus sensuum, & neruis ciendis.

Assentior

Assentior enim illis, qui spiritus in corde primum gigni tradunt, postea transmissos inde ad cerebrum aliam ibi naturam accipere. Apparet enim cognatio spiritus uitalis, & spirituum in cerebro, Quod quibus cor est melius temperatum, horum sunt actiones in cerebro etiã præstantiores, id eo fit, quia spiritus melius temperati ad cerebrum perueniunt. Impediunt actiones cerebri, ira, mœsticia, amor, quia tunc spiritus magis turbidi sunt, ut minus fulgentes. Et Galenus Libro septimo de Dogmatum Hippocratis & Platonis consensu inquit, ὅτω τὸ ψυχικὸν πνεῦμα ἐκ τοῦ ζωτικοῦ κατεργαζόντο ὧδε πλέον ἔχει τὴν γνώσιν.

Porrò discerni has duas species, spiritum uitalem, & animalem necesse est, quia longè diuersa officia habent. Vitalis, impertit calorem. ψυχικὸς, ciet sensuum actiones, & neruos impellit. Et nonnulli contenti sunt his duabus speciebus., alij addiderunt tertiam, scilicet spiritum naturalem in hepate, qui fouet sanguinem, & in sanguine halitus excitat. Sed Galenus dubitat, an hanc speciẽ ponat, inquiẽs, εἰ δ' ἔστι τι πνεῦμα φυσικόν. Nam etsi spiritum in hepate esse necesse est, tamẽ is per arterias eò trãsuehitur. Et actio est eius spiritus, qui uitalis uocatur, calore uiuifico sanguinis generationẽ adiuuare.

3 Natij.

Hactenus

Epilogus

Hactenus et mẽbra humani corporis, et humores, & ſpiritus deſcripſimus. Hæc enim præcipuè conſi deranda ſunt in noſtris corporibus, quia ad neceſſa rios uſus atq; actiones deſtinata ſunt, et mira arte fa cta ac diſtributa. Nũc redeo ad uſitatas quæſtiones, quæ in ſcholis ſolebant tractari in libro de Anima.

Transit ad poſtulias aiã.

De potentijs & actionibus quærunt, nec poſ- ſunt uel potentiæ agnoſci, uel actiones dijudicari, niſi organa monſtrentur. Ad hæc autem opus fuit deſcriptione humani corporis, ideo hanc ut ſuprà monui, inſerendam hic eſſe duxi. Redeo igitur ad quæſtionem de potentijs.

Quot ſunt potentiæ Animæ?

Quinque numerantur, nec de numero rixabi- mur, modò ne prætereatur aliqua potentia in expli- catione. Sunt igitur hæ, uegetatiua, ſentiens, appe- titiua, motiua ſecundum locum, & intellectiua. Enu merant & Medici potentias, qui ſentẽtiam retinent eandem, uerbis alicubi alijs utuntur. Virtutes, inqui- unt, tres ſunt, naturalis, uitalis, & animalis. Natura- lis, eſt uegetatiua. Animali ſubijcit Galenus tan- quam partes, ſenſus exteriores, & interiores, ac motiuam. Vitalis, quæ eſt uirtus cordis, calorem ui- uificum ſuppeditans, fouet cæteras. Et ad cor perti- net appetitio ſenſuum, ut poſtea dicam.

De Vege-

De Vegetatiua.

Tria ſunt officia uegetatiuæ potentiæ, nutrire, augere, et gignere. Nihil repugno, ſi qui uolunt partiri uegetatiuam in tres potentias, nutritiuam, augentem, & generatiuam, nam hoc modo alij diſcernunt hos gradus.

De Nutritione.

Nutritio eſt conuerſio nutrimenti in ſubſtantiam animati, facta ui caloris naturalis, ut inſtauratio fiat in eo, quod abſumi cœperat.

Quæ ſunt organa in animalibus?

Nutritionis organa, uocantur membra propriè deſtinata ad accipiendum, tranſmutandũ, & tranſuehendum nutrimentũ, ſcilicet os, œſophagus, uentriculus, hepar, & uenæ deferentes ſanguinem. Hæc nomẽclatura organorum eſt commoda diſcentibus, quia his membris hæ functiones principaliter competunt, ut aduehant, & præparent nutrimentum. Quanquam enim nutritio fit uirtute omnium partium corporis, quæ conuertunt nutrimentum in ſubſtantiam ſuam, tamen cæteræ non uocantur huius officij organa, quia habent alias functiones principales. Ideoq; attribuũtur ſingulis membris uniuerſaliter quatuor miniſtræ facultates, attractiua, retentiua, alteratiua, & expulſiua, hæ facultates ſeruiunt

uiunt nutritiuæ, fit enim nutritio his modis. Nutrimentum attrahitur, retinetur, transmutatur, & assimilatur membro, & superfluitas expellitur. Hæc breuiter attigi, nam de his facultatibus Medici prolixè disputant.

Quomodo fit nutritio in corpore humano.

Plantæ nutrimentum per radices accipiunt. In insectis, & alijs minutis animalibus, item in piscibus desunt quædam membra. Quare omissis animantibus cæteris, dicam de nutritione in corpore humano. Ac primum de appetitione cibi & potus dicam, quæ ad uegetatiuam pertinet, non ad affectus cæteros. Ideoq; Plato uocauit hepar, sedem eius animæ, quam ipse ἐπιθυμητικὸν, concupiscentem nominat, intelligens, ut ego quidem iudico, appetitiones cibi, potus, & generationis.

Et quia mutilæ descriptiones famis & sitis uulgò recitantur, sumantur integrè ex Galeno, qui in primo de Causis symptomatum tradit hanc definitionem. Fames est sensus suctionis uenarum, quæ quum deest nutrimentum, mulgentur ab exhaustis membris, quare ipsæ uicissim sugunt uentriculum. Non igitur principale instrumentum est famis, melancholia in orificio uentriculi, sicut uulgò dicitur.

Fames.

Nec

Nec causa principalis appetitionis, est frigiditas sto machi, sed uera et propria causa est, uenarũ suctio, quæ exhaustis membris flagitant aliud nutrimentũ. Cum enim insit naturaliter omnibus, uis attrahendi ex uicino nutrimẽti, membra mulgent uenas, uenæ sugunt uentriculum, inde sequitur uentriculi & orificij corrugatio. Simul autem influit tunc melancholia ex proximo attracta, quæ sua mordacitate nõnihil acuit sensum illũ corrugationis, deinde imaginatio hoc iritata dolore, iudicat cibos quærẽdos esse.

Cum autem cibus sit calidus & solidior, ac natura corporum habeat opus refrigeratione, & rigatione liquidiore, existit etiam sitis in orificio uentriculi. Quæ est appetitio frigidi & humidi, orta ex sensu arefactionis in orificio uentriculi, quam efficit suctio uenarum, aut calefactio, ut in labore fit. Sed præternaturalem sitim bilioſi humores ibi excitant. Galenus diserte inquit famis & sitis organum esse, orificium uentriculi, propterea quòd in eo loco sentitur iritatio. Sitis

Iam addo modum nutritionis, in quo recitando eo breuior ero, quia in anatomia magna ex parte expositus est. Cum uẽtriculus accepit nutrimentum, amplectitur ipsum, ut coquat, & uertat in chylum. Postea chylus per πυλωρὸν emittitur in

duodenum

duodenum inteſtinum, & ieiunum. Ex ieiuno uenæ meſaraicæ rapiunt id, quod purius & liquidius eſt, ac tranſuehunt in hepar. Lutulentum uerò pellitur ex ieiuno in inferiora inteſtina. Tranſectus autem chylus in hepar, ibi coquitur, ac uertitur in maſſam ſanguineam, in qua inſunt (ut dictum eſt) quatuor humores. Sed horum fit quædam ſeparatio, rubra bilis magna ex parte deriuatur in folliculum fellis, multum atræ bilis in ſplenem tranſmittitur. Aquoſa ſuperfluitas, quum uentum eſt ad uenam cauam, plurima effunditur in uenas emulgentes, & defluit ad renes & ueſicam, fitq; urina. Sed ſanguis labitur ad cor, ubi dexter uentriculus haurit, & reddit ſanguinem, ac uitali calore temperat, ut fiat idoneum nutrimentum. Pars ſanguinis deriuatur in ſiniſtrum uentriculum, & uertitur in ſpiritus uitales, quibus opus eſt (ut ſuprà diximus) multis de cauſis, uidelicet ad conſeruandum calorem uitalem, & ut inde fiant ſpiritus animales. Ex dextro uentriculo cordis ſpargitur ſanguis rurſus in uenas, & in earum extremitatibus fit humiditas ſecunda, quæ cambium uocatur. Quæ iam membris apponitur, & aſſimilatur, quæ quidem aſſimilatio re uera eſt generatio quædam, facta à potẽtia nutritiua, uirtute caloris naturalis. Hic modus eſt nutritiõis, in quo gradus ſic diſcernũtur.

Digeſtiones

Digestiones quatuor numerantur, prima in uentriculo, secunda in hepate, tertia in uenis, quarta in membris, cum iam uertitur sanguis in secundas humiditates seu cambium, ut naturæ membri nutriendi assimilari possit. Auerrois tertiam reijcit, quod in uenis non accipiat sanguis nouam formam. Sed sequor usitatam distributionem, & concedendum est præparationes in uenis fieri. Traditur utilissima regula, Vitium prioris coctionis, non potest corrigi in posteriore. Quare cum uentriculus non fecit suum officium, nunquam fiet ex crudo chylo sanguis bonus. Ideo intemperantes, qui non concedunt otium primæ coctioni, replent corpus uitiosis humoribus, fiunt pallidi, & prosternunt uires uentriculi, ac deinde hepatis.

Dictum est de potentia, de organis, de modo nutritionis. Iam & de obiecto dicendum erat, uidelicet de nutrimentis, & de rebus conseruãtibus hanc potentiam, quæ numerantur sex.

Aër,
Cibus ac potus,
Somnus & uigilia,
Motus & quies,
Euacuatio,
Adfectus animi.

Hæc sex genera uocantur res non naturales, quia non sunt partes in hominis substantia. Nos hic recensemus, ut studiosi summatim considerent, quæ res ad conseruandam nutritiuam potentiam proprie pertineant, & admoniti in singulis maiore cura observent, quid conducat ualetudini, quid officiat.

Longum esset, disputare de aeris qualitatibus, & de temporum differentijs. Multo longius est, discernere ciborum & potuum genera, exercitia, euacuationes. Hæc doctrina petenda est à Medicis, qui integram complexi sunt, & tamen adolescẽtibus prodest, communissima præcepta tenere, quæ traduntur in libellis, qui inscribuntur de Regimine sanitatis. Sæpe citatur dictum Hippocratis, in quo complexus est, & res utiles corpori, & earum modum & ordinem, πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, ἀφροδίσια μετρίως. Primum locum tribuit labori, qui propter multas causas præcedere cibos debet. Excitatur calor, superfluitates consumuntur, & expelluntur, quod utile est, antequàm ingerũtur alij cibi. Vt enim si ad focum calefacias aquam, & iam feruenti infundas frigidam, rursus extinguitur calor, ita turbatur coctio, cum rursus cibi ac potus ingeruntur crudis. Id cauere iubet Aphorismus, τὰ μὴ καθαρὰ σώματα, ὅσῳ ἂν τρέφεις, μᾶλλον βλάπτεις. Sunt autem

autem utiliora exercitia, in quibus agitantur brachia, & thorax panditur, ut discutiantur superfluitates in pectore & pulmone. Et motus calorq;, diaphragmatis uentriculo prosunt.

Post cibum, cauendi sunt omnes uehementiores motus corporis & animi, cauenda & uocis contentio. Tribuenda est enim quies uentriculo, amplexo iam cibũ, qui cum agitatur, non potest integre concoqui. Motus enim aperit orificium, ubi exhalant calor & spiritus, aperit & pylorum, ubi crudus chylus ante tempus effunditur. Ac interdum subitum exitum afferunt, illi uehementiores motus post cibum, nec quisquam est, qui non experiatur sibi tales contentiones nocere. Itaq; uidemus natura etiam pecudibus hunc sensum inditum esse, quietem ut ament, postquàm pastæ sunt. Qualis est autem immanitas, homines prorsus contemnere ordinem à Natura institutum, utilem uitæ, & conseruandis non solum uentris, sed etiam ingenij uiribus?

Est etiam quædam diligentia, quæ eruditos præcipue decet, cibi & potus discrimina considerare, qui iuuent, aut offendant corpus. Vt calidis & siccis, minimè prosunt calida aromata, & pleniora uina. Ad somnum conciliandum prosunt lactucæ, & cibi ex amygdalis facti. Talia discrimina signi-

ficat Hippocrates, cum ait, ὧν τροφῇ φαρμακείῃ ἄρεισον, admonens res quasdam, simul & cibos & medicamenta hominibus esse, ut de amygdalis iam dixi. Obseruet igitur quisque, qualibus cibis opus habeat. Rursus medicamenta, quæ non sunt cibi, nequaquam cibis miscenda sunt. Ideo alteram sententiam addit Hippocrates, ὧν τροφῇ φαρμακείῃ φλαῦρον.

Hæc obiter adieci, & ut animaduertant studiosi, ad hunc locum de Nutritiua potentia, pertinere multo copiosiorem doctrinam, quàm quæ in his Libellis tradi solet, & ut cogitent diligentiam in tuenda ualetudine, uirtutem quandam esse, quæ etiam ad Naturæ considerationem animos inuitat.

De somno tradi solent in his Libellis descriptiones, quare nos quoque hic somni causas & utilitates colligemus. Erunt enim illustriora, quæ de nutritione diximus, collatis somni causis & utilitatibus.

Est autem somnus animantibus ingentium utilitatum causa additus, ideo id beneficium gratum nobis esse debet, & non negligendum, habent & causæ eruditas disputationes.

Somnus est quies animalis uirtutis, quæ fit, cum uapores utiles ex nutrimẽto exhalant in cerebrum, qui ibi suauiter liquescunt, & defluẽtes in cerebro, obstruunt

obſtruunt meatus ſenſuum & neruorũ motiuorum. Et ut copioſiores halitus non crudi aſcendant, cor intrò calorem & ſanguinem reuocat. Conducitq; ea quies ad recreandas tres uirtutes, ad rigationem cerebri, ad generãdos ſpiritus, & ad perficiendum officium uentriculi & hepatis. Auicenna tradidit breuem definitionem, quam antefero cæteris, quæ paſſim recitantur, Somnus eſt quies animalis uirtutis, cum intentione naturalis. Sed iudico etiam uitalem tunc recreari, quia intro calorem & ſanguinem reuocat, & gignit maiorem ſpirituum copiam.

De cauſa materiali, conuenit uapores eſſe ſuaues, qui cum liqueſcunt, defluentes obſtruunt meatus ſenſuum. Non enim ſunt uiſcoſi aut lenti humores, qui lædunt cerebrum, & apoplexias efficiunt, ſed ſuaues halitus, qui poſtquàm aſcenderunt, frigiditate cerebri denſantur, ac defluunt rigantes & humectantes cerebrum. Ideoq; Ariſtoteles Euripo hunc uaporum motum confert, quod aſcendentes refluant, & alij ſuccedant.

Conuenit & de formali cauſa, quietem eſſe, hoc eſt uacationem ſenſuum exteriorũ & motus. Nam interiores ſenſus minus impediuntur.

Sed cauſa efficiens obſcurior eſt, conſtat intro reuocari calorem & ſanguinem, ut ait Hippocra-

tes, φαῖμαι ἐμ ὕπνῳ ἔσω μᾶλλον φόὺγει, & corpora tunc, etsi intus magis calent, tamen foris minus calent. Ideo pluribus tegumentis opus est dormiẽti. Fit autem caloris & sanguinis reuocatio, quia cum inchoata est coctio, naturaliter exhalant uapores, cumq; uapores liquefacti descendunt, obuij calori cordis pelluntur ad exteriora. Ita magis magisq; calor repellitur ad fontem, qui collectus & intensus perficit coctionem, ut copiosior & dulcior halitus ascendat. Sed meo iudicio, quòd calor redit ad fontem, non tam fit propter uapores destillantes, quàm quia diuinitus ita consociatæ sunt potentiæ. Habet cor hunc regium impetum, ut laborantibus membris opitulari conetur, ideo ut uentriculi & hepatis actionem necessariam adiuuet, reuocat calorem. Cumq; foris quies cœpit, in eo ocio fortius attrahit calorem, quia ipsi etiam cordi opus est illo interuallo ad gignendos spiritus. Nec profectò satis illustrem causam uideo, quare calor tam copiosus reuocetur, nisi hanc potentiarum consociationem diuinitus ordinatam, ut cum foris quies incipit cor uel sua causa, uel propter uentriculum ac hepar, reuocet ad se copiosiorem calorem, & adiuuet actiones interiores necessarias ad naturæ conseruationem. Vt unusquisq; suo periculo maxime adficitur, & primum

& primum sese tueri cupit, ita membra singula præcipue sibi consulere conantur. Indita est hæc inclinatio naturis omnibus, sese ut conseruare cupiant. Ideo cor sua causa præcipue calorem attrahit, quia sanguine & rigatione iam opus habet, & spiritus exhausti sunt, ideo adiuuat fontem sanguinis, ut foueat sese, & gignat spiritus. Huc accedit, quod interea cerebrum defatigatum, & quietem expetens, per sese desinit mouere exteriora membra. Consentiunt omnium uirtutum actiones, cum naturæ opus est quiete ac recreatione. Et hunc consensum Deus indidit membris, ut post defatigationem hac quiete reficerentur.

Sunt igitur causæ finales, beneficia ingentia, quæ singulis uirtutibus confert somnus, opitulatur nutritiuæ, quia perficit coctionem. Nec quidquam certius est, quàm immedicabiles cruditates ab insomnia effici. Quia non solum cibus non concoquitur, sed interea uirtus uentriculi prosternitur, partim onere crudi cibi, partim quia nerui læduntur, propter cerebri imbecillitatem, quam adfert insomnia. Sicut in genere ait Hippocrates, Vigilias adferre spasmos & desipientiam, ὑπὸ ἀγρυπνίης σπασμὸς καὶ παραφροσύνη. Vidi enim, qui propter insomniam sentiebat spasmos crebros in cerui-

ce, & tremores in pedibus, & insignem uentriculi imbecillitatem. Exhalat etiã calor natiuus, quia non rectè fouetur uitali spiritu.

Hinc intelligi potest, quantum opus sit somno, ad conseruandas actiones uirtutis nutritiuæ. Verè igitur Ouidius,

Is quoq;, qui gracili cibus est in corpore somnus.

Et Virgilius, Fessos sopor irrigat artus.

Nam cum coctio recte perfecta est, omnibus membris distribuitur nutrimentum, quod membra irrigat. Gignuntur spiritus, qui nouas uires addunt, & tamen æstus corporis ipsa quiete mitigatur. Perfunditur etiam corpus, quadam utili & suaui rigatione ex cerebro. Recipit cerebrum & uires, unde fiunt nerui uiuaciores.

2 Prodest igitur & uitali potentiæ, quia corre-
uocans calorem, gignit magnam copiam spiritus,
3 qui fit lucidior, quo sanguis est purior. Tertio pro-
dest uirtuti animali, ad cuius conseruationem præci
puè datus uidetur somnus. Extinguitur enim sicci-
tate nimia, tota cerebri & neruorũ uirtus, nisi som
no foueatur, in quo cerebrum suauiter humectatur,
& rursus colligit uires. Quàm gratum etiam hoc
interuallum est in morbis & doloribus, quibus sæ-
pe utiliter medetur somnus.

Dic

Dic Aristotelicam definitionem.

Somnus est quies principij sensuum, seu ut Aristoteles loquitur, πρώτου αἰσθητικοῦ. In hac descriptione, si cerebrum intelligeretur esse πρῶτον αἰσθητικὸν, non dissideret autor à cæteris. Sed Aristoteles addit aliam rationem, intelligit πρῶτον αἰσθητικὸν, cor esse. Non fit autem somnus propriè, impedito corde, aut cessante. Constat enim, in somno spirationem cordis multo fortiorem esse, propter reuocati caloris copiam, quàm in uigilantibus. Non igitur impetitum est cor, nec cessat in somno natiua ipsius actio. Quare Galenus deridet non definitionem Aristotelicam, sed enarrationem, eamq; claudicare inquit. Sed, ut fit, error parit errorem. Aristoteli persuasissimum erat, cor esse immediatum principium motus & sensuum. Ideo quum in somno cessent, motus localis & sensus, affingit cor impeditum esse, nec animaduertit repugnantiam. Cor enim non cessare, spiratio fortior testatur. Præterea nerui, sunt propria instrumenta sensuum, & motus localis. Neruos autem oriri à cerebro, testatur inspectio. Ideo cum cessant sensuum actiones, quærenda est causa proxima in cerebro. Hæc breuiter adieci, ut studiosi obseruẽt, quam partem huius disputationis Aristotelicæ reprehende-

rint Veteres. Recentiores excogitauerunt quaſdam argutias, ut mederentur huic errato, quas uolens omitto. Satius eſt enim, ſine ſophiſtica retinere uera & plana dogmata.

Illa quæſtio addenda eſt, quare cum motus localis ceſſet, moueantur tamen muſculi thoracis in ſomno, in ſpiratione, quia etſi alias muſculi ſeruiunt uoluntarijs motibus, tamen muſculi thoracis mouentur mixto motu, partim enim cientur uoluntario motu, partim impelluntur à ſpiratione. Sicut urinæ meatus aperiuntur non tantum uoluntario motu, ſed etiam in nolentibus cedunt erumpenti urinæ. In apoplexia deſinit ſpiratio, quia læſo & corrupto principio neruorum, uidelicet cerebro, ſimul extinguitur uis neruorum, qui directi ſunt in muſculos thoracis, prorſus igitur deſinit motus. At in ſomno principium neruorum ſuauiter recreatur, quare quum nerui ſint incolumes, poſſunt muſculi cieri à ſpiratione.

De ordine cibi & ſomni, cognitis cauſis ſomni, facile eſt ratiocinari, nec inanes ſuauiter dormire, nec immodico cibo oneratos. Laudatur igitur Homeri uerſus, qui in ultimo Odyſſeæ inquit,

ἐπεὶ λοῦσαντο φόωι τε,
εὖδ' ἔμεναι μαλακῶς, ἥ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

Vt lauit

Vt lauit, ſumpſitq; cibum, dat membra ſopori,
Mollibus in ſtratis, uacuus curaq; metuq;,
Corpora ceu prodeſt ſenio confecta foueri.

Balneæ antecedant cœnas, à cœna exiguum ſit interuallum ad ſomnũ. Molli ambulatione cibus ex orificio uentriculi deſcendit, & orificium clauditur. Deinde quies gratiſſima eſt uentriculo, ac primum in dextro latere cubandum eſt, ne hiet os uẽtriculi. Fit igitur collecto calore in ſomno coctio, prohibetur cruditas, conſeruatur calor naturalis, gignitur ſanguis ſuauior, ſequitur & uiriũ et coloris bonitas.

Nec dubium eſt, certiſſimam eſſe perniciem uirium corporis & ingenij, extendere uigilias poſt cœnam in multam noctem. Quia non tantum cruditas ſequitur, ſed diſſipatur calor naturalis, langueſcit uirtus uentriculi, gignitur ſanguis impurus, corpus uitioſis humoribus repletur, ſequitur aut κακοχυμίαι, aut macies, accedunt pallor, conturbatio ſpirituum, debilitas cerebri. Quare aſſuefacienda eſt iuuentus, non modo ne conuiuia producat in multam noctem, ſed etiam ut lucubrationes omittat principio noctis, nec tempus ad quietem diuinitus conſtitutum omnibus animantibus, transferat ad exitioſos labores. Vidi in hac re magnorum uirorum diligentiam, qui onerati publicis curis ac negocijs

gocijs, hunc morem ſtudioſe ſeruabant, ut à cœna ſtatim irent cubitum, matutinas autem lucubrationes tribuerent negocijs. Seneca ſcribit, Affinium à cœna nullas epiſtolas ſolitum reſignare aut legere, ut animo magis uacuo iret cubitum. Vt enim poßis, ſicut Homerus inquit, molliter dormire, uitanda eſt cruditas, & opus eſt animi tranquillitate. Nam dolor cordis, item ſanguinis ac ſpirituũ æſtus, in metu, mœſticia, ira, nimis intẽta cogitatione, impediũt cerebri quietem, nec ſinũt cor uacare huic dictioni naturali. Nec nihil eſt ſceleris, naturam corporum à Deo conditam, temerè & crudeliter affligere & corrumpere, cum Diuinæ literæ præcipiant, honorem tribuendum eſſe corpori. Adhibenda eſt igitur diligẽtia, ut quantũ fieri poteſt, rectè fruamur quiete diuinitus ordinata, quæ quidem nos etiã de reſurrectione noſtra admoneat. Sicut diuinitus ordinata eſt hæc quies, ut in ea quaſi renaſcatur uita, quia tunc maxima ſpirituũ copia naſcitur, ita cogitemus pijs mortem, non æternã miſeriam eſſe, ſed interuallum, in quo nos renaſci oportet ad uitam meliorem.

De Somnijs.

Etſi quæſtio de ſomnijs pertinet ad locum de interioribus ſenſibus, tamen hic obiter eam adijciam, non enim perſequar ambages phyſicorum, qui cum conantur

conantur omnis generis somnia ad physicas causas referre, ineptè faciunt. Homerus uenustè lusit, de duabus somniorum portis, quorum altera sit aditus inanium, altera significantium. Est autem somnium, imaginatio facta in somno, uariè scilicet in cerebro discurrentibus spiritibus, qui sunt cogitationum instrumenta, & efficiunt simulachra. Porrò in somno, aliquanto minus impediti sunt sensus interiores, quàm exteriores.

De Diuersis somniorum generibus.

Contraham in pauca genera, docendi causa, fugacissimas maximeq; uarias imagines.

Primum genus est somniorum, quæ sunt uulgaria, & omnibus communia, quibus si appellatio certa tribuenda est, uocentur sanè physica, quia causæ naturales ac propinquæ sunt in conspectu, uidelicet quum offeruntur imagines ijs de rebus, quas uigilantes sæpe cogitamus. Vt Claudianus inquit,

Iudicibus lites, aurigæ somnia currus.

Tale & illud Theocriti est,

πᾶσα λύων ἄρτυς μαντεύεται, ἰχθύα λαχών.

Aut cum respondent somnia certis humoribus, quorum redundantia aut agitatio, mouet imaginem seu spiritus. Vt qui abundant uitioso phlegmate, somniant se natare. Ita ephialtæ fiunt in somno, cum crassus

ſus humor, ſeu in cerebro ſeu in thorace impedit motum thoracis, eaq; compreſsio mouet imaginationem, ut cogitet premi thoracem ab aliquo alio.

Secundum genus uoco præſagiens, quod tamen nõ eſt Diuinum. Sed ut temperamento naturæ, ſeu peculiari proprietate, ſeu naturali dono, alius alio magis muſicus eſt, aut agilior ad ſcandendum ſic quodam naturali dono, ſeu proprietate, multi habẽt præſagiẽtia ſomnia, quibuſdam quaſi allegorijs pingentia futuros euentus, qualia legũtur Syllæ & Luculli ſomnia. Auguſti Medicus ſomniauerat, in caſtris diripi tabernaculum Auguſti, admonitus igitur Auguſtus inde diſceſsit, nec fefellit euentus. Nam poſt pugnam fugato illo cornu, direptum eſt tabernaculum, ut Medicus ſomniauerat. Cicero multa recitat, & ipſe ſomniauit Octauium Principem reipublicæ fore, prius quàm puerum noſſet. Pontanus ſcribit militem Genuæ ſomniaſſe, ſe à ſerpente deuorari, quare eo die cum cæteri milites imponerentur nauibus dimicaturi cum hoſtibus, ipſe domi ſe continuit, ſed fortuitò tumultu orto in urbe alioqui tranquilla, ictus globo bombardæ, quam ſerpentem uocãt, perijt. Galenus ſcribit quendam phthiſicum ſomniaſſe, ſe balneari in ſanguine ſuo, qui cum poſtridie ſomnium narraret Medicis, iudicant illi ſanguinem

guinem in eo redundare, & dehortante Galeno uenam ei incidunt, ita hic destitutus uiribus moritur, ut præuiderat, sanguine suo ablutus. Hoc genus somniorum non habet causam perspicuam in humorum motu, copia, aut qualitatibus primis, ut de primo genere diximus. Sed quædam sunt naturæ præsagientes, quas uocat Aristoteles Loquaces naturas, φύσεις λαλὰς καὶ εὐθυονείρους, καὶ εὐσόχους, quæ habent crebra somnia significantia, nec repugno, si quis huius proprietatis causam esse contendet, temperamenti præstantiam, ut Astrologis uidetur. Sed inepti sunt, qui præcepta de interpretationibus tradunt, & causas in humorum motu quærunt, cum quidem alij alias habeant imagines.

Tertiũ genus Diuinũ est, quod Deus inserit mẽtibus uel per sese, uel per Angelos. Talia sunt uaticinia Iacob, Ioseph, Danielis, et similiũ, quæ Sacræ literæ affirmãt Diuinitus mõstrata esse, non de leuibus negocijs, sed de Christo, de gubernatione Ecclesiæ, de imperijs, et eorũ ordine. Hoc genus somniorũ diligẽter discernendũ est à cæteris, nã cætera omnia sunt fallacia, hoc unum genus certũ est, ut postea dicam.

Quartum genus est diabolicum, ut cum ueneficæ uidentur sibi interesse conuiuijs ac ludis, cum sæpe compertũ sit eas nusquam abijsse, sed dormiẽtes

gestu

gestu & clamore somnia conuiuiorum & saltationum significasse. Sæpe etiam diabolus spectra terribilia dormiẽtibus offert, ut de Cassio Parmensi scribit Valerius. Quidam Latinus iussus erat Consuli quædam indicare de Ludis, quod cum non feciſſet, diabolus ei filium interemit. Hic & causa & euentus ostendit, somnium diabolicum fuisse, nam diabolus & impios ritus stabilire conatur, & delectatur iniusta nece. Talia fuerunt multa superstitiosa superiorũ ætatum, & his annis plurima audiuimus phanatica Anabaptistarum somnia, scelus iubentia, aut confirmantia errores, quæ quidem facile à pijs & prudentibus dijudicari possunt.

Recensui genera, quibus consideratis, facile est iudicari de usitata quæstione, An ex somnijs diuinari possit, & an fides sit habenda somnijs. Vnum genus certum est, cui soli fides habenda est, uidelicet Diuinum. Et Diuinatio certa est tantùm huius generis, quum uidelicet Deus etiam addit testimonium, ut hi quibus talia uicinia monstrantur, sciant à Deo profecta esse. Iacob, Ioseph, sciũt sua somnia Diuinitus monstrata esse, & intelligunt significationem. Ita Danieli addit Deus illustre testimoniũ, cum Nabugdonosor oblitus esset somniũ, id rursus ostendit Deus Danieli, ut testetur se autorem esse.

Ideo

Ideo hoc genus excipitur à regula, quæ prohibet credi somnijs. Quando enim Deus ea monstrat, & testatur se esse autorem, credi necesse est, de cæteris omnibus nihil adfirmãdum est. Quartũ genus in uniuersum detestandũ est, quo multi fanatici homines decepti sunt, ut olim Manichæi, monachi, & recens Anabaptistæ. Primũ genus plærunq; est ἄσημον. Et ad id recte quadrant uersus Tibulli,

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Secundi generis somnia, etsi sunt coniecturæ, tamen adfirmatio prohibita est. Quare non est eis habenda fides, ac plærunq; aliqua inest ambiguitas, ferè genus monstrant, non diserte speciem. Ideo multi Reges & Duces hoc genere somniorum decepti sunt. Pompeius ut postremum cum Cæsare prælium committeret, somnio motus est. Victoriam sibi promitti interpretabatur, quia somniauerat, sibi Romæ in suo theatro sedenti plausum à toto populo dari. Sed errabat Pompeius in interpretatione, plausus enim non uictoriam, sed incitationes illas significabat Domitij, Lentuli, Labieni, qui postridie eum adhortantes ad pugnandum, promittebant ei certam uictoriam, & inani spe animum incendebant. Darius somniauerat se uidere Macedonicum exerci-

tum incedere ardentem, per Asiam, ac uenire Babylonem, ibiq; Alexandrum indutum ueste Persica ire in templum, ac statim euanescere. Arbitrabatur ergo Darius, Macedonico exercitui significari exitiũ per flammas, & Alexandrum indutum ueste Persica, uenturum in seruitutem. Sed flammæ significabant celeritatem & uictorias. Vestis significabat Alexandrum potiturum regno Persico. Hamilcar somnians se intra Syracusas cœnare, postridie constituit oppugnare urbem, cuinq; exercitum conuocat, orto tumultu capitur, & ductus in urbem captiuus ibi cœnat. Cũ igitur sæpe fallat hoc genus somniorum, non est ei certa fides tribuenda. Sint sanè coniecturæ, quibus interdum respondent euentus. Sed sciamus esse fallaces & incertas coniecturas, ut aliæ multæ sunt in natura. Vitetur superstitio. Meminerimus dictum esse à Salomone, Vbi multa sunt somnia, ibi multum est uanitatis & errorum. Tu uero Deum time.

Sed ne nimium euagemur, redeo ad potentiæ uegetatiuæ descriptiones.

De Auctrice potentia.

Vt de nutritiua quæsiuimus, quæ sit ea potentia, quæ habeat organa, quomodo fiat nutritio, ita deinceps de cæteris hunc sequemur ordinem.

Quid

Quid est Augmentatiua potentia?

Tempore differt à nutritiua & quantitate. Est enim potentia, quæ certo tempore prouehit animal ad iustam magnitudinem. Medici uocant uim crescendi, ac sapienter uiderunt peculiarem in natura uim ad hoc ordinatam esse, ut prouehat corpora ad iustam magnitudinẽ, qua absoluta deinde hæc cessat. Nam pinguefactio plurimum differt ab augmentatione. Est enim Augmentatio cum corpus secundum omnes dimensiones longitudinem, latitudinem & spissitudinẽ crescit, ac proportione omnia membra augentur, quod fit usq; ad iuuentutis initium, uidelicet usq; ad annum quintum & uicesimũ, aut circiter. At in pinguefactione non crescunt membra, sed additur carni quædam humiditas superflua, ex bono sanguine redundans. Non enim loquor de κακοχυμίᾳ, quæ est humorũ prauitas in toto corpore.

Quæ sunt organa?

Eadem quæ sunt nutritiuæ uirtutis, quia (ut dixi) tempore ab illa differt, non causis.

Quomodo fit eius actio?

Eodẽ modo, ut nutritio, sed quãtitate differt. In adolescẽtia, donec calor natiuus fortis est, plus nutrimẽti cõuertit in substãtiã, quã amissũ est. Ita crescũt omnia mẽbra, fiuntq; simul nutritio & augmẽtatio.

Postea quum uentum est ad ἀκμὴν, nutritiua non plus nutrimenti conuertit, quàm amissum est. Quia constitutæ sunt omnibus animantibus metæ incrementi ac decrementi, sicut usitatè dicitur. Galenus addit physicam rationem, ait actionem in conuertendo debiliorem esse, quia uasa tunc sunt siccio ra. Sed illustrior causa est ordo Naturæ sic institutus, qui ubiq; nos admonet, Naturam non esse casu ortam. Quare non est perpetua ἀκμὴ, quum tamen in nutritione subinde sarciantur amissæ partes.

Vt in flamma lychni necesse est esse quandam humiditatem glutinantem flammæ partes, sic in corpore animantis, est quoddam aereum humidum, optimum, quod uocatur radicale, fusum per totum corpus, propagatum à semine, glutinans omnes partes. In quo radicali humido immediate uehitur calor cœlestis & uiuificus. Hoc humido extincto, calor etiã euanescit. Depascitur autem humidum à calore, & uicißim calor pabulo deficiente fit languidior. Vt flamma attenuatur deficiente pabulo. Quanquã autem alitur humidum radicale quotidiano nutrimento, tamen quod acquiritur in omnibus membris, in nutritione est impurius. Vt in uino, dum uis est integra, facile in naturam conuertit pauxillum aquæ. Sed si paulatim plus aquæ infundatur, fit uinum impurius.

purius. Paulatim igitur deficit uita, quia illud humidum, quod acquiritur, non sic nutrit calorem, ut radicale humidum. Nec calor conuertere nutrimentum ita potest, ut æquet radicale humidum. Labi ergo & depasci utrunq; necesse est, humidum radicale, & calorem innatum. Hæc est causa quare ἀκμὴ non sit perpetua, quare citò accedat senectus. Deniq; hæc est causa proxima & interior mortis non uiolentæ, quod uidelicet extincto radicali humido, euanescit calor innatus. Et ut extinguatur humidũ, uicissim debilitate fit caloris, qui non potest ita conuertere nutrimentum, ut æquet radicale humidum, ut si flammæ subinde adderetur deterius alimentũ, quo fieret, ut paulatim attenuaretur. Ideo Aristoteles definiuit Mortem, esse extinctionem innati caloris, uidelicet absumpto radicali humido. Sed externæ & uiolentæ causæ plurimæ esse possunt, quæ & calorem natiuum debilitent, & exhauriant, ac reddant impurius radicale humidum, ut intemperantia, defatigationes omnis generis. O deplorandam uitæ fugacitatem. Et tamen ante tempus pleriq; omnes mortem ultrò accersimus, quadam Barbarica immanitate contemnentes præcepta sanitatis. Nec cogitamus aut Dei dono reuerenter utendum esse, aut opus esse longiore spacio uitæ, ad rerum bona-

Mors.

rum inquisitionem, ad iuuandos & gubernãdos nostros, ad Ecclesiæ aut reipublicæ utilitatem.

Quid est generatiua?

Est potentia in animantibus, generans simile, ordinata ad speciei conseruationem, estq; hic diligenter considerandus ordo. Nutritiua conseruat individuum. Augmentatiua prouehit ad iustam magnitudinem. Generatiua conseruat speciem. Hic ordo non extitit casu. Quod autẽ illustrius testimonium est, Naturam nõ extitisse casu, quàm quod non promiscue nascũtur dissimilia ex singulis. Sed sunt certæ species, & certa lege, certo modo nascuntur ex singulis similia. Id non fieret, si casu, si temere, sine consilio Opificis omnia orirentur. Quare Cyclopicas Epicuri disputationes execremur, qui sine consilio Dei extitisse hanc Naturam contendit.

Est quædam digna bonis mentibus diligentia, obseruare in Natura significationes, quæ testantur eam Diuinitus ortam esse, ut Deum agnoscamus, et ut Natura ipsa, & actionibus naturæ, nutritione, ac generatione reuerenter utamur, tanquam diuinis muneribus, quorum abusum uidemus horribilibus pœnis puniri. Quàm multis non solum morbis, sed etiam alijs tristissimis casibus puniuntur helluationes & libidines? Nec profecto illæ pœnæ casu accidunt.

cidũt. Hæc cogitare in his disputationibus utile est. Cæterum de organis generatiuæ, & de semine ac formatione fœtus, suprà dictum est, inde transferendæ sunt materiæ, quæ ad hũc locum pertinent. Vt autem diligentius cogitemus de hoc admirando ordine propagationis, quòd ex similibus similia procreantur, adscribam dictum Aristotelis, quod laudari ac celebrari ab omnibus solet. Naturalissimum opus est, in uiuentibus generare simile. Multa autem significat, cum ait φυσικώτατον, uidelicet & quod omnes Naturæ appetant conseruationem speciei, & quod uis propagationis non temerè accidat animantibus, sed mirabiliter insita certa lege ac certo modo ordinata sit.

DE POTENTIA sentiente.

Quid est potentia sentiens?

Est quæ ad cognitionem singularium in corporibus animantium condita est, ac facile est iudicare de ordine & utilitate. Accedit cognitio ad priores gradus, tanquam beneficiũ præstantius, quod in homine necessarium est, non solum ad quærenda uitæ præsidia, ut in pecudibus. sed etiam ad officia cõmunis societatis, & ut et sensus sint nũcij mentis. Sicut dicitur, nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in

ſenſu, de quo dicto infrà diſputabimus. Eſt igitur ſenſus potentia, quæ certo organo apprehendit, & cognoſcit ſingularia obiecta. Sunt autẽ ſenſus dupli ces, alij exteriores, alij interiores. Senſus exteriores ſunt quinq;, uiſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus.

Quid eſt ſenſus uiſus?

Eſt ſenſus percipiens oculis lucem & colorem, tanquam propria obiecta, & magnitudines & figu ras, numerum, motum, ſitum corporum, tanquam communia obiecta. Admiranda & grata res eſt lumen. Nec multũ à morte diſtaret uita, ſi eſſent perpetuæ tenebræ. Quare ingens beneficium eſt, frui luce. Hæc cogitanda ſunt initio de fine & utilitatibus huius ſenſus, nam earum magnitudinem nemo poteſt uerbis aſſequi. Admiratio tamen in animis iuuenum excitanda eſt, ut inuitentur ad conſiderationem Diuinorum operum. Ideo Plato his deſcriptionibus adiecit laudationes, & de oculis inquit, præcipuè ad hunc uſum datos eſſe, ut ſint duces ad agnitionem Dei, monſtrato cœli lumine, & oſtenſis legibus motuum cœleſtium, nam horum cognitio maximè nos admonet de Deo opifice. Et illa perſpicua agnitio Dei, qua in æternitate fruemur, admirabilis quædam lux eſt, de qua cogitare debemus, cum hoc pulcherrimum cœli lumen aſpicimus.

Quod

Quod eſt organum?

Oculus, & in oculo proprie cryſtallinus humor, qui & ſua natura lucet, & afferunt ei ex cerebro ſpiritum nerui optici, qui attingunt foramen iridis. Hic ſpiritus uitã impertit oculis, eſtq; uelut flammula quædam, naturã referens cœleſtis lucis, tribuens illis uiuendi. Cætera de organo ſuprà dicta ſunt.

Quod eſt obiectum?

Propria obiecta ſunt, lux & color. Eſt autem color, qualitas mixti corporis, participans lumen, id eſt orta à mixtione lucidorum cum obſcuris. Sed quomodo obiecta perueniant ad oculos, magna eſt quæſtio, an uidelicet ab obiectis ſpargatur lumen quoddam, quod uocatur ſpecies uiſibilis. Vt cum in ſpeculis reddantur imagines, exiſtimamus ab obiectis aliquod lumen tranſmiſſum eſſe, quod cum reflectitur, & coit, integram efficit imaginem. Ideo in uulgaribus præceptis, docendi cauſa diſcernunt uocabula lucis & luminis. Lucem uocant fontẽ ipſum, ideſt qualitatem in corpore lucido, ut in ſole, ſtellis, cœlo. Sed lumen eſt ſpecies propagata, & diffuſa à luce, ſicut à ſole undiq; radij ſpargũtur. Videmus enim radios ſolis in obſcuris locis inſertos per foramen, cum ſcilicet ab altero pariete reflectũtur, coit enim lumen denſius, ut conſpici poſſit. Videmus &

Color.

refractos radios, qui ſic uocãtur, cum in medio denſiore in aqua aut uitro lumen coit. Eſſe igitur aliquã à luce propagatã & effuſam qualitatem in aere, teſtantur oculi. Ita cum omnibus corporibus aliquid lucis admixtum ſit, unde color oritur, aiunt à colore ſpargi ad eundem modum quoddam lumen, quod uocant ſpecies uiſibiles. Id lumen aiunt eſſe, quod cum coit in ſpeculis, aut in ſuperficie aquæ, reddit imagines. Ac ſpecies illæ dicuntur in uidendo efficere pyramidem, cuius baſis eſt in re uiſa, conus uerò incurrit in oculum. Fitq; eo pyramis minor, quo longius ab obiecto diſtant oculi, nam paulatim attenuantur ſpecies. Hæc in ſcholis ſententia communis eſt de ſpeciebus, nec uolo hac de re mouere controuerſiam, ſic loquuntur Artifices optici. Et profectò mirifica uarietas imaginum in ſpeculis me mouet, ut tollere ſpecies non auſim. Occam audacter tollit ſpecies, & arbitratur corpora apparere in lucida ſuperficie, quia ſic condita ſit natura, ut in lucidis cerni res poßint. Exiſtimat opticos loqui de lineis mathematicis, nõ quod re ipſa gignat color lumen, ſed quod his lineis perferatur ad oculos.

Non faciam litem meam, ſed utar uerbis uſitatis, ceu docendi cauſa. Species ſic uocantur, ſeu re ipſa eſſe credũtur, dicam & ipſe, attingi oculos per has

has ſpecies, atque ita uiſionem fieri. Mouet enim me & illud, quod res teſtatur, in uiſione oculos affici, Vt cum oculo obijcitur fulgur, & ut uocant excellens ſenſibile, lædi oculos ſentimus, quod neſcio, an fieret, ſi non aliqua à luce propagata qualitas recipe retur in oculo. Deinde cum caua ſpecula reddunt prorſus inuerſas imagines, ut ſtare in capite uidean tur, niſi quia ſpecies longe aliter reflectuntur ex ca uis, quàm ex planis, aut conuexis. Sed, ut antè dixi, hanc controuerſiam omitto. Mira & imperueſtigabilis eſt lucis natura. Et tota uiſionis ratio, plena eſt miraculorum, nec poteſt integrè explicari.

Quis eſt modus uiſionis?

Nonnulli exiſtimarunt uiſionem fieri, radio ex oculo emiſſo, & feriente ſeu comprehendente obiecta, ſed Ariſtoteles refragatur. Nam oportet in oculo, non extra fieri uiſionem. Iam ſi radij procur rentes non redeunt, fit uiſio extra oculum. Deinde radij non ſunt tam longi, ut cœlum attingant. Quare & Ariſtoteles, & Optici dicunt, ex medio perſpicuo ad oculum, qui & ipſe lucidus eſt, ferri colo rum ſpecies, quas ut aer, ita oculus lucidus recipit, hac receptione fieri uiſionem ſtatuunt.

Accedit igitur cauſa, ſine qua non fit uiſio, ſci licet medium perſpicuum, quod διαφανὲς uocant.

Res

Res enim teſtatur, obiectum ſine medio oculis admotum non conſpici. Sit igitur interuallum, in quo à coloribus lumen ſpargi poſsit, & ſit illud interuallum perſpicuum, uidelicet aer aut aqua. Quia ſine luce externa, colorum lumen adeo debile eſt, ut nec diſcerni, nec percipi poſsit.

Dixi de medio. Eſt & ſitus conſiderandus, quidquid enim uidetur, ſecundum rectam lineam uidetur. Ideo quum concurrant lineæ in pupilla, fit (ut dixi) pyramis, ne qui diſputent, propter oculi paruitatem non recipi imagines. Hinc doctrina optica, ſumit inchoationem de ſitu, quando & qua uarietate lineæ perueniant ad oculum, ex ea igitur arte cætera petenda ſunt de uiſione.

Quanquam autem oculi duo ſunt, tamen unum obiectum nõ uidetur geminũ, quia ſpecies ab utroq; oculo coit in neruos opticos, qui iuncti ſunt, ut concurrant ibi receptæ ſpecies. Quare una res non uidetur gemina, niſi cum ſpecies non iungũtur. Tunc enim una res apparet gemina, cũ oculi diſtorti non ſimiliter idem contuentur, hæc ratio extat in Problematis Ariſtoteliş.

Quid eſt ſenſus auditus?

Eſt ſenſus in auribus, percipiens ſonos per aerem uel aquam.

Quod

Quod est organum?

Panniculus in foramine ossis petrosi, quod est meatus & radix aurium. Nam ad hunc panniculum nerui auditiui porriguntur, qui ei uim suppeditant percipiendi sonos. Est autem munitus sensus anfractibus aurium, tanquam uentilabris, ut sonos colligant, nam dispersi minus propriè percipiuntur. Et fractas esse aures ad colligendos sonos eo apparet, quia equi & cætera animalia, quæ habent mobiles aures, cum subitò aliquid audiunt, obuertunt aures sonis. Et magni sonitus citius lædere͂t sensum, si non per anfractus paulatim illaberentur. Pertinet autem ad organum & spiritus, qui est in foramine ossis petrosi. Nam panniculus uelut tympani pellis extensus est, & inflatus spiritu auditur, ut pulsatus accipiat sonos. Quare aer quietus incluſus est in foramine ossis petrosi, supra & intra panniculum, qui aer nõ est purus, sed temperatur spiritu. Fiunt enim omnium sensuum actiones spiritu.

Quod est obiectum?

Sonus. Est autem sonus, qualitas orta ex aeris fractione, quæ fit collisis duobus duris corporibus, latitudinem aliquam habentibus. Hæc fractio perinde in aere spargitur, ut lapillo in aquam coniecto, uidemus gyros ea agitatione proferri. Vt autẽ in angu

stis

ſtis fontibus, circuli illi, cum citò in parietes impingunt repulſi, geminãt circulos, ita reddita fractio in locis tectis, cauernoſis aut laqueatis, aut dẽſtoribus ſyluis geminat ſonos, quæ geminatio uocatur Echo.

Quod eſt medium?

Medium eſt aer, qui eſt duplex. Exterior, in quo gyri perferũtur ad aures. Interior & cognatus, qui eſt in ipſo foramine oſſis petroſi, qui (ut dixi) non eſt purus aer, ſed temperatus ſpiritu auditiuo, ut gyrationes illas recipiat, & feriat panniculum, qui ue lut tympani pellis accipit ſonos. Hinc igitur tinnitus aurium oritur, cum intus uapores aliqui, aerem illum cognatum ac ſpiritu temperatũ turbant. Porrò non ſolum in aere fit auditio, ſed etiam in aquis. Vt conſtat piſces audire, ſed id medium eſt obſcurius, & ad homines nihil admodum pertinet.

Modus auditionis.

Eſt igitur modus, ut tympani pulſatio, cum peruenit gyratio ad foramen oſſis petroſi, excipitur ab aere & ſpiritu, & ferit panniculum percipientem ſonos tanquam tympanum. Inde uibratio accipitur à neruis, ut perferatur in uẽtriculos cerebri, ad ſenſum communem. Non excitãtur dormientes, niſi ſono aut ſtrepitu maiore, quia cum meatus ſpirituum ſint impediti, tunc in organo minus eſt ſpiritus, unde facile

de facile intelligi poteſt, non fieri hanc actionẽ ſine ſpiritu. Pertinet ad hũc locum & uocis deſcriptio, cuius proprium eſt organum larynx, ideſt ſuprema pars tracheæ arteriæ. Vbi cum epiglottis percutit, & frangit aerem, ut in fiſtulis, fit uox in illo anguſto meatu. Itaque piſces muti ſunt, quia pulmone & trachea carent. At ſermonis organũ lingua eſt, quæ ſuo motu uocem acceptam à larynge format, ut fiat articulata. Hæc ita breuiter recenſeo, quia modus harum actionum nequaquam ſatis perſpici poteſt, Dei beneficia ſunt, quæ ſatis explicare nemo poteſt, mirari debemus, & ad Dei gloriam conferre.

Quid eſt ſenſus olfactus?

Eſt ſenſus percipiens odores.

Quod eſt organum?

Galenus in primo de Cauſis ſymptomatum ait, Priores cerebri uentriculos, eſſe uerum organum olfactus. Sic enim inquit, τὸ δὲ πρῶτον ὀσμῶν αἰσθητήριον, αὐτὰς ὠνόμακεν ἐν τοῖς περὶ αἰτίας τῶν συμπτωμάτων ἐγκεφάλου. Suprà recenſui aliorum ſententiam, qui tradunt organum olfactus eſſe duas caruncu-las, quas uocant mamillares, ſub cerebro ſitas intra craniũ & os baſilare, ſupra nares, ortas ex ſubſtantia cerebri, tectas pia matre, figura papillarũ mulieris. Nares enim conditæ ſunt, ut deferãt obiectum,

nec

nec in ipsis sensus est odoratus. Nam principale organum longius esse positum, eo iudicari potest, quia non sentimus odores, nisi attractione aeris in spiratione. Est autem adiunctum organum cerebro, quia odores ad hoc dati sunt, ut iuuent cerebrum.

Quod est obiectum?

Odor, qui est qualitas in halitu exeunte ex mixtis, in quibus aerea humiditas, seu plus seu minus terreæ naturæ exuperanti, & igneo calore ustæ, ac uelut terrefactæ permixta est. Vt sentimus olere fumantia ligna, quæ alioqui sunt sine odore. Ideo sic Aristoteles confert inter se odores & sapores, ut dicat in odore dominari siccitatem, humiditatem uerò in saporibus. Et in Problematis ait, τὰ πυρούμενά πως τῶν ὑγρότητα ἐχόντων ὀλίγην, εὐώδη γίνεται. Vsta quæ modicam habent humiditatem, fiunt fragrantia. Sed tamen prorsus arida, quæ sunt, ut Aristoteles uocat, ἄχυμα, non sunt odora, ut lapides. Tametsi in his & frigiditas & ariditas causæ sunt, ne insint odores. Non enim gigni odor potest, nisi calor substantiam defecatam terreæ & aereæ naturæ resoluat, & expellat. Itaq; fragrantia omnia, etiam si sunt natura frigida, ut rosæ ac uiolæ, tamen odore ipso leuiter calefaciunt. Hinc ratiocinari possumus, quare in Oriente res

nascantur

nascantur odoratiores, quia ea loca calidiora sunt. Hinc etiam ratio sumenda, quare dulcia minus sint odorata, quia sunt humidiora. Ecŏtra magis fragrantia sunt, in quibus aliquid inest acrimoniæ, hæc enim sunt sicciora, & ut ita dicam, usta seu torrefacta. Vt libanotis, seu rosmarinus, cuius odor cum sit gratissimus, lingua testatur saporem amarum esse, utrunq; indicio est libanotida calidam esse. Sicut & Nicander inquit, ἢ σύγε καγχρυόεσσαν ἐλώψ
πον θαλπωρὲα ῥίζαν.
Aut tu radicem calidæ libanotidos ure,
Fœcunda in tereti quæ gignit canchrye semen.

Sed longum esset exempla recensere, quæ tamen studiosos contemplari decet, cum propter alias multas causas, tum etiam quia hæc initia doctrinæ physicæ intelligi non possunt, nisi monstrentur exempla in natura rerum.

Descripsi utcunq; odoris causam, species duæ præcipue constituuntur. Bonus odor, qui ut in saporibus dulcedo plus refert aereæ naturæ, & cum ex partibus suauibus & bene coctis oriatur, cerebro gratus est. Contrarius huic est fœtor, qui ut stercus humanum, ex partibus uitiosis, & male torrefactis exhalat, & sua natura uenenum est cerebro. Hæ duæ extremæ species facile agnosci & discerni

possunt, altera uocatur δύωδες, altera δυσώδες. Adijciuntur & duæ differentiæ sumptæ à saporibus, ut acris odor, qualis est citrini, allij, cepæ, & acidus, qualis est aceti odor. Cæteræ appellationes saporum, non transferũtur ad odores. Quid Plinius nominet acutum, quid ignauum odorem, nescio. Nec illud scio, quid propriè uocent graueolens. Græcis aliud est δυσώδες, fœtidum, aliud βαρύοδμον. Nam multa sunt βαρύοδμα, quæ non sunt fœtida, ut aloe, folia sambuci, lilium, artemisia. Dicuntur à Dioscoride βαρύοδμα, & à Plinio Graueolentia, quum tamen non sint fœtida. Imò Dioscorides ait, Polium esse βαρύοδμον μετὰ πάσης εὐωδίας. Et Virgilius inquit, Graueolentia centaurea, quæ quidem non fœtent. Notum est enim maius centaureum, quod uulgò Rhaponticum uocant, quod & Lipsiæ nasci uidemus, & dicitur appellationem à Chirone habere, qui hoc remedio fertur medicatus uulneri suo, quod sagitta Herculis in pedem delapsa fecerat. Et de cunila seu origano inquit Virgilius,

Grauiter spirantis copia thymbræ.

Non est autem ingratus odor origani, ut constat. Proinde arbitror dici βαρύοδμον, non quod fœtore, sed quod nimia, ac (ut ita dicam) densiore fragrantia

grantia offendit. Interdum Plinius de fœtidis usurpat, ut fœtorem sub humeris, uocat Graueolentiam alarum. Et Virgilius ait, Aut ubi odor cœni grauis. Hæc de appellationibus odorum monuisse satis sit, ut plura & certiora studiosi à peritis requirant. Aiunt autem hominibus hebetiorem esse olfactum, quàm canibus, & quibusdam alijs animãtibus, quia cerebrum habent copiosius & humidius.

De Medio.

Vt odor à corporibus exhalans spargi possit, medio opus est, per quod transmittatur ad organum. Nobis igitur mediũ est aer. Pisces per aquam odores percipiunt, nam alij alijs escis capiendi sunt. Et polypum aiunt fugari à saxo, cui adhæret, origano illito.

Quid est sensus gustus?

Est sensus, qui in lingua aut palato percipit sapores.

Quod est organum?

Est pellicula expansa in lingua, sub carne porosa seu spongiosa, quæ est in linguæ superficie. Eadem pellicula & in palato sparsa est, oriturq; à neruis per palatum demissis ad linguæ radicem, qui & gustum & tactum linguæ ac palato suppeditant. Nam alij sunt nerui, qui motum linguæ impertiunt.

Medium quo fit gustatio, est uel exterius salivalis humiditas, uel interius caro fungosa. Ideoq; febri laborantibus omnia fiunt amara, quia redundat in lingua saliva biliosa.

Quod est obiectum?

Sapor, qui est qualitas in succo, in quo humiditas vincit siccitatem terrestrem calore utranq; digerente. Dixi enim suprà, in sapore dominari humiditatem. Quare Theophrastus sic definiuit saporem, Sapor, est partis siccæ percolatio per humorem, à calore facta.

Græci quum obiectum gustus indicant, ipsum succum nominant, videlicet χυμὸν, eaq; voce pro sapore promiscuè & pro humore utuntur. Ab hac voce fit χύλος, liquor. Et Galenus ait, Veteres Græcos non χύλον, sed χυμὸν tantùm dixisse pro humore, sapore, & liquore.

Saporum species aliter ab alijs numerantur, & Galenus inquit, difficulter eas discerni posse. Aristoteles & Theophrastus recẽsent octo differẽtias,

dulcis,	γλυκύς
pinguis,	λιπαρός.
austerus,	αὐστηρός.
acerbus,	στυφνός.
acris,	δριμύς.

amarus,

amarus,	πικρός.
acidus,	ὀξύς.
salsus,	ἅλμυρός.

Volui autem inserere has appellationes, quia passim obuiæ sunt in descriptionibus plantarum, ac liquorum, et eruditas disputationes continent. Non enim temerè diuersæ appellationes factæ sunt, amari, austeri, acris, acerbi, acidi saporis, indicant naturas rerum, & dissimilia temperamenta. Acria, calida sunt: ut piper, allium. Acerba, frigida: ut fructus glandium, acaciæ, arbuta. Breuiter igitur differentias adijciam.

Dulcis sapor, qui quadam uoluptate linguam afficit, quia naturæ sanguinis & carnis conuenit. Est enim in ijs, quæ sunt temperatè calida, & in quibus exuberat aerea humiditas, ut uinum dulce, mel, lac. Et quia naturæ sanguinis conuenit, ideo suprà dictum est, nutrimentum oportere esse dulce, aut dulci permixtum. Nam dulcia inungunt, implent, & restituunt erosas particulas. Sed interdum excellenter dulcia nocent, quia cum sint ualde calida & aerea, cito in igneam naturã uertuntur. Vt mel & saccarum, celerrimè uertũtur in rubram bilem. Quare auidius usi saccaro, sæpe periculosè inflammantur. Ad hæc dulces cibi intẽperanter eduntur, ideo pro-

pter humoris copiam sequuntur putrefactiones.

Vicinus est dulci sapori is, qui pinguis uocatur, qui est in ijs, in quibus calor debilior est, ut in butyro, oleo, carne, hunc usitatè uocăt unctuosum, hæc quoq; si sint mediocria, prosint in nutrimento. Sed nimis unctuosa nocent, quia solent supernatare, & impedire coctionem, & oppilationes efficere.

Plinius addidit suauem saporem, quem non discernunt Veteres à dulci. Nam quatenus accedit sapor ad dulcedinem, fit suauis. Vt enim manus cum inferitur aquæ mediocriter calidæ, afficitur uoluptate, ita dulcia, quia sunt temperatè calida, & sanguinis ac carnis naturæ conueniunt, efficiunt suauitates.

Amarus, πικρὸς sapor, est propriè contrarius dulci. Tres autem sunt sapores mordentes, sed quodam discrimine. Amarus mordet, & exulcerat tantum linguam. Acris mordet, rodit, ac urit non tantum linguam, sed totam carnem. Acidus mordendo constringit, et refrigerat. Redeo igitur ad amarum. Amarus sapor est, qui detergit, exasperat, & mordet linguam, estq; in natura terrestri crassa, in qua excedunt calor et siccitas, ut in bile, nitro, marrubio, absinthio, aloe. Cumq; nutrimentrum oporteat esse dulce, summè amara, acria, aut acida prorsus non nutriunt.

Acris,

Acris, δριμὺς differt ab amaro, quia non solum mordet, rodit, & exulcerat, sed etiam urit ac penetrat, ac ualde dissoluit, ut ferrum ignitum, estq; in natura tenui, in qua excedunt caliditas & siccitas. Et acria superant calore res amaras. Sunt autem acria, ut piper, ζιγγίβερι, pyrethrum, allium, cepa, granum gnidium, kellershals, calx.

Acidus, ὀξὺς acetosus est, qui mordendo constringit, & refrigerat, ac citra calefactionem attenuat, diuidit, & uellicat, estq; in natura tenui frigida & sicca, in qua dominatur frigiditas. Nam quæ sunt tantũ acida, sunt prorsus frigida, ut oxalis, quæ uulgo acętosa dicitur, nam hæc pure hunc saporẽ habet. Est & species mali Punici uere acida. Alia quædam sunt mixtæ qualitatis, ut acetũ, quod est subacre, quia etsi est frigidũ, tamen retinet obscurũ calorem, ut cinis ex uini corruptione, inde fit subacre, sed tamẽ dominatur frigiditas. Cum enim exhalant aereæ partes, & reliquæ manẽt terreæ, dilutæ aquosa tenui parte, fit acetũ, sua natura frigidum. Cient autem acida appetentiam, quia humores uitiosos in orificio collectos diuidunt, & pellunt, & mordicatione non urente irritant uẽtriculum. Vt oxalis grata est in febribus, non solum quia pellit bilios humores, sed etiam quia calorem bilios mitigat.

Acerbus ſapor, στυφνὸς eſt, qui contrahit linguam, & introrſum pellit, ideoq; conſtipandi, denſandi & aſtringendi uim habet, eſtq; in natura terreſtri craſſa, frigida & ſicca. Ideo enim acerbus ſapor dicitur eſſe tardior, quàm acidus, quia acidus eſt in natura tenuiore minus terreſtri. Acerba ſunt, ut fructus glandium, acaciæ, arbuta, caſtaneæ, meſpila, gallæ, pyra ſylueſtria, & in genere immatura poma, mala Cydonia, ac magis immatura: nam poſt quàm maturuerunt, fit mixtus ſapor ex acerbo & dulci, ſicut nucum ex acerbo & pingui.

Quanquam autem Recentiores mutauerunt appellationes, ac pro acerbo dicunt aliàs συστικὸν, aliàs ponticum: tamen quia confuſio in nomenclaturis parit errores, reuocandæ ſunt ueteres appellationes. Ideo Græcas & Latinas adſcripſi, quibus intellectis non difficile eſt conferre recentiores. συστικὸν à σύφω, ideſt adſtringo, uſitata Græcis uox eſt in genere, pro eo quod habet uim adſtringendi. Ponticum arbitratur Pontanus dictum eſſe à pungendo, ego etymologiã nullam inuenio, ſapori conuenientem. Recentiores etiam ſtypticum & ponticum diſcernunt, non ſpecie, ſed gradibus. Ponticum, ut acaciam, dicunt eſſe ualde στυφνὸν, at ſtypticum minus aliquãto, ut Cydonium. Sed ſingulæ

ſaporum

saporum ſpecies, uarios habent gradus. Sunt & mixturæ ſaporũ, quas Medicis relinquo. Hinc nomenclaturas breuiter tradere uolui, & quaſdam communes ſaporum deſcriptiones.

Auſterus, αὐστηρὸς ſapor, aſperitatem quandam in ſumma lingua efficit, et leuiter deſiccat, nec pellit intrò, nec cõdenſat, ut acerbus ſapor. Eſt enim quædam inter hos uicinitas, ut cum ὄμφακοι ſunt acerbæ, poſtea in eis aucto humore, ſequitur auſterus ſapor. Eſt igitur auſterus ſapor in natura terreſtri craſſa, frigida & ſicca, ſed plus habente caloris & humiditatis, quàm habent acerba. Eſt autem inter uini ſapores auſterus. Et Galenus inquit, Auſtera uina magis corroborare uentriculum, & minus officere cerebro, iuuant enim uentriculum natiua ſiccitate, & aliquantulum aſtringunt, & minus calidos fumos exhalant. Sed tamen de uino non crudo, non nimis aquoſo ac tenui loquitur.

Salſus, ἅλμυρὸς ſapor eſt, qui linguam non contrahit, nec conſtipat, ſed detergit, & abluit diſgregando & exiccando. Huiuſmodi eſt ſalis natura, qui ideo putrefactiones impedit, quia deſiccat, & extenuat, ac erodit humiditates, ideo mollem carnem indurat, & duram reddit molliorem: nam ut in molli abſumit ſuperfluam humiditatem, ita rurſus

duram attenuat, ac relaxat. Estq; salsus sapor in natura terrestri, crassa, calida & sicca.

Ex his descriptionibus arbitror utcunq; differentias saporum agnosci posse. Adduntur & aliæ quædam appellationes, ut insipidus dicitur, qui non notabiliter aliquam speciem suprà dictam refert, ut cucurbitæ sapor. Nam in talibus propter immodicam frigiditatem & humiditatem non existit notabiliter sapor. Vulgò etiam acutum saporem nominant, & Plinius eam appellationẽ inter sapores posuit. Sed uideo uulgò usurpari acutum pro eo, quem nos acrem, δριμέα diximus. Argyropylus ὀξὺ in saporibus uertit acutum, quod nos acidum interpretamur, sed is etiam cæteras appellationes confudit. Nostræ nomenclaturæ nunc sunt in usu apud omnes eruditos, & sunt ex Plinio sumptæ. Porrò differentiarum obseruatio indicat, ut dixi, temperamentorum discrimina.

Insipidus.

Acutus.

Quid est sensus tactus?

Est sensus percipiens primas qualitates, pellicula neruea expansa per carnem toto corpore, tanq; reti.

Quod est organum tactus?

Vt nerui cæteris sensibus uim sentiendi impertiunt, ita constat tactus organum esse pelliculam nerueam, intextam carni toto corpore, sub extre-

ma

macute, eaq; pellicula comparet, quacunque carnis parte dissecta. Oritur autem à neruis & cerebri & spinalis medullæ, etsi tactum acriorem suppeditant subtiliores nerui, uidelicet à cerebro propagati, ut qui ad capsulam cordis, item qui ad stomachum descendunt. Medium uerò per quod nerui, seu pelliculæ tactum percipiunt, est caro bene dispositа, aut os cui neruus inseritur. Nam & dentes tactum percipiunt.

Aristoteles paucis uerbis in libello de Sensu, uidetur collocare organum tactus in corde, fortassis eo quod inde neruos oriri putat, sed nos eam sententiam non amplectimur.

Quod est obiectum?

Qualitates primæ, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & aliæ quædam, quæ has comitari solent, durum, molle, asperum, glabrum, graue, leue, densum, rarum.

Quot sunt obiecta communia?

Quinq; uocantur obiecta communia, quia à pluribus sensibus percipiuntur, magnitudo, figura, numerus, motus, quies. Nec opus est illis prolixis disputationibus, in quibus quærũt quomodo hæc communia obiecta percipiãtur. Cum obiecta omnia sensuũ sint in corporibus, oportet magnitudines & figuras

ras obiectis tribui. Color est in aliqua superficie, et offertur oculis non sine latitudine. Ergo & magnitudo & figura conspiciuntur. Ita calor est in corpore, quod cum tangitur, simul magnitudo percipitur, ideo hæc communia obiecta addita sunt. Quærunt, quomodo tam paruo organo compræhẽdi magnitudo possit. Quærunt item, an species uisibilis conseruet figuras. Speculum testatur, speciebus uisibilibus reddi figuras. At tenuari etiam species, trianguli figura directas ad oculum constat, sed supra dixi, hæc non satis perspici acie humani ingenij.

DE SENSIBVS INTERIORIBVS.

Velcurio.
Sensus interior = potentia sensitiua in animato corpore, q̃ sensus = vtr̃ sensitiua non solum p̃sentia, vtrum sub. sentiens existit, dijudicat, discernit, comparat ad hijus constructa.

Quid est sensus interior? Est potentia organica intra cranium, ad cognitionem destinata, excellentem actiones sensuum exteriorum. Nam si animantia tantum appræhenderent obiecta, sine dijudicatione, quantulum prodesset illa notitia, ut si uideremus alba ac nigra, nec discernere ea possemus? Ideo opus est quadam dijudicatione & compositione, quasi ratiocinatione, ut equus meminit foueam, & deflectit à uia etiam non admonitus, ne uidelicet labatur. Est ergo addita sensibus exterioribus superior facultas, quæ quas habeat uires, in partitione dicam.

Quot

Quot sunt sensus interiores?

Galenus tres numerat, & huius sententiam sequar. Quanquam autem cæteri Scriptores, alij aliter numerant sensus interiores, tamen reipsa consentiunt, nec opus est, de enumeratione litigare. Primum illud cõstat, plures esse interiores sensus, quia memoria amitti potest, æstimatione nõ amissa. Item in medendo applicantur remedia pro facultate memoriæ, ad posteriorem partem cerebri. Conturbata æstimatione, medemur anteriori parti, aut mediæ. Ergo distant locis organa. Hæc signa testantur, esse plures sensus interiores. Idq; tenere satis est in tanta obscuritate harum excellẽtium uirium & functionum, nam hæ minus etiam perspici possunt, quàm exteriores actiones. Ingens est caligo humanæ ingenij, ne tamen prorsus nos ignoraremus, ut pecudes aut furiosi, aliqua ex parte Deus conspici naturam uoluit. Ergo bonæ mentis est, illa quærere & tueri, quæ utcunq; monstrari possunt. Venio igitur ad partitionem.

Tres sunt sensus interiores, sensus communis, cogitatio seu compositio, & memoria. Galenus nominat φαντασικὸν, διανοητικὸν, & μνημονευτικὸν, hæc nomina magis perspicue discrimen indicant. Nam sensus communis, apprehendit imagi-

nes

nes oblatas à sensibus exterioribus, & discernit ob iecta singulorum sensuum. Deinde alia uis tanquam ratiocinatur, aliud ex alio eliciens componit, ac diuidit. Tertia retinet obiectorum memoriam, eaq; recordatur, ut leo Medicum suum, qui spinam uulnerato extraxerat, postea Romæ in Circo agnouit, et seruauit. Id non fiebat sine compositione seu ratiocinatione aliqua, ac memoria.

Alij longiore enumeratione uidentur augere obscuritatem, recensent quinq; sensus interiores, fortassis ut numerus cum exterioribus conueniat. Sensum communem, qui primus accipit imagines, à sensibus exterioribus oblatas, deinde imaginatiuam, discernentem singulorum sensuum actiones. Tertiam æstimatiuam, quæ ex alijs aliud elicit, ut equus æstimat blandicias ex adplausu. Quartam, phantasiam seu cogitatiuam, quæ uidelicet longius progreditur componendo, ut equus admissus ad matrem, postea agnita matre, indignans se contaminatum incesto coitu, dedit se præcipitem de rupe. Et exempla miri fica sunt solertiæ animalium, quæ partim ad naturales inclinationes, partim ad agnitionem referenda est. Impressit enim Deus animantibus uarios motus, ad quærenda uitæ præsidia ac medicamenta. Vt serpentes quærunt fœniculum, ut claritatem oculis restituant.

1. Sensus cōis.
2 Imaginatrix.
3 Aestimatrix.
4 Phantasia.

ſtituant. Capreæ uulneratæ quærunt dictamum. Aſini quærunt aſplenum, ut minuant atram bilem in ſplene. Serpens coiturus cum murena, ſibilo euocat murenam, & uenenum euomens in littore deponit, poſtea rediens quærit depoſitum, quod ſi non inuenit, dolore ibi extinguitur propter amiſſa arma. Etſi hæc fiunt motibus naturalibus, tamen accedit quædam agnitio & phantaſia in alijs plus, in alijs minus. Eſſe agnitionem aliquam & quaſi ratiocinationem, ſeu deliberationẽ in equo, cane, fele, uulpe, leone, magis cõſpici poteſt. In hirundine, apibus minor eſt agnitio, etiamſi ingenioſa opera moliuntur.

Sed redeo ad ſenſus, quintum uoluerunt eſſe, memoriam. Ariſtoteles duos numerat, ſenſum communem, & memoriam. Retineo appellationem ſenſus communis, & interſero Galeni more cogitationem ſeu compoſitionem, ut ſint tres ſenſus interiores. Eſt igitur ſenſus communis, ad quem perferuntur imagines ſeu uibrationes, ab omnibus exterioribus ſenſibus, & qui actiones ſenſuum diſcernit, & obiecta dijudicat. Memoria .5.

Organum eſt haud dubie anterior pars in geminis cauitatibus ſeu uentriculis cerebri, de quibus ſupra dixi, eô enim nerui uibrationes ſuas ſeu ſpiritus perferunt. Deinde ſpiritus imprimunt cerebro

notas,

notas, ita fieri actionem sensuum interiorum existimo. Et si profectò deploranda est caligo humanæ mentis, quòd non perspicit harum pulcherrimarum actionum modum. Discernit igitur sensus communis, quæ singulis sensibus percepta sunt, deinde etiã obiectorum differentias. Nam oculus pariter percipit albedinem & rubedinem, sed sensus communis discernit.

Velcurio.
Phantasia e potentia sensus interior, imprimens sibi alias species sensibiles, presentes & absentes, an eadem similes species sensibiles ante interiones receptas? Sic omnis visio lupo eius receptum imprimit, quia viso baculo receptum prius canis: eius audito clapsum alijs receptis sibi.

Deinde sequitur cogitatio, seu compositio, quam illum Galenus nominat διανοητικὸν. Huius organum uulgò dicunt esse medium uẽtriculum, sed alijs uerius uidetur esse organum, media pars cauitatum anteriorum, sunt enim amplæ & longæ, ut suprà dixi. Fit igitur hic compositio, & quasi ratiocinatio, quæ in ijs est excellentior, quæ hanc partem melius constitutam habent, sicut uidemus alios alijs habere celeriores motus in inueniendo, facilius ex proposita actione seu specie elicere causas aut effectus, aut similia aut pugantia. Vt Salomon mirifica celeritate inuenit, quomodo deprehenderet mulierẽ mentientem, si infantem dissecari iuberet: componebat enim inter se, matris, & alienæ mulieris affectus.

Velcurio.
Memoria e potentia sensus interior, conservans diuisa tempore species sensibiles absentium, ac subinde referens nos species phantasiæ & cogitationi. Est ergo Memoria, a nunquam nouum obliscitur, & veniunt, horat, oblita recordari.

Tertius sensus interior, uocatur Memoria. Estq; uel maximè admirãda hæc uis, tantæ uarietatis, tot imaginum capax, quas quidem tam longo tempore conseruat,

Vide 5. K. 2. de tertio ventriculo.

conseruat, quod quomodo fiat, explicare nemo potest, spirituum actione fieri consentaneum est, qui existimantur imprimere notas cerebro. Organum esse plærique dicunt, postremum cerebri uentriculum, qua aditus est ad cerebellum, alij transferunt & hanc uim in posteriorem partem anteriorum cauitatum. Illud constat posteriorem partem cerebri, memoriæ organum esse, ibi enim remedia adplicantur, & ea pars minus humida est, quare ad retinendas notas aptior est. Humidius cerebrũ, quæ discit, citius mandare memoriæ potest, sed facilius obliuiscitur, aliquãto siccius econtra, diutius retinet quæ didicit. Frigiditas & siccitas pestifera est memoriæ. Ideo clamitant omnes, Venerem esse præcipuam memoriæ pestem, quæ exhaurit natiuum calorem & humorem. Sicut Hesiodus inquit,

Νέῳ ἄτορ δαλλευ, καὶ ὤμῳ γήρας ἐδωκεν.

Nam ut suprà dictum est, senectus est, cum languescere cœperunt, calor natiuus, & innatũ humidum.

Quid est potentia appetitiua?

Descripsi sensus, ut potui. Nunc adijcienda est potẽtia appetitiua, quæ est facultas prosequens, aut fugiens obiecta, comes est cognitionis. Ideo enim indita est animantibus cognitio, ut uitæ præsidia, & conuenientia appetant, ac contraria fugiant. Etsi

De fuijhò.

autem de uno certo genere hic dicendum est, uidelicet de adfectibus, seu de appetitu sensus comitante, quem uulgo uocant sensitiuum, tamen appellationis uarietas est exponenda. Triplex est appetitus, naturalis, sensitiuus, & uoluntarius. De naturali appetitione paulò aliter hic loquimur, quàm suprà, ubi tantum inclinationem, non actionem aliquam significat. Vt cum dicimus, Materia appetit formam, lapis naturaliter appetit locum deorsum. Hic enim significat & naturalem inclinationem, & actiones, quæ tamen non oriuntur à sensu, uidelicet attractionem, retentionem, expulsionem. Sic planta arescens appetit rigationem. Exhaustæ partes corporis, appetunt nutrimentum. Et ut magnes ferrum attrahit, ita membra lambunt uenas, & uenæ attrahunt sanguinem. Rursus onerata uasa repletione immodica, appetunt leuationem. Hic appetitus ad uegetatiuam potentiam pertinet, quæ sic appetit nutrimentum. Sed hæc uocabula, fames & sitis, significant nõ tantum appetitionem cibi & potus, sed sensum illius suctionis, hoc est dolorem quendam ex appetitione ac suctione ortũ, ut suprà dixi. Nos tamen non nimis subtiliter loquentes, transferimus famem & sitim ad appetitiones naturales, ut has appetitiones ab adfectibus discernamus, qui sequuntur cognitionem, & aliquo

Diuisio. Naturalis

fames & sitis.

aliquo modo regi possunt imperio rationis.

Appetitus sensitiuus est, qui comitatur sensum, & tantum competit animantibus, hic duplex est, aut fit per contactum, aut sine contactu. Sensitiuus. 2. 1/2

Appetitiones, quæ fiunt per contactum, sunt duæ, delectatio & dolor, tactum seu aliorum quorundam sensuum actionem comitantes. Est igitur delectatio, cum tangitur obiectum conueniens. Dolor, cum tangitur obiectum lædens, aut lacerãs corporis partem. Vt cum ignis urit corporis partem, immodicus calor non conuenit corpori animantis. Est autem ut tactus, ita delectationis & doloris organum, pellicula neruea intexta corpori, fitq; dolor acrior, cum nerui ipsi lædũtur, ut in spasmis apparet. 1 1/2 Delectatio. 1 Dolor.

Vt autem sensus per sese agunt naturaliter, oculus incolumis apertus, intuens obiectum oblatum iusto interuallo, nõ potest id non uidere, ita nerui percipiunt naturaliter delectationem aut dolorem. Illud fieri potest, uoluntas imperare potest loco motiuæ, ut oculos auertat, claudat, sed uidentis & intenti actionem sustpendere non potest. Sic de tactu dicimus, qui cũ percipit qualitates, nerui natura est, ut conuenientibus bene adficiatur, ac rursus doleat offensus seu læsus qualitatibus non conueniẽtibus, ut cum uritur nimio calore, ita cũ laceratur, nõ potest

potest non ingenti dolore affici, nec alia ratio quærenda est. Ad hoc munus conditi sunt nerui, ut & cæterorũ sensuum sint instrumenta, & tactus percipiant. Hæc uocare in controuersiam, est de manifesta & uniuersali experientia dubitare, quæ amentia minime decet Philosophos. Si hos dolores Stoici contenderunt opinione accersi, ualde delirauerunt. Nam in offensione ac laceratiõe nerui, satis constat naturaliter effici dolores, nec oriri eos ab ulla cogitatione, nec tolli ratiõe. De cæteris affectibus iã dicã.

2. Appetitiones, quæ non fiunt per contactũ, sed sequuntur cogitationem, sunt motus cordis, quibus prosequimur obiecta, quæ cogitatio seu uera seu falsa, ostendit esse conuenientia, aut fugimus incommoda. Hi motus usitate uocãtur adfectus ac πάθη. πάθος.

Differentiæ præcipuæ recensentur, lætitia, tristicia, spes, metus, amor, odium, ira, misericordia, pudor, inuidentia, Zelus, æmulatio.

Lætitia est motus, quo cor præsenti bono suaui ter fruitur. Nec satis dici potest, qualis hic ipse motus sit, sed dilatatio quædam est, qua uelut amplecti tur obiectum præsens, & suauiter effunditur sanguis & spiritus, inde est cupiditas amplexus.

Spes est motus, quo cor futurum bonum appetit, seq; ad illud accipiendum, ut ita dicam, aperit, & præparat.

præparat. Est enim similis motus lætitiæ, quia futuri boni cogitatione propemodum sic mouetur cor, ut aliquo præsenti bono.

Tristitia est motus, quo cor quasi percussum constringitur, premitur, angitur, tremit, & languescit cum acri sensu doloris. Ita paulatim, cum non depellitur tristitia, debilitatur, ac prosternitur uirtus cordis, ipsum cor arescit, ac absumitur, languescit generatio spirituum, ac tandem amissa uirtute, prorsus homo extinguitur. Tam sæuum malum est tristitia. Vnde autem sint motus illi cordis, & sensus doloris quæritur. Motus esse à uillis suæ naturæ admirandis existimatur, quibus & dilatatur, & cõstringitur. & si licet uti hac comparatione, his uillis tanquam manibus attrahit obiecta, ac depellit. Habet igitur cor ex sua natura hunc motum in tristicia, uidelicet constrictionem, quæ adfert tremorem. Ac ut in λειποθυμίᾳ resolutio aut conculcatio spirituum extinguit uires, sic in tristitia languor existit, & compressio sensum doloris adfert. Contrahitur enim & sedes cordis, ad quam subtiles nerui à cerebro propagati sunt, qui adhærescunt cordi, habet igitur compressionem ex sua natura, & acrem sensum doloris propter neruos adhærescentes, & uicinarum partium constrictionem. λειποθυμία.

Timor est motus, quo cor constringitur, tanquam fugiens futurum malum, est enim similis motus tristiciæ. Nam futuri mali cogitatione mouetur cor perinde, ut aliquo præsenti malo.

Amor est motus, quo cor appetit aliquod, seu uerè bonum, seu quod uidetur bonum, idq; quasi attrahere gestit, ut eo potiatur, ac fruatur. Vicinus ad affectus est spei, sed ardentior est, ideo describitur, quasi attrahens obiectum incitato corde, tanquam ad ingens bonum fruendum.

Ira est mixtus adfectus ex tristicia, & cupiditate ulciscendi. Est enim motus, quo cor offensionem aliquam auersatur, & simul conatur pœna adficere autorem, seu causam offensionis. Ita cum duplex sit obiectum, sunt duo motus, fugere offensionem, & persequi ingenti impetu autorem. Quare non ut in metu aut tristicia sanguis ad cor intro refugit, sed effunditur. Cor enim uelut erumpere & propulsare obiectum conatur. Incalescit igitur cor in eo motu, et incendit spiritus, qui sanguinem agitatũ etiam inflammant. Turbantur actiones omnium membrorum, propter motum sanguinis & spirituum confusionem. Sed præcipue cerebrum offenditur, quod inflammato & agitato sanguine & ardentibus spiritibus, ipsum quoque incalescit, & concutitur motu sanguinis,

ſanguinis, ſpirituum & neruorum, qui ad cor propagati ſunt. Ideo comitantur uehementem iram phreneſes, ut in Aiace, & interdum apoplexiæ. Ad hanc deſcriptionem congruunt ſententiæ plurimæ Scriptorum, ut Virgilij,

Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet.

Significanter enim deſcribit inflammationem ſanguinis & ſpirituum, ortam ex ingenti motu cordis. Sanderbeco aiunt concipienti flammas indignationum, ante prælium labra ſciſſa eſſe, et erupiſſe multum ſanguinis. Eſt & Homerica deſcriptio inſignis, in qua dicitur ira melle dulcior eſſe, & creſcere, ut fumus excitatus late ſe diffundit. Nam quod ait mel le dulciorem eſſe, iracũdæ naturæ agnoſcunt, quàm dulce ſit indulgere iræ. Vt enim amori amans, cum mirifica ſuauitate indulget, ita irato ipſa cupiditas dulcis eſt. Similitudo autem de fumo aptiſſime quadrat ad ſpirituum motum & caliginem in iratis. Porrò ex his deſcriptionibus iudicari poteſt & ualetudinis cauſa, & propter uitandam deformitatem, frenandam eſſe iram.

Odium eſt inueterata ira, hoc eſt habitus ex ira ortus, quo cor auerſatur aliud, tanquam malum, idq; depellere geſtit. Et ſunt contrarij adfectus amori, ira & odium.

Pudor, eſt uicinus iræ, eſt enim motus, quo conſcius ſibi ipſi iraſcitur propter admiſſam turpitudinem, ac propemodum ſeſe punit, & ſimul ueretur aliorum iudicia.

Verecundia, habitus eſt metuentis turpitudinem, & indignantis admiſſa turpitudine.

Miſericordia, eſt triſtitia propter alienas miſerias orta.

Inuidentia, eſt triſtitia propter alterius felicitatem orta.

Zelus, eſt mixtus affectus ex amore & ira, quum uidelicet amans aliquid, iraſcitur illi, à quo læditur id, quod amat. Vt Helias ζelo interfecit pſeudoprophetas: uidelicet amans Deum, uehementer indignatus eſt hoſtibus Dei. Sic iuſtus gubernator debet ardere ζelo, hoc eſt amore iuſticiæ, & indignatione aduerſos improbos. Similis affectus eſt ζelotypia, quum amans coniugem iraſcitur alienanti.

ἀδιχοφοβία, contrarius affectus eſt ζelo, mixtus eſt odio & gaudio. Eſt enim odium uirtutis, & gaudere propter bonorum calamitates, & improborum ſucceſſus. Exempla huius affectus ſuppeditant non ſolum hiſtoriæ, ut Timonis ac Neronis, ſed etiam multorum hoc tempore uenenatæ mentes, qui omnia miſceri & perire cuperent, modò ut

dò ut cauſſa pia, & homines pij opprimerentur.

Nunc de cauſis, organo & effectibus horum motuum dicendum eſt, ac prima de organo quæſtio eſt. Plato dicit Cor, eſſe organum iræ & cognatorum affectuũ, amorem ad hepar tranſtulit. Et quum hepar nominat, complectitur cætera membra, quæ ſeruiunt uegetatiuæ potentiæ. Dixi autem ſuprà, ad uegetatiuam pertinere appetitiones naturales, ut appetitionem cibi, potus, generationis. Id uoluiſſe Platonem conſentaneum eſt, quum ad hepar tranſtulit appetitionem cibi & amorem, hoc eſt libidines. Sed amor non eſt ipſa generationis appetitio, ſed eſt peculiaris motus, ut odium. Ac ut contrarius affectus, ſcilicet odium pertinet ad cor, ita ſedem amoris eandem eſſe neceſſe eſt.

De rationis, organo, & affectibus hoc motu.

Quod autem cor ſit organum horum affectuum, confirmatur hoc modo. Affectus nec ſunt in cerebro, nec in ijs membris, quæ uegetatiuæ potentiæ propria ſunt, ergo ſunt in corde. Nam cerebrum habet diuerſam actionem à motibus cordis. Video meliora, proboq́, deteriora ſequor, inquit Medea. Sæpe iudicium improbat affectus. Ergo iudicium & affectus, non ſunt in eodem organo. Hæc eſt Galeni ratio, quæ quidem etiã teſtatur, affectus non eſſe opiniones, ſicut eos definiebant Stoici.

Cor organum affectuum.

De membris uegetatiuæ potentiæ ratio perſpicua eſt. Appetitiones naturales non poſſunt ſedari iudicio, ut appetitio cibi aut potus. Amor, odium, ira, & ſimiles motus extingui conſilio poſſunt, ergo hi motus ſunt in alia parte, quàm appetitiones naturales. Reſtat igitur, ut cordi attribuãtur, ſicut ipſe ſenſus teſtatur. Cor ſuauiter adficitur, cum ſentit lætitiam, amorem, ſpem, rurſus acres dolores experitur, cum triſtitia aut metu angitur, aut odio uritur. Ac Sacræ literæ cordi tribuunt amorem Dei, hepati tribuere admodum eſſet abſurdum.

Cordis motus. Porrò de cordis motibus ſuprà aliquid dictum eſt. Proprij & naturales motus eius ſunt, motus pul
1 ſuum & adfectus. Nam adfectus, ſunt alij quidam
2 motus, quàm pulſus, etſi hi quoq; fiunt uillorũ aſtrictione & laxatione. Sed hæc admiranda opera nequaquam ſatis explicari poſſunt. Habent igitur adfectus principium in natura, quo cientur. Quare non ſunt uiolenti motus, & rectè Galenus adfirmat Adfectus moderatos, eſſe εὐνρχείας, hoc eſt non uiolentos motus, ſed actiones ab ipſa orientes Natura. Vt autem Natura in cæteris actionibus amat conuenientem modum, nimia lux hebetat oculos, nimius curſus debilitat uires, ſic immoderati adfectus corrumpunt naturam.

Dixi

Transitio ad causas.

Dixi de organo, nunc causas recitabo. Adfectuum efficientes causæ sunt obiecta, & cor. Sed cognitio, motum cordis præcedit. Vt dicitur, Ignoti nulla cupido. Ergo cum appræhendimus obiectum, & iudicamus bonum aut malum esse, spiritus moti in agnitione, feriunt cor, quod quasi ictum & pulsatum cietur, & expetit obiectum, aut fugit. Talis est enim copulatio uirium naturæ, ut motus cordis respondeant cognitioni, ita adfectus partim ab obiecto, partim à corde oritur.

Multum autem refert, quale sit cordis, spirituum & sanguinis temperamentũ, calidius & siccius celerius incenditur. Simul enim motus cordis ac spirituum ciet sanguinem, idq; fit aliter in alijs adfectibus. In tristitia & metu, quia cor premitur, ac languescit, sanguis ad fontem recurrit, ut uelut opitule tur cordi. Ideo refugiente sanguine pallescunt exteriora. In lætitia, ira, cor se dilatat, & effundit sanguinem in exteriora. Cientur & alijs adfectibus alijs humores. Ira, quia fit inflammato corde, ciet ardentissimum humorem, scilicet rubram bilem, quæ effusa inficit reliquum sanguinem, qui alioqui iam à spiritibus irati cordis accenditur. Vt Virgilius libro octauo de irato Hercule loquens,

Hic uerò Alcidæ furijs exarserat atro Felle dolor.

Ais

Ait enim Herculi non ſolum iram, ſed furorem ac dolorem excitatum eſſe ex felle, ideſt moto & infecto ſanguine, rubra bile. Sed fel uocat atrum, quia ut ſuprà dictum eſt, de horum mutatione, rubra bilis nimium incenſa degenerat in atram, & ciet furores. Et alioqui in Heroica natura ſanguis eſt melancholicus. Sic & Silius aptè deſcribit inuidiam,

Atra ueneno
Inuidiæ, nigroq; undantia pectora felle.

Nam inuidia facilius exiſtit in ijs, in quibus abundat melãcholia, praue diluta alio humore, ſcilicet rubra bile. Nam tales naturæ ſunt uirulẽtæ, et κακοηθεῖς, cum uidelicet Saturnus & Mars infauſto poſitu iuncti, miſcent humores, & uenenatos efficiunt.

In triſticia cor fugiens, attrahit ex ſplene lentum humorem melancholicum, qui effuſus quum ſub coſtis in ſiniſtro latere confluit, facit oppilationes, & affert periculoſos morbos hypochondrios, ut ſæpe accidit his, qui diuturna cura aut mœſticia conflictantur. Quanquã autem temperamentũ ſanguinis & ſpirituũ, facit affectus acriores aut remiſſiores, & humores, ita ut dixi, cieri ſoleant, tamen hic motus potius eſt affectus, q̃ organum, aut cauſa affectuum. Sint igitur propriæ cauſæ, obiecta & cor, quia hi impetus oriuntur à uirtute cordis, et ſunt in

corde

corde tanquam in ſubiecto, ut de ira, triſtitia, nihil dubium eſt, ſic & de amore ac odio ſentiẽdum eſt. Obiectũ ueri amoris, eſt res bona ſeu pulchra, ſeu honeſta ſeu ſimilis. Omnes enim non diſtortis ingenijs præditi, amamus excellentem uirtutem. Sic Scipio amat decus ipſum, nec tam præmijs, quàm ipſa uirtutis pulchritudine delectatur. Sic exiſtunt ueri amores inter adoleſcentem & puellam, propter ſimilitudinem. Sunt enim naturæ aliæ alijs ſimiliores, & hanc ſimilitudinem arcano ſenſu percipiunt naturæ. Quare quum obiectum ſimile offertur, facile incenditur amor. Sic & ueræ amicitiæ exiſtunt propter uirtutem in alio conſpectam, aut propter ſimilitudinem naturæ, morum, ſtudiorum. Verum eſt enim Ariſtotelis dictum, ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. Fortaſsis & utilitas, & uoluptatis cogitatio ſeu expectatio, pariunt amorem.

Amoris obiecta.

Amores inter adoleſcentem & puellã naturales ſunt.

Amicitiæ ueræ ſunt ſimiles.

Qui ſunt Stoicorum errores de affectibus? tres ſunt. Quod affectus ſint opiniones, quòd omnes ſint uitioſi, quod omnes ex natura tollendi ſint. Et hæ abſurditates cumulatæ ſunt, quod miſcuerũt appetitiones naturales, & affectus tactum comitantes, & motus cordis. Conſtat enim appetitionem cibi & potus ex natura oriri, quæ appetit ſui conſeruationem. Deinde de dolore, qui tactum ſequi-

Stoicorum errores de affectibus.

tur,

tur, constat neruos sua natura percipere iucundas & noxias contrectationes, sine ulla opinione. Nec ideo Posidonius Stoicus in doloribus articulorum non dolebat, quia repugnans clamitabat, O dolor nihil agis, fatetur enim affici se cruciatu.

Nec cæteri adfectus sunt opiniones, quia sunt motus cordis, quod suprà confirmatum est. Et quidem hi impetus, sunt ὑνσργείαι cordis, ut dictum est, hoc est cor in ciendis adfectibus moderatis acti uè se habet.

Confirmat & hæc ratio, adfectus non esse opiniones, quia quidam adfectus seu inclinationes natura insunt animantibus sine deliberatione, ut στοργαὶ φυσικαὶ erga parentes, liberos, ut etiam bestias uidemus amare & propugnare catulos. Repudientur ergo Stoicorum ineptiæ. Sed cur lamentatur Demosthenes, pulsus patria? Aeschines non lamentatur, qui quidem ait gaudere se liberatum esse à republica, tanquã à rabiosa cane. Cur dolet Ephestion, si intelligat sibi succensere Alexãdrum, Craterus non dolet? Respondeo, hinc non sequitur adfectus esse opiniones, sed dolor ipse est motus cordis, uerum obiecta differunt. Aliàs cor mouetur ueris obiectis, aliàs falsis. Dauid eiectus è regno dolet ideo, quod metuit se abiectum esse à Deo, dolet propter

pter ſcãdalum, hic ueris cauſis cor mouetur. Fabius amat uirtutem, non amat uulgi applauſus, in hoc rectè iudicat ratio, & uerè bonum proponit. Thraſo amat præconia Gnatonis, in hoc mens hebetior nõ uidet uera bona, ſed iudicat illas laudes eſſe magnũ decus. Hoc perinde eſt, ac ſi cui falſo nũcietur mortuus filius, in hoc dolor ex errore iudicij oriretur. Ita aliqui adfectus non à ueris obiectis, ſed ab opinionibus, hoc eſt ab obiectis non rectè monſtratis, oriuntur. Hoc cum cogitarent Stoici, poſtea ὑπερβολικὰς tranſtulerunt ad omnes adfectus, & addiderunt abſurdiorem ſentẽtiam, Adfectus etiam eſſe opiniones.

Venio ad alterum errorem, non eſt uerum, omnes adfectus eſſe per ſe uitioſos. Sunt enim duplices in naturali adfectus, alij conſentientes cum ratione, ut σπουδαῖα φυσικὰ, & alij multi, qui cum recto iudicio conſentiunt. Vt amare uirtutem, odiſſe Tyrannum, hi ſua natura non ſunt uitioſi. De his rectè ſentit Ariſtoteles, eſſe adfectus inditos hominibus utilitatis magnæ cauſa, ut ſint uidelicet calcaria ad uirtutem. Et Plato inquit, Iram eſſe animæ neruum, cuius intentione & laxatione impetus gubernentur. Cum enim in natura hominis ſint adfectuum organa, cum certi humores certis adfectibus

bus ſeruiant, neceſſe eſt aliquos non eſſe uitioſos. Item ut lumen in oculis Diuinũ opus eſt, ita σοφὰὲ φυσικὰὲ Diuinitus inditæ ſunt humano cordi, quæ re per ſeſe non ſunt uitioſæ. Nec uerò opus eſt longa confirmatione, toties uox cœleſtis iubet amare Deum, diligere proximum, amare coniugem, liberos, præcipit φιλοσοργίαν, iubet odiſſe ſcelera, damnat ἀσόργους. Fatendum eſt igitur, non omnes affectus per ſeſe uitioſos eſſe.

Quum autem non ſolum Ariſtotelici reclament Stoicis hyperbolis, ſed etiam perſpicuæ rationes, et grauiſſima teſtimonia Sacrarum literarum, nequaquam Ciceroni, Senecæ, Baſilio, aut alijs applaudendum eſt, qui ſine diſcrimine omnes affectus uituperant, & præcipiunt ἀπαθείαν, quæ prorſus inane ſomnium eſt, imò cum natura pugnat. Non enim fruſtra ſunt organa horum motuum condita. Et qualis eſſet ſegnities in hominibus, quam frigidæ actiones, niſi animi incitarentur affectibus? Vt nauis deſtituta uentis tardè & difficulter prouehitur, ita ſine affectibus, animi lenti ſunt & ignaui. Ideo ſi natura humana incorrupta eſſet, arderet bonis motibus omnis generis, uitioſos nullos haberet. Nunc boni motus languent, & conturbata harmonia acceſſerunt uitioſi, qui ſunt ardentiores. Et tamen boni

confor

conformãdi sunt, qui quidem in Heroicis uiris sunt excitatiores, quibus uidelicet Deus peculiares impetus addit, quibus etsi sæpe abutuntur, quare & tristes exitus plerique habent, tamen uis ipsa animorum, Dei opus est, perinde ut lumen in oculis. Quare & Cicero inquit, Nullum excellentem uirum sine aliquo Diuino adflatu fuisse.

Talis est Achillea ira in prælijs, de qua inquit Homerus, quum Achilles Hectorem adoritur,

μένεϊ δ' ἐμπλήσθη θυμὸν ἀγείρω.

Et sæpe Virgilius Aeneæ, etsi eum prorsus omni crudelitate liberat, tamen hanc iram Heroicam attribuit, quæ non est uitium, quum iustè exeritur, ut aduersus hostem, quem depelli aut puniri iustum est. Vt quum dicitur libro duodecimo,

Terribilis sæuam nullo discrimine pugnam
Suscitat, irarumq; omnes effundit habenas.

Sed hi motus regendi sunt, ne errent. Ideo in Aristotelicis præceptis est, Ira non ut duce, sed ut milite utendum esse.

Alij autem sunt affectus, cum ratione, seu lege Diuina pugnantes, ut inuidere alienæ uirtuti, aut appetere alterius coniugem. Hi & similes, qui cum ratione pugnant, sunt uitiosi, quos coercere & reprimere omni conatu debemus. Hic alia quæstio apud

Philosophos oritur, Vnde sit hæc adfectuum inhomine dissimilitudo & confusio? Cur non sunt ordinati motus, cum ratione congruentes? Cur non obtemperant cæteræ uires consilio rationis? Christiana doctrina ostēdit causam, uidelicet naturæ humanæ corruptionem. Si enim natura esset incorrupta, non esset illa rationis & aliarum uirium discordia, Philosophi ad humorum mixturas confugiunt.

De tertia quæstione facile potest iudicari ex secunda, uidelicet non omnes adfectus tollendos esse ex hominis natura, nec esse fingendam ἀπάθειαν. Etsi enim dissimilitudo est adfectuum, tamen boni retinendi, excitandi & conformandi sunt. Quod autem ἀπάθειαι commentitia sit, & pugnet cum Natura, hæ sunt perspicuæ confirmationes.

Prima, Non sunt frustra in nobis organa adfectuum, quare non omnes euelli possunt, aut debent.

Secunda, Vt in animantibus est amor erga sobolem, qui non accersitur opinione aliqua, sic nobiscum nascuntur σπουδαὶ φυσικαὶ, nec possunt eijci ex animis, nec tolli debent, cum sint impetus, qui inchoant multas uirtutes. Ac de his, inquit Plutarchus in libello de Virtute morali, ἀρχὰς τῶν παθῶν σύμφυτον, ὄχ ἑπεισόδειον εἶν. Et addit necessarios esse hos motus, nec euellendos penitus, sicut

cut in Thracia prorſus extirpatæ ſunt uites, hoc enim exemplo utitur. Sed tamen inquit, hos motus opus habere gubernatione, καὶ παιδαγωγίας.

Tertia, Lex Diuina flagitat bonos adfectus, ut amorem Dei, metum iræ Diuinæ, odium impiorum, ut Pſalmus inquit, Perfecto odio oderam eos. Dilectionem coniugis, liberorum, proximi, præcipit φιλοστοργίαν, damnat ἀστοργῆς, ergo nec eijci uult στοργὰς, ſed reddi puriores. Nec illa uerè beata & immortalis uita ſine adfectibus erit, ſed ardebunt pectora amore Dei, & fruentur lætitia in agnitione Dei. Tunc autem prorſus renouata Natura tantum bonos adfectus habebit.

Quarta, Quoties ingenti mœſticia conflictatur Chriſtus, ut cum inquit, Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Et cum Lazarum reſuſcitat, turbatur, fremit, illachrymat, non enim ſine magno animi motu, ſine uehementi inuocatione illa res perfecta eſt. Quoties adficitur miſericordia, interdum etiam incandeſcit heroica ira, ut cum eijcit cauponantes ex templo, ubi citatur de indignatione teſtimonium, Zelus domus tuæ abſumpſit me. Quàm dulcis eſt ſignificatio στοργῆς, cum infantes imponit ipſe ſuis ulnis. Hæc exempla teſtantur, oportere in bonis exiſtere, & manere adfectus. Erant

enim in Christo ueri, non simulati motus ac dolores, uera et ingens mœsticia, mixta amori erga nos, de nostris ærumnis. Ideo plerunq; utitur Scriptura uerbo ἐμπλαγχνίδη. Repudietur ergo Stoicorum ἀπαθεια, quæ etiam si cauillationibus excusari aut ornari potest, tamen est honesti animi, simplicem ueritatem amplecti. Sacra res est ueritas, nec existimandum est nihil esse sceleris, ludere in re sacra ingenij petulantia, & præcipuum Dei donum, scilicet ueritatẽ malicioſe contaminare, & excogitatis præstigijs obruere. Hanc sophisticam procul abesse à scholis decet, quæ debent esse ueritatis custodes.

Cætera quæ de affectibus disputantur, pertinent ad Ethicen, scilicet quomodo gubernandi aut coercendi sint, quod auxilium propositum sit pijs ad domandos uitioſos adfectus, qui sint bonorum adfectuum gradus, ut magis amandus est Deus, quàm liberi, quomodo σοφρονέστεροι reddantur puriores in pijs. Etsi autem has quæstiones hic non explicabimus, tamen quædam delibanda sunt ex doctrina Christiana. Quum Paulus dicat, Caro concupiscit aduersus spiritum, item, Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, an pronunciet omnes affectus in homine non renato uitioſos esse, item quid uocet concupiscentiam.

Respondeo

Respondeo breuiter, creaturæ Dei, quatenus à Deo conditæ sunt, non sunt res malæ. Vt animæ substantia bona est, ita sensus, oculi, aures, potentia appetens cor, loco motiua, musculi, res bonæ sunt, quatenus à Deo conditæ sunt. Et his sunt actiones attributæ Diuinitus, quæ etiam essent bonæ in natura non uitiosa. Vt στοργαὶ, amor liberorum, coniugis, Nemesis Heroica, misericordia, appetitio generationis, essent boni motus, si essent in natura nõ uitiosa; & restituuntur in renatis, non eijciuntur. Verum in impijs sunt motus auersi à Deo, nec reguntur agnitione & amore Dei. Non agnoscit impius liberos Dei donum esse, educandos ad ornandam gloriam Dei, anteferendam esse gloriam Dei liberorum uoluptatibus aut opibus. Sic in Cicerone etsi amor patriæ est στοργὴ, tamen non agnoscit Deum esse gubernatorem imperiorum, confidit sua sapientia, & potentia. Sed in Esaia, Hieremia, amor patriæ fuit purior, agnoscunt à Deo suam Rempublicam constitutam esse, & Deum uelle, ut gubernetur consilijs, pijs non quærantur impia præsidia, fœdera impiorum, & adfuturum ipsum pijs consilijs. Ergo in utrisq; est amor patriæ, sed in Cicerone auersus à Deo, in Esaia regitur agnitione Dei, in Cicerone mutilatus & distortus adfectus

est, in Esaia cœpit fieri purior. Rectè dici iudico, tales adfectus consentientes cum recta ratione, per sese quidem, hoc est sua natura non esse uitia, cum sint res attributæ Diuinius humano cordi, sed per accidens fiunt peccata, uidelicet in impijs, quia in his non reguntur notitia & amore Dei, & polluuntur uarijs modis. Sed præter hoc genus adfectuum, de quo iam dixi, sunt alij per se pugnantes cum recta ratione, seu lege Dei, ut appetere alterius coniugem, aut alterius prædium, tales adfectus sunt simpliciter & per se uitiosi.

Alia species.

At unde est hæc in natura dissimilitudo, ut eædem potentiæ, adfectus pariant non per se uitiosos, & alios per sese ac simpliciter turpes & monstrosos? Causa est naturæ humanæ infirmitas, quam uocant peccatum originis, quo natura auersa à Deo, etsi retinet aliquid donorum Dei, tamen uagatur sine ordine & sine lege, appetit uaria contra rectam rationem. Hæc ipsa infirmitas uirium omnium, & ἀταξία, uocatur à Paulo concupiscentia. Nam concupiscentia non significat substantiam à Deo creatam, nec σοφίαν naturæ hominum Diuinitus attributas, sed propriè est ipsa ἀταξία uirium omnium, quæ est horribilis labes, & corruptio humanæ naturæ, ignoratio Dei, dubitatio de Deo, contemptus

temptus uerbi Dei, audacia in fingendis opinionibus, & cultibus de Deo, sine eius uerbo, amor nostri, fiducia uirium propriarum, appetitio gloriæ & uoluptatum omnis generis, sine lege atq; ordine. Ex his radicibus, quæ seges scelerum oriatur, ostendit uita hominum plena contemptus Dei, idololatriæ, ambitionis, auaritiæ, libidinum.

Nec concupiscentia tantum est appetitus sensitiui ἀταξίαν, seu prauitas, sed est in mente ignoratio Dei, in uoluntate contemptus uerbi Dei, uacare timore Dei, ambitio, & similes morbi. Et ut mens est imbecillis, & uoluntas auersa à Deo, sic ruit sine lege etiam sensitiuus appetitus, ac rapit secum uoluntatem, ut postea dicam. Et appetitio uoluptatum in corde, accendit libidines, irritat gulam, & conturbat ordinem naturalium appetitionum, cibi, potus, generationis. Hæc est ingens miseria humani generis, quæ quidem agnoscenda & deploranda est. Cum enim Deus subiecerit genus humanum morti, & ingentibus calamitatibus propter hanc naturæ prauitatem, non existimemus eam leue malum esse. Præcipue uerò considerentur illi arcani morbi, ignoratio & contemptus Dei, dubitatio de Deo, & alij similes morbi. De his præcipue loquitur Paulus, cum ait, Sensus carnis, mors est, id

est opiniones, iudicia, motus in homine sine luce Diuina, non adferunt uitam, aberrant, & sunt peccata. Idem uult, cum ait, Caro concupiscit aduersus spiritum, uidelicet dubitat de Deo, non uerè timet eius iudicium, non ardet fiducia & dilectione Dei, habet uarios impetus pugnãtes cum lege Dei, hi per sese mali sunt, & contaminat hæc prauitas etiam non uitiosos motus, ut σοφυάς. Hæc breuiter monuisse hoc loco satis est, nam infrà de uoluntate hæc disputatio repetenda erit.

De appetitu rationis. *Restabat iam, ut de appetitu rationali, seu intellectu comitante, hoc est de uoluntate, diceretur, sed infrà de hac parte dicendum erit. Nunc breuiter hæc adijciam, in hac infirmitate naturæ, intellectus ita alligatus est sensibus interioribus, ut sine eorum ope suum officium non exerceat, ut postea dicam. Ita uoluntas, cum sit infirma, rapitur, ut cum motibus cordis congruat, etsi habet præter hoc aliquem suum delectum, & suum quoddam imbecille opus, quo externa membra cohibet. Vt Achilles stringens ferrum aduersus Agamemnonem, motu cordis rapit unà potentiam superiorem appetentem, & ex animo cupit illum stolidum pœna adficere, sed reuocat eum ratio, ibi uoluntas cohibet manus.*

Pulchra similitudo. *Propemodum autem se habet uoluntas ad cor, ut*

puer

puer insidens contumaci equo, quem circumfert equus suo impetu, etsi interdum puer nonnihil flectit equum, & habenis in uiam retrahit, tale propemodum est uoluntatis opus atq; imperium, ut postea prolixius dicam. In uiro forti & magnanimo, ut in Hectore, cor appetit, & amat uitam, sed uoluntas statuit dimicandum esse pro patria, nec metu mortis ex acie cedendum esse. Hic cum sint diuersæ appetitiones, altera est uoluntatis, altera cordis. Sed Paris non statuit præliandum esse, quia cor uincit uoluntatem. Tanta est autem uoluntatis imbecillitas, ut uinceretur etiam in Hectore, nisi essent aliqui ueri motus ingentes in corde, adiuuantes uoluntatem, uidelicet ardens amor patriæ, & uirtutis. Etsi enim amat uitam, tamen etiam incensus est Heroico quodam amore uirtutis aut patriæ. Sicut Virgilius inquit,

Vincit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

Sed de uoluntate, de libero arbitrio, de causis honestarum actionum infrà dicam.

Nunc adijciam breuiter quasdam Aristotelis et Platonis partitiones, ut ostendam unde in scholas influxerint appellationes potẽtiæ irascibilis & concupiscibilis. Apud Aristotelem genus est appetitiuæ facultatis, ὀρεκτικὸν, id partitur in hæc tria, ὀρεκτικὸν.

ἐπιθυμίας, θυμὸν & βούλησιν, nec attribuit singulis certam sedem, ut fecit Plato. Videtur autem complecti nomine ἐπιθυμίας, appetitiones naturales, famem, sitim, & delectationes, quæ comitantur sensus, uoluptates, dolores, amorem, lætitiam. Ita promiscuè utitur nomine de utroque genere, θυμὸν uocat, non (ut opinor) iram tantum, sed omnes similes motus, quibus noxia depellere conamur. Βούλησις est uoluntas, quæ sequitur intellectionẽ. Hæc partitio ita nude recitatur ab Aristotele, & nec ab Alexandro, nec à Themistio explicatur.

Plato sæpe repetit suam partitionem, gradus tres fecit, ἐπιθυμητικὸν, θυμοειδὲς & λογιστικόν. Ac singulis suam sedem tribuit, ἐπιθυμητικὸν dicit pertinere ad hepar, quia id membrum dominatur inter ea, quæ propriè ad præparãdum nutrimentum condita sunt. Significat igitur uocare se ἐπιθυμητικὸν, facultatem seu appetitum naturalem, ad quem fames, sitis, appetitio generationis pertinent, sed sæpe impropriè loquitur. Addit amorem, auariciam huic parti, cum hi adfectus ferè sint in corde, non in hepate. Etsi enim naturalis appetitio generationis, est propriè in membris conditis ad generationem, tamẽ aliud est amor, seu honestus seu alius, qui appetit uoluptates. Proinde rectius est discer-

nere

nere appetitiones naturales, & alias comitantes sen sum, quàm omnes in unum cumulum congerere, & uni hepati attribuere. Vnde erratum est in uulgari uersiculo, in quo dicitur, Iecur amat, nisi amor pro appetitione naturali intelligatur. Sicut apud Galenum intelligenda est allegoria de Tityo, cui dicunt lacerari iecur ab alite, propter libidinem, eo quod stuprum offerre Latonæ conatus erat. Hæc ad appetitiones naturales utcunq; quadrant, quæ à sanguinis copia & calore oriuntur, ad amorẽ non pertinent. θυμοειδὲς rectè collocat in corde. Ex hac 2
Platonis partitione, ortæ sunt hæ appellationes, Vis concupiscendi, & uis irascendi. Et hepati uulgò tribuitur uis concupiscendi, quod (ut dixi) non est absurdum, si intelligatur de appetitionibus naturalibus, de fame, siti, appetitione generationis, sed non intelligatur de amore, aut alijs adfectibus, qui comitantur sensus.

λογιστικὸν uocat, rationem & uoluntatem 3
obtemperantem rationi, ac frenantem inferiorum uirium motus atque impetus.

Frustra autem in homine esset gubernatrix Ratio, nisi aliquæ potentiæ obtemperare ei possent. Quare de eo discrimine potentiarum nunc dicendum est, quod Aristoteles tractat in fine secundi libri

bri Ethicorum. Sed multo uenustius in primo Politicorum, confert gubernationem partium hominis, ad ciuitatum aut familiarum imperia.

Duæ sunt enim extremæ formæ gubernationis. Altera herilis, ut domini seruis imperant, quos uidelicet cogunt, nec licet eis detrectare dominorum imperia. Altera forma uocatur ciuilis, qua ciues obtemperant non coacti, sed persuasi, ut Athenas regebat Pericles, Senatum Romanum Fabius, seu ut pius & sapiens concionator regit Ecclesiam. In hac gubernatione ciues habent proprios impetus, sed aliter persuasi, eos sæpe remittunt. Vtriusq; gubernationis imaginem, Deus impressit hominum naturæ. Ratio imperat cordi, politico more, consilio excitat, aut sedat affectus. Atque hæc gubernatio præstantissima esset, si cor semper pareret rectæ rationi. Sed quia in hac naturæ prauitate sæpe repugnat, addita est altera, quæ etiamsi cor non patitur frenum, tamen externa membra cogere potest, ut sint in officio. Id est herile imperium uoluntatis, in loco motiuam, continẽtem oculos, linguam, manus, pedes, ne prauis cupiditatibus morem gerant.

Sic igitur crasse & perspicuè discernam potentias. Vna est libera per sese, scilicet uoluntas, quæ potest uelle & nolle honesta ciuilia, res utiles, suaues

ues & contrarias. Duæ sunt potentiæ obtemperantes. Altera, imperio politico obtemperat rationi, scilicet appetitus sensitiuus seu cor. Nam affectus sæpe consilio uel excitãtur, uel sedantur. Quanquam enim cor agit naturaliter, tamẽ aliter proposito obiecto alius affectus excitatur. Et nonnihil uoluntas adiuuat rationem. Porrò in natura integra fuisset concinna harmonia rationis & cordis, semper rectæ rationi uoluntas et cor obtemperassent. Verum in hac naturæ imbecillitate, cor sæpe repugnat rationi, & uoluntatem secum rapit, appetit iucunda sensui, reclamãte ratione. Duobus enim bonis propositis, honesto & suaui, magis mouetur amans ea re, quam suauem iudicat. Ita fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Rursus si amanti magnitudo periculi, & sequentium pœnarum acerbitas proponatur, collatio obiectorum nonnihil languefacit amorem. Dauid iratus pergebat ad interficiendum ingratum ciuem. Sed quum occurreret eius coniunx placatura ducem, admonitus quantum decus esset admissurus, si iracundiæ indulgeret, si illum interficeret, qui etsi fuerat ingratus, tamen erat ciuis, sedatur ergo affectus, obiecto alio ostenso, quo cor magis impellebatur. Valuitq; uersus,

Apud bonum uirum citò moritur iracundia.

Hinc

Hinc intelligi possunt Aristotelis dicta, in quibus dicit, Appetitum sensuum participem esse libertatis seu rationis, uidelicet quia, ut dixi, aliquo modo obtemperare potest.

Sed ut in ciuitatibus contumaces non possunt regi politico imperio, sed ui cohercendi sunt, ita mirabiliter Deus addidit nobis etiam alteram imperij formam. Cum cor non deponit uitiosum adfectum, tamen foris membra cogenda sunt, ne ruant, quò adfectus impellit. Est igitur altera potentia obtemperans, loco motiua, quæ herili imperio obtemperat, uidelicet sine recusatione. Per hanc cohercentur externa mẽbra, quæcunq; appetitiones fuerint contumaces, ut in febribus non sedat sitim ratiocinatio aut uoluntas, sed cum prospeximus periculum, uoluntas loco motiuæ imperare potest, ne potum admittat. Sic in cruciatibus corporis, non tollitur dolor disputationibus, aut imperio uoluntatis, sed loco motiuæ imperatur, ne os, manus, pedes addant deformitatem, aut facinus aliquod. Aiax enim dupliciter peccauit, qui cum & iram sedare, & manus cohibere posset, neutrum fecit. Hercules aliter cruciatus corporis sedare non potuit, alterum potuit prohibere, ne se in rogum imponeret. E contrà in Dauide excellens uirtus fuit, cui etsi ingentem dolorem

lorem ſceleris perpetrati conſcientia, ira Dei, exilium, infamia, regni diſſipatio, ſcandala, filij ſcelus, adferebant, tamen utroque modo conſtantiam præſtitit. Erexit cor multiplici conſolatione, oſtendit Deum placatum eſſe, monuit quàm gratum ſit officium Deo, non ſuccumbere dolori, ſed ab ipſo petere & expectare auxilium, propoſuit exitus placidos. Ita cum bona obiecta monſtraret, politico imperio cor reuocauit à ſumma mœſticia, & à deſperatione, foris etiam loco motiuam herili imperio continebat. Etſi erat animus dolore impeditus, tamen nec mortem ſibi conſciuit, nec hominum congreſſus fugit, magna diligentia bellum parauit, rexit ſuorum conſilia, monuit amicos ſumma prudentia, quæ profutura uidebat ad ſuam & illorum ſalutem. Fiunt illuſtriora exempla, cum hoc modo diſcernuntur & potentiarum & actionum genera. Porrò ualde prodeſt bonis mentibus habere in conſpectu, hoc ipſum Dauidis exemplum, fide animum erigentis, cum quidem non leuiter lapſus eſſet. Iam & illud obſeruandum eſt, ut gubernatio duplex eſt uirium humanarum, ita iuſticia duplex eſt, altera ſeruilis, ac pædagogica, quæ utcunque externa officia præſtat, altera præſtantior, quæ in corde inchoat obedientiam.

Tertiam

Tertiam potentiam, ſcilicet Vegetatiuam, inquit Ariſtoteles prorſus non eſſe participem libertatis ſeu rationis. Quia fames, ſitis, actio uentriculi aut hepatis in nutritione non excitantur, nec ſedantur cogitatione aut ratiocinatione, ſed ſunt ſimpliciter actiones naturales, hæc ita recenſet Ariſtoteles. Sed quærat aliquis, quomodo igitur regendæ ſunt appetitiones cibi, potus, generationis? nam hæ quoque & opus habent gubernatione. Vt in febribus repugnandum eſt ſiti, et coerceri poſſunt. Ad hanc quæſtionem reſpondendum eſt, & ſenſuum exteriorum actiones, & appetitiones cibi, potus, generationis, impediri poſſe per loco motiuam, eatenus hæ actiones reguntur, ut admoueo oculos, aut defle cto per loco motiuam, infundo ori potum, aut non admitto. Has appetitiones non diſcernit Ariſtoteles à cæteris, quæ ad cor propriè pertinẽt, quum tamen ſint diſcernendæ, & aliter coerceantur. Nam ſitis non tollitur ratiocinatione, ſed perferenda eſt, cum loco motiua ei non morigeratur. Ex his liquet, quæ potentiæ obtemperare poßint, & quibus modis obtemperent. Hæc diſcrimina intelligere prodeſt, non ſolum quia ex his fontibus oritur doctrina de moribus, ſed etiam quia in quotidiana uita nos admonent, quæ partes quomodo regendæ ſint, afferunt

aliquid

aliquid lucis & in consideratione exemplorum. Postremò etiam iuuat contemplari mirabilem Dei sapientiam, qui formas imperiorum, qui imaginem duplicis iusticiæ, in ipsis hominum membris effigiatis, nobis ostendit.

De Potentia loco motiua.

Quid est loco motiua? Est potentia, quæ quamcunq; partẽ corporis ex alio loco in aliũ transfert.

Organa sunt, nerui, musculi & chordæ. Musculus enim trahit chordam, quæ mouet membrum, ad quod porrigitur. Transit autem per medium musculum neruus uelut axis, quo musculus se relaxat, aut cõtrahit, ut trahat chordam. Supra autem expositæ sunt appellationes nerui, musculi, & chordæ.

Cum autem uoluntarijs motibus seruiant hæc organa, necesse est præcedere aliquam causam, quæ impellat organum, ea de causa prolixè disputat Aristoteles, organi nullam facit mentionem. Et suo more cor & spiritum facit causam mótus, quia constat pulsus immediate à spiritu fieri, qui in corde nascitur. At pulsus, est motus naturalis, non uoluntarius. Hic de uolũtario quæritur, hoc est de eo motu, quo animalia cient membra, cum libet, & cum libet, nõ cient. Huic motui locali seruiunt nerui, musculi, & chordæ, ut dictum est.

Aphrodisiensis inquit Animam in animantibus, causam esse progressionis. Sicut grauitas in lapide, causa est motus deorsum, in igne leuitas, causa est motus sursum, id commodè dictum est ab illo, sed nos quærimus propinquas causas. Verum est, animam esse primariam causam & fontem, ut aliarum actionum, ita motus localis, sed propiores causæ quærendæ sunt, sunt autem duæ, imaginatio seu deliberatio, & appetitio. His obtemperant nerui mirabili fœdere naturæ, sed impelli tamen eos spiritu existimo, cum uidelicet in imaginatione & appetitione agitantur spiritus. Sicut dormientes etiã sine perspicua imaginatione digitos aut brachia mouent, quia spiritu nerui impulsi sunt. Et in corporibus ægris feruentibus motus sunt, ut uidemus, magis assidui, & incompositi membrorum, propter spirituum agitationem. Sed satis est scire, quod Naturæ fœdere, imaginationi & appetitioni obtemperent nerui, ut ceruus sitiens meminit flumen, quò solet accedere. Appetitio igitur excitato spiritu, neruos impellit, qui cient musculos, musculi chordas, chordæ trahunt membra, ita progreditur eò, quò ducit imaginatio, uidelicet ad flumen. Tantum dici solet de hoc admirabili opere in animantibus. Ad hoc officium conditi sunt nerui, ut sic obtẽperent, nec potest alia

causa

causa perspicua proferri. Nec magis mirum est, esse in animantibus suam quandam facultatem mouendi corporis, quàm esse hoc mirum lumen, uidelicet cognitionem, cogitationem, & delectum.

Diligenter autem discernendi sunt motus in corpore animalis, alius est naturalis, alius uoluntarius, alius mixtus. Naturalis, qui non inchoatur, nec cessat iuxta imaginationem animalis aut delectum, sed obiecto præsente, si natura non est ægra, non potest non ciere hos motus, fiunt autem quadam ui peculiari uillorum, ui caloris. Vt uentriculus attrahit cibum, sicut magnes ferrum. Sic motus cordis, agitat spiritus seu tardius seu celerius. Sic in ira feruor cordis, mouet bilem. Alius est motus uoluntarius, id est qui iuxta imaginationem, seu delectum inchoatur, & cessat, de hoc motu propriè hic loquimur, est autem dissimilis. In perfectis animantibus est uaria membrorum agitatio, est & progressio, uolatus, natatio, gyratio. In imperfectis, ut in uermibus aut conchis, est tantum quædam dilatatio & constrictio, qua se promouent.

Tertius motus, est mixtus ex uoluntario & naturali, ut suprà de motu thoracis dictũ est, qui in somno mouetur, cum spiramus. Talis est etiam motus in urinæ meatibus, partim naturalis, partim uolũtarius.

Adfert aliquid lucis & hæc quæstio, Quum nerui & sensuum & motus instrumenta sint, quare interdum in paralysi amittitur motus, non amisso sensu? Ideo fit, quia alij nerui suppeditant motum, alij tactum. Etsi enim similis est omnium neruorum natura, ut possint & tactum & motum præstare, tamen tenuissimi tantum suppeditant sensum. Emollito igitur neruo, qui per musculum ducitur, cessat motus. Interea sparsi nerui & pelliculæ sub cute, tamen percipiunt tactum. Sed quum fuerint molliti & reliqui nerui, cessat sensus. Alicubi motum & sensum idem neruus impertit, ubi simul & sensus & tactus amittuntur, cætera requirantur à Medicis. At in spasmis acerrimus est dolor, ut quum ferro læsus est neruus, tunc enim nerui propago adhuc accipit uim à sua origine, & sensum retinet. Sed motus impeditur propterea, quia corrugatur neruus, aut distortus est. Et hi morbi perspicuè testantur neruos, esse organa motus, quod & curatio ostendit. Nam restitutis neruis, redit motus. Exempla sunt quotidiana, sed adscribam id, quod narrat Galenus de quodam Pausania. Huic currus percusserat locum inter scapulas, unde postea ei duo digiti affecti sunt paralysi, auxerant autem malum remedia imposita digitis. Sed Galenus consultus, transtu-

lit

lit remedia ad locum inter ſcapulas, ubi eſt neruorum illorum origo, qua parte curata, digitis ſenſus & motus reſtitutus eſt. Hæc eo recitaui, ut horum organorum natura magis agnoſcatur, & maiore cura tueamur neruos, qui quidem facile læduntur multis modis, defatigatione, repletionibus immoderatis, inſomnia, Venere, frigore nimio.

De Potentia rationali, ſeu de mente.

Hactenus tractatæ ſunt organicæ potentiæ, id eſt de ijs animæ uiribus diximus, quæ non poſſunt ſuas actiones exercere, niſi per organa. Nunc de potentia rationali dicendum eſt, quæ dicitur inorganica, quia etſi ſenſus interiores ei ſeruiunt, & obiecta offerunt, tamen ſuam quãdam habet actionem. Sicut etiam diſcedens anima à corpore, ſine organis intelligit, & habet ſuos motus.

Diuiditur autem hæc potentia in duas, intellectum, & uoluntatem. Retineo enim uſitatas appellationes & diſtributiones, etſi alij aliter diſtribuunt. Auguſtinus ut monſtret imaginem Dei in anima, tres uires nominat, memoriam, intellectum, & uoluntatem. Sed de imagine Dei poſtea dicam.

Quid eſt intellectus?

Eſt potentia mentis cognoſcens, recordans, iu-

dicans, & ratiocinans singularia & uniuersalia, habens insitas quasdam notitias, seu principia magnarum artium, habens item actum reflexum, quo suas actiones cernit, & iudicat.

Ex hac definitione discrimen inter sensus & intellectum, inter brutorum & hominum cognitiones colligi potest, sunt autem differentiæ tres. Sensus tantum uersatur circa singularia, nec apprehendit, nec componit uniuersalia.

Secunda, sensus nullas habet innatas notitias.

Tertia, nulli sensus, nulla bruta habent actus reflexos. Apes extruunt mira opera, sed hanc ipsam architectonicen non iudicant.

Quæ sunt actiones intellectus?

His uerbis usitate numerantur tres actiones, simplicium adprehensio, compositio & diuisio, ac discursus. Si cui hæ appellationes uidẽtur obscuræ, numeret hoc modo, simplicium cognitio, compositio & diuisio, ratiocinatio, iudicium, & memoria, nam hæc addi necesse est.

Quod etiam uulgo discernuntur sensus & intellectus his uerbis, sensus est singularium, intellectus uniuersalium, nequaquam debet exclusiue intelligi, quasi intellectus tantum sit uniuersalium, sed utrorumq;. Cum enim mens condita sit ad Dei agnitionem,

agnitionem, & Lex dicat, Diligas Dominũ Deum, item, Diligas proximum, necesse est hæc singularia mente cerni posse. Hæc ratio satis perspicue refutat ineptias quorundam, qui dictum illud absurde interpretati sunt, intellectus est uniuersalium.

Quod est obiectum intellectus?

Ens quàm late patet, hoc est Deus, & tota rerum uniuersitas, est obiectum intellectus, ad cuius agnitionem cõditi sumus, ut manifeste testatur Lex Diuina, Diligas Dominum Deum tuum, & cætera. Sed quoniam natura hominis uitiata est, caligo quædam offusa est menti, ut iam nec Deum, nec spirituales naturas, nec corporum substantiam perspicue intelligat, sed tantum à posteriori eas ratiocinando, utcunq; deprehendat obscure & tenuiter, intelligit autem perspicue, omnes qualitates sensibiles. Ad hoc igitur obiectum, quod quærendum est, & circa quod aliquo modo uersatur intellectus, est Ens, quàm late patet, idest Deus, & tota rerum uniuersitas. Nam legi, quæ præcipit de agnitione Dei, obtemperandum est. Sed obiectum mouens intellectum, in hac infirmitate, est omnis res sensibilis. Inde postea ratiocinãdo, mens inuenit substantias corporales, deinde collatione agnoscit utcunque spirituales. Hæc simplicissime de obiecto dicere uolui,

cum de hac quæstione in scholis sint admodum con fusæ disputationes.

Quomodo fit intellectio?

Vulgo celebratũ dictum est, Nihil est in intelle ctu, quod non prius fuit in sensu, quod nisi dextre interpretemur, admodum absurdum fuerit. Nam uniuersales notitiæ, & dijudicatio, non prius fuerunt in sensu. Sunt & menti insitæ quædam naturales noticiæ, ut numeri, quas non accipit à sensu. Sic igitur accipio dictum illud, moueri intellectum tantum ab his, quæ sensu accepta sunt, sicut in hac infirmitate naturæ intellectus alligatus est sensibus interioribus, ne sine illis suum officium exerceat. Sicut inquit Aristoteles, Oportet intelligentẽ phan tasmata speculari. Interea tamen intellectus postquàm singularia accepit, eruit ipse uniuersalia, & excitatur, ut agnoscat noticias insitas & impressas. Proinde accipiatur dictum illud de primis mouentibus intellectũ, uidelicet nihil mouet intellectum, nisi res sensu percepta, ut orduri intellectionem scia mus ab ijs, quæ sensu accepta sunt, hæc est simplicissima interpretatio. Sic igitur fit intellectio. Primum mẽs accipit singularia obiecta à sensibus, hæc uocatur simplex appræhensio, deinde ex singularibus eruit uniuersalia, quæ Plato uocabat Ideas.

Tertio

Tertio accedit collatio, qua discernit res quascunq; accidentia inter sese, & à substantijs, uidet enim alia uariari in rebus, aliud quiddam esse durabile, quod sustinet mutationes. Nec propius cernimus substantiam, quàm hoc modo. Hæc collatio parit ratiocinationes, quæ procul uagantur, considerant effectus, quærunt causas. Vt cum contẽplamur motum cœlestium corporum, quærimus unde agitentur. Sed quia sæpe in conferendo dißimilia iungunt homines, item in ratiocinando contexunt non necessario cohærentia, ideo sæpe errant, ac hallucinantur. Vt Epicurus non rectè confert magnitudinem solis ad corpora, quæ prope aspicimus. Neq; uerò progredi ad ratiocinandum possemus, nisi hominibus natura insita essent adminicula quædam, hoc est artium principia, numeri, agnitio ordinis & proportionis, connexio syllogistica, geometrica, physica, & moralia principia. Physica sunt, ut, Quod libet est, aut non est. Naturæ aliæ sunt uiuẽtes, aliæ non uiuunt, aliæ sunt brutæ, aliæ sunt intelligentes. Omnia quæ oriuntur, ab aliqua causa oriuntur. Effectus, non est præstantior causa. Intelligentia, antecellunt brutis. Corpus est clausum certis figuris. Vnum corpus, non est multa corpora, nec potest simul esse in pluribus locis, ußato Naturæ ordine.

Tempus, est continua quædam duratio seu rerum seu motus. Deus, est mens quædam infinitæ potentiæ. Deinde moralia. Discrimen honestorum & turpium. Nascimur ad tuenda honesta & fugiendam turpitudinem. Nascimur ad agnitionem Dei. Veritas amanda est. Pacta sunt seruanda. Nemo lædendus est. Et cætera.

Hic igitur magna quæstio oritur, an tales notitiæ nobiscum nascantur, an uerò postea tantum discendo ab alijs accipiantur. Sicut Aristoteles inquit, Intellectum esse uelut nudam tabulam, hoc est nullas notitias nobiscum nasci, sed postea primum discendo eas accipi.

An Notitiæ principiorum nobiscum nascantur?

Si integra esset humana natura, arderet, ac luceret in nobis illustris notitia Dei, & essent excitatiores κοιναὶ ἔννοιαι, quàm nunc sunt, facileq; iudicari posset, eas nobiscum nasci. Cum enim ad imaginem Dei conditi simus, fulsisset in nobis Dei notitia, & discrimen honestorum ac turpium. Nam has notitias imago complectitur, ut postea dicam. Sed cum hæc imago deformata sit lapsu Adæ, ingens caligo sequuta est, manserunt tamen uestigia quædam, & notitiæ subobscuræ, à quibus artes oriuntur.

antur. Solet igitur quæri, unde principia nota ſint, à quibus artium certitudo pendet. Fatentur ambo, Plato & Ariſtoteles, Natura nota eſſe, ſed hoc dictum non eodem modo explicant. Plato in Menone diſputat Natura nota eſſe, quia nobiſcum naſcantur quædam notitiæ, etſi non ſtatim ſe proferunt, ſicut nec ſtatim ingredimur, eſſe tamen in mente. Vt in oculis quaſi lumen quoddam arbitratur, quod eſt quædam notitia habitualis (ut ita dicam) principiorum, quam poſtea confirmatis uiribus, cum iam uti mens phantaſmatibus ſenſuum interiorum poteſt, quibus nunc alligata eſt, promere incipit.

Ariſtoteles in ſecundo Poſteriorum analytico rum, negat nobiſcum naſci principiorum notitias, ſed foris quæri, & certitudinem principiorum eſſe ex obiectorum perſpicuitate, ſeu euidentia. Vt quum magnitudinem uidemus, & cogitamus totum ac partes eius, ſtatim ratiocinamur totum maius eſſe partibus, & conuincimur rebus ipſis, ut certam eſſe hanc ſententiam ſtatuamus. Sic intelligit principia Natura nota eſſe, quia ſcilicet eis adſentimur ſine alio teſtimonio. Eſt hoc quidem argutè cogitatum de Geometricis principijs, quorum termini ſunt oculis ſubiecti. Sed principia nõ ſubiecta ſenſui, unde agnoſcuntur? ut numeri, intellectus,

ordinis

ordinis,& principia moralia. Nec illa totius & partium collatio fieri posset, nisi in mente prius existeret numerorũ & ordinis notitia, & intellectus syllogisticæ connexionis. Vt speculatiua principia, ita practica certa & firma sunt, sed practica facilius labefieri sinimus, propter uoluntatis nostræ infirmitatem ac mobilitatem. Certa est & firma sententia, Adulterium est turpe, sed non tam firmiter eam amplectimur, ut hanc, Bis quatuor sunt octo. Re ipsa tamen certitudo similis est, non quia foris euidentia mouet oculos, sed quia & hæc sententia Diuinitus insita est menti. Itaq; nos sequemur Pauli sententiam de hac controuersia, qui testatur Diuinitus insitas esse mẽtibus has notitias, quòd sit Deus, quòd Deo sit obediendum, item discrimen honestorum & turpium, seu leges Naturæ. Ait enim ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Et ut antea dixi, imago Dei in mentibus nostris, si non esset deformata, cõtineret illustres notitias de Deo, quibus sunt adiunctæ notitiæ numerorum, ordinis, discrimen honestorum & turpium, discrimen causæ & effectus, & aliæ multæ. Nam magna copulatio est primarum notitiarum. Adsentior ergo & Paulo & Platoni, & principiorum notitias non tantum foris quæri, sed insitas esse animis statuo, etsi

etsi nunc quidem in hac infirmitate sunt subobscurae. Atque hæc sunt adminicula domestica, quibus mens initio adiuuatur in conferendis obiectis externis, in ratiocinãdo, in iudicando, quanquam excitanda est à sensibilibus. Excitata erui uniuersalia, & aspicit illas notitias insitas. Hæc sententia est uera, & ostendit principiorum certitudinem à Deo esse, quæ quidem nisi essent Diuinitus insitæ nobis, profectò artes nullas haberemus, sed Deus, ut monstraret artes, hæc adminicula, & ut Plato uocat, has Alas nobis addidit. Galenus, & alij ueteres Philosophi quum quærunt, quæ sit artium certitudo, duas ponunt causas, experientiam, & κοινὰς ἐννοίας, has uocant κριτήριον opinionum, quod uolunt esse certum & firmum. Fateamur ergo κοινὰς ἐννοίας Diuinitus nobis attributas esse, tanquam uitæ duces ac magistras. Sicut Salomon inquit, Vt oculus uideat, & auris audiat, Deus facit utrunq;. Idest, Dei dona sunt in mentibus certæ notitiæ, & iudicium gubernans uitam atque actiones. Erit et illustrior certitudo moralium principiorum, si Deum esse autorem statuemus, ut uerissimum est, interea hæ ipsæ notitiæ etiam ratiocinando fiunt illustriores. Mens naturaliter intelligit esse Deum, Veritatem esse amandam, & tamen accede

re

re ratiocinatio potest, qua fiunt hæ sententiæ illustriores. Si ueritas tolleretur ex uita, ex pactis, contractibus, iudicijs, qualis esset futura uitæ confusio? Ergo cum sit necessaria ueritas, amãda est. Hoc argumentum à posteriore ductum est, item ex hominis natura. Conditi sumus ad intelligendas res. Falsis adsentiri, non est res intelligere, sed potius obruere. Ergo ueritas amãda est. Ita multa colligi possunt de alijs principijs, & tamen sententiæ prius insunt mentibus nobiscum natæ.

De Intellectu agente & patiente.

Etsi uerè adfirmare possum, me simplici animo hunc Libellum propter scholasticorũ utilitatem instituisse, & pro uiribus operam dedisse, ut plana & profutura studiosis colligerem, tamen cum ferè ad metam peruenissem, intellexi adeo acerbam censuram de hoc scripto agi, ut planè pigeret huius operæ. Sed quoniam delere priora non potui, perte-
xam (si potero) reliqua quàm breuissime. Fugio no-
uas interpretationes. Retineo scholarum consuetu-
dinem, quantum possum. Raro admodum, ac uere-
cunde discedo à uulgaribus sententijs. Fortassis au-
tem hanc nostram interpretationem de intellectu
agente, aliqui repræhendent, quibus per me quidem
liberum est alias interpretationes quærere, nec

propono

propono meam tanquam oraculum. Accommodo Aristotelem ad popularem sententiam, ut intelligi aliquid possit. Ac si quis attentè considerabit hunc locum Aristotelis, animaduertet nostram, seu diuinationem seu interpretationem, non esse alienam ab autoris sententia. Voluit enim Aristoteles hoc insigne discrimen ostendere, quod in hominibus miramur omnes. Oculi incolumes plurimorum intuentes aliquid, pariter id uident, at mentes, etiam quum idem quærunt, tamen non pariter inueniunt, inuenta uerò pariter intelligere possunt, quum declarantur. Vt rationem apparandi pulueris tormentarij, & iaculandi globos, inuenire nemo potuit præter autorem, inuentam intelligunt, & probant alij artifices. Discernit igitur Aristoteles duo officia intellectus. Alterum, est inuenire: alterum, inuenta intelligere, & agnoscere, seu tanquam dictata accipere. Vna est enim substantia intellectus in singulis, quæ cum inuenit aliquid, dicitur intellectus agens, aut faciens, sic enim malim appellare, sed sequor consuetudinẽ, cum uerò ab alijs inuenta intelligit, dicitur patiens. Vt in omni uita, in artibus, in cõsilijs priuatis & publicis, in strategematis, in Poetica, in eloquentia, alij alijs perspicaciores sunt, & inuentione plus ualent. Vtimur ergo uel nostris inuentis

Intellectus agens.

Intellectus patiens.

uentis,uel alienis.Ita in cœtu aliquo quum multi de una re deliberant,uni atque alteri ueniunt in mentem optima,quæ cæteri non poterant inuenire,ſed inuenta intelligunt,& probant. Excellit igitur faciente intellectu inuẽtor,ut in Senatu Attico, Themiſtocles,in Romano, Fabius,aut Lælius,cæteri patiente intellectu agnoſcunt horum conſilia ualere. Annibal intercluſus à Fabio,mira arte patefecit ſibi exitum,boum cornibus alligauit ſarmenta incenſa,ut exercitui Romano errorem obijcerent.Id non ueniſſet cuilibet in mentem,etiamſi inuentum cæteri intelligunt, & probant. Quum Alexandro in aditu Aſiæ nunciaretur, ſudaſſe Orphei ſtatuam, idq; uideretur quibuſdam triſte omen, Alexander contrà inquit,Placere ſibi omen,facturum ſe magnum laborem Poetis. Huius dicti urbanitatem intelligebant cæteri, qui tamen etiam diu quærentes non inueniſſent. Quum autem ingens decus ſit in omni uita,recta inuentio ſeu conſilij,ſeu doctrinæ, & maximas res gubernet,meritò ampliſſimis laudibus Ariſtoteles hunc inuẽtorem intellectum ornat. Vt lumen oculos adiuuat,ita ait intellectum patientem ab inuẽtore adiuuari. Neceſſe eſt enim nos aut inuenire ipſa conſilia,aut aliorum inuentis tanquam dictatis uti.Hunc ait abſtrahere à phantaſmatibus,

ideſt

ideſt, hic celeriter confert multas cauſas, effectus, alluſiones, & inde eligit, quod eſt aptißimum. Ait eſſe uelut artem, & alterum ut materiam, quam formet, & expolit artifex, ut præceptor format, ac erudit diſcipulum. Addit etiam eſſe ſeparabilem, non mixtum, non obnoxium læſioni ſeu ἀπαθῆ, quæ aliqui interpretantur de immortalitate, nec ego repugno. Sed ſi de actionibus loquitur, ſignificat hunc intellectum non impeditum eſſe, non immorari rebus obuijs ac ſenſibilibus, ſed longius recedere, & multa procul tanquam ex ſpecula proſpicere. Breuiter expoſui meum iudicium de intellectu agente, ut uocant, quod ſicui non placebit, non impedio, quo minus quærat interpretationem concinniorem. Ego de hoc loco non magni momenti, cum alijs rixari nolo, hanc ob cauſam fui breuior, nec uolui adſcribere longas & argutas enarrationes uerborum Ariſtotelis, quæ ſuffragantur meæ ſententiæ. Satis eſt nos reijcere prodigioſas nænias Auerrois, & aliorum intricatas enarrationes, quibus nullæ res ſubſunt. Elegi popularem ſententiam, amo enim philoſophiam, quæ res aliquas in uita monſtrat.

Duplex eſt noticia.

Noticia aliàs actionem, aliàs habitũ ſignificat,

hoc est durabile quoddam lumen, ut sic dicam, mentis, quo utimur cum uolumus. Sed de actione loquamur. Noticia, est ipsa mẽtis actio, qua agnoscit rem, quasi formans imaginem rei, quam cogitat. Nec aliud sunt imagines illæ seu ideæ, nisi ipsi actus intelligendi. Dicitur autem noticia intuitiua, cum cognitio rei simul per sensum & mentem in præsentia accipitur, quare tantum est singularium, ut cum simul oculi & mens aspiciunt picturam in pariete. Et uenuste dicunt noticias intuitiuas, esse similes definitionum, quia sunt maxime illustres. Ac definitiones imitari debent intuitiuam agnitionem, hoc est, debent esse maxime perspicuæ. Abstractiua uocatur, qua absentia cogitamus, ut cogitamus absentes amicos. Nam memoria in cerebro seruit menti, retinens imagines, est & sua menti memoria. Est & uniuersalium abstractiua noticia, & omnium quæ non immediate sensu accipiuntur. Iam illa ad Dialecticos pertinent, quærere gradus ratiocinationum, ubi à priori, ubi à posteriori aliquid inuestigetur. Hi gradus à Dialecticis petendi sunt. Vniuersalia autem sic intelliguntur, cogitato nomine multa individua significante, uel cogitata imagine individui uagi, hoc est naturæ sine circũstantijs individuorum.

Alia

Alia diuiſio intellectus.

Vt uocabula quædam uſitata interpretemur, adiũcienda eſt & alia diuiſio, qua diſcernũt intellectum ſpeculatiuum & practicum. Porrò hæc diſtributio nequaquam ſignificat diuerſas potentias, ſed ſignificat unam mentem, ſeu unam potentiam uerſari circa diuerſa obiecta, aliàs circa ſpeculabilia, aliàs circa deliberationes de actionibus. Poterant & plures differentiæ obiectorũ addi, uidelicet mechanicum. Eſt enim & mechanicus intellectus, ut in architecto. Has diuiſiones hic recenſere nihil opus erat, ſed quia in Eccleſia uſus eſt uocum quarũdam, quæ hic explicantur, has adſcribam.

Ratio ſæpe ſignificat utranq; partem, intellectum gubernantem, & uoluntatem obtemperãtem, quas uires coniunctas uocant Platonici ἡγεμονικόν. Ariſtoteli λόγον & noticiam gubernantem plerunq; ſignificat. Et ſic ſæpe uocabulum Ratio, tantum de noticia uſurpatur. Addunt alias multas deſcriptiones, quas uolens omitto.

Syntereſis, ſignificat conſeruationem noticiæ legis, quæ nobiſcum naſcitur.

Conſcientia, ſignificat noticiã accuſantem aut approbantem nos. Ac placet mihi, quod aiunt ſyntereſin, tradere maiorem in ſyllogiſmo practico,

conſcientiam, attexere minorem, & concluſionem. Paulus totum hoc argumentum & iudicium uocat conſcientiam. Sed non tantum à ſyntereſi, id eſt naturalibus noticijs, ſumitur maior, interdum ſumitur ex alijs mandatis Dei.

Simpliciſſima eſt enarratio, cum hoc modo deſcribuntur ſyntereſis & conſcientia eſſe tantum noticiæ legis, addunt alij plura, ac transferunt eas ad uoluntatem. Aiunt conſcientiam eſſe non ſolum noticiam, ſed inclinationem in uoluntate, naturaliter excitantem pauores & terrores, cum accuſat noticia legis. Deinde adfingunt pœnitentiam, eſſe tales pauores naturales, hæc imaginatio falſa eſt.

Adſentior enim, mirabili ordinatione Dei ſequi terrores. Vt conſtat ſceleratos quamlibet furioſos, tamen ſentire cruciatus animi & erinnyas, propter admiſſa ſcelera. Sed hi dolores non habent unam cauſam, cum ſunt naturales, tantum intuentur ciuile honeſtum, aut pœnas humanas, non intuentur Deum, & longè differunt à pœnitentia, de qua concionatur Euangelium. Vt cum Alexander Clytum interfecit, etſi magno in luctu fuit, tamen hic dolor non intuebatur iudicium Dei. Aliàs Diuinitus incutiuntur terrores ad puniendos impios, ut Iudas, Ahitophel, & alij magnitudine terrorum extincti ſunt.

sunt. Hi motus non oriuntur à uoluntate humana, iuxta illud Psalmi, Et in ira tua turbabis eos, Imple facies eorum ignominia, &c. Cum igitur dolor non habeat easdem causas, & naturalis dolor non sit pœnitentia, de qua concionatur Euangelium, nec intueatur Deum, satis est dicere conscientiã noticiam esse. Cætera omitto, & iubeo causas & discrimina dolorum aliunde peti.

Eadem admonitione opus est de synteresi, huic profecto nimium tribuerunt, qui dixerunt esse inclinationem in uoluntate, qua naturaliter moueatur ad uitandam culpam & pœnam, & ad adipiscendam uitam æternam. Hæc descriptio arrogantiæ plena, omnino repudianda est. Vetus Philosophia est magis probanda, quæ & noticias illas menti tribuit, & ait in uoluntate σοφίας esse, in alijs magis, in alijs minus expressas, sed tantum ad ciuile honestum. Vt synteresin in Esau, sequebatur interdum obscurus motus, fratri placatior. In C. Cæsare, cum illachrymasset conspecto Pompeij capite, synteresin secuta est misericordia uiri tanti, quem meminerat fuisse generum, quem ex summo fastigio rerum humanarum in acerbissimas calamitates decidisse uiderat. Cogitabat & sibi ac cæteris florentibus propositum esse exemplum inconstantiæ re-

Synteresis.

rum humanarum, hæ cogitationes miſcebant dolorem & miſericordiam. Sed hi motus erant auerſi à Deo, non regebantur agnitione aut timore Dei. Sicut Lucretiæ factum teſtatur, quæ etſi dolore adficiebatur propter turpitudinem, tamen hunc motum non recte regebat. Etſi igitur ſunt in mente noticiæ legis, tamen uoluntas eſt contumax aduerſus Deum, nõ poteſt ſe ſine Spiritu ſancto excuſcitare, ut uere timeat Deum, ut ardeat dilectione, ac fiducia Dei. Sicut Paulus de gentibus inquit, agnouiſſe eas Deum, ſed non glorificaſſe, & detinere eas ueritatem in iniuſticia, hic diſcernendæ ſunt potentiæ. Mens habet aliquam legis noticiam, ſed uoluntas eſt contumax erga Deum, etſi fortaſsis habet aliquas σοφίας ad ciuile honeſtum, ſed hæ non intuentur Deum, nec ſunt iuſticia, de qua Euangelium concionatur. Id diſcrimen obſeruandũ eſt, quod qui non retinent, magnas tenebras inducunt Euãgelio.

De Voluntate.

De uocabulo primum admonendi ſunt ſtudioſi, uarius enim uſus eſt, & imperiti interdum errant, decepti uocis ambiguitate. Hic uocamus uolũtatem potentiam, ſeu, ut ita dicam, partem animæ intellectiuæ appetentem, quæ potentia eſt ſuperior adpetitu ſenſuum, ut cum uult Scipio præſtare continentiam,

nentiam, captiua nobili adducta, aut ſitiens in febribus, uult abſtinere à potu. Sæpe actio & decretum huius potentiæ uocatur uoluntas, ut cũ dicitur, Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas.

Sed hic fit mentio potentiæ, hanc ita definio, Voluntas, eſt potentia appetens ſuprema, ac libere agens, monſtrato obiecto ab intellectu, actiones eius ſunt, uelle ac nolle. Et medium inter hæc eſt, ſuſpendere actionem, uult bona, quæ aut ſunt, aut uidentur talia, repudiat mala, quæ aut ſunt, aut uidentur talia. Vt poſtea de obiecto plura dicemus, ſunt enim de eo inuolutæ quæſtiones, ſed nos eligemus rectiora & ſimpliciora. Nam ex quæſtione de obiecto, oritur tota Philoſophia moralis de fine bonorum, in quo uoluntas humana perfectè acquieſcit. Sunt autem duplices actiones uoluntatis, aliæ uocantur elicitæ, quibus ipſa per ſeſe nec ſimulans, nec alijs imperans, aliquid expetit, aut auerſatur. Vt Scipio uere & ex animo uult patriam tranquillam eſſe, ideo non rixatur cum Tribunis. Auarus uere & ex animo expetit pecuniam. Aliæ actiones dicuntur imperatæ, cum uidelicet uoluntas aut ſic imperat, aut inferioribus uiribus, etſi his, ut dictum eſt, diſſimiliter imperat, ut in febribus non uult morem gerere ſiti, ideo loco motiuæ imperat, ne porrigat potum. In

uiro forti, etsi cor metuit mortem, & aliqua ex parte secum rapit uoluntatem, tamen uoluntas erecta pulchritudine uirtutis, nonnihil flectit cor, ut eodem bono moueatur, & minus metuat. Præterea simulationes omnes, sunt imperatæ actiones. Vt in falsa pœnitentia sunt ficticij dolores, cum adulter impius simulat pœnitentiam.

Simulationes sunt imperatæ actiones.

QVAE EST IMAGO DEI in homine?

PRiusquàm de obiecto, & de libertate dicam, monendi sunt studiosi, ut cogitantes præstantiam harum uirium, intellectus & uoluntatis, erigant animos ad architecti agnitionem, nam in hoc opere præcipue lucent eius natura, sapientia, bonitas, & uoluntas erga nos. Per nos, & in nobis innotescere uoluit, ideo nos condidit, ideo attribuit sui imaginem, dedit mentem, indidit aliquam noticiam Diuinitatis, addidit discrimen honestorum & turpium, adiunxit libertatem electionis. Deinde cum hæc bona corrupta essent nostra culpa, donauit nobis Filium, ut nos restitueret, promittit uitam perpetuam, in qua dulcissima ipsius cõsuetudine fruemur. Hæc illustria testimonia ueri amoris ipsius erga nos cogitantes, excitemus nos uicissim, ut ipsum agnoscamus, amemus, credamus nos ei curæ esse, & inuocemus

nocemus eum, hoc honore præcipue à nobis adfici nult. Nunc quid nocent imaginem, dicam, qua utcunq; considerata, sequentibus quæstionibus multum lucis accedet. Nam si imago Dei in nobis, non esset deformata, satis constaret, proprium & summum obiectum uoluntatis, & finem bonorum, esse Deum. Et de libertate nulla esset ambiguitas, cum non esset impedita, nunc propter caliginem in hac imagine, & propter conturbatam harmoniam uirium, existunt uarij errores. Hinc est insania Epicureorum, qui Gigantea audacia bellum cœlo inferunt, negant esse Deum, & quærunt fugacia bona. Et est similis furor maximæ partis generis humani, quia imago Dei deformata est. Clamitat igitur Paulus, ac iubet renouare imaginem Dei, agnitione ipsius, iusticia ac ueritate. Et alibi sic renouari inquit, cum transfundit Christus in nos, tanquam in specula, agnitionem sui, ut uera ipsius noticia luceat in nobis, & statuamus eum non esse ociosum, sed nos uerè ei curæ esse propter Filium, nos uerè exaudiri ac seruari. Esi igitur imago Dei ipsa mens, sed quatenus in ea lucet uera noticia Dei, & in uoluntate uera obediẽtia, hoc est ardens dilectio Dei, & fiducia acquiescens in Deo, ac libertas, quæ illi noticiæ & amori Dei integre obtẽperat. Ideo enim

Imago dej ẽ ipsa mẽs.

dicitur imago, quia ostendit archetypum. Iam ubi non est notitia archetypi, non potest eum ostendere. Et imago referre se debet ad archetypum, tanquam ad summum bonum, ideo accedit amor Dei. Sic condita est imago, & insita Diuinitus notitia, dilectio Dei, & uera libertas, hoc est harmonia omnium uirium. Ergo si esset integra imago, constaret Deum esse proprium, & summum obiectum nostræ uoluntatis. Quia maxima est cognatio inter effigiem & archetypum, & effigies intelligens ac appetens, maximé ad illud exemplar, ex quo expressa est, ferretur. Postquàm uero contaminata est hæc imago, restituitur Verbo Dei per Spiritum sanctum, qui nouam lucem, & nouam obediẽtiam, per Verbum Dei in mentibus inchoat. Hæc est uera, et Veterum quorundam de imagine sententia. Impiæ mentes sunt quidem naturæ intelligentes, & aliquo modo liberæ, hæ dotes etsi sunt reliquiæ imaginis, tamen non sufficiunt ad imaginem. Augustinus accommodat imaginem ad substantiam, in mente Memoria gignẽs intellectionem, repræsentat Patrem, Intellectio Filium, Voluntas Spiritũ sanctum. Nam Pater intuens se ad cogitans, gignit Verbum, quod est imago Patris, quæ est Filius Dei, ideo Iohannis Primo uocatur Filius Dei, λόγος. Spiritus sanctus

Etus est agitatio à Patre & Filio procedens, id con uenit magis ad uoluntatem. Sed anima humana sine luce Dei, est corrupta imago. Tunc enim est imago, cum ostendit archetypum. Græci Theologi imagi- nem interpretantur, animam præditam ui intelligen di & libertate. Omitto rixam, utra uis præcellat, uis cognoscens, an uoluntas, pariter enim regere cæ teras uires debent. Et quamuis uoluntas est præstan tior, quia propter libertatem laudantur, aut uitupe- rantur actiones, tamen non habet tyrannicum impe rium, sed iudicio mentis obtemperare debet. Suntq; re ipsa una substantia, intellectus & uoluntas.

Græcorum Theologorum sententia.

Intelligentia ne præstantior sit Voluntate?

Quod est obiectum?

Vt obiectum intellectus esset ens, quàm late pa tet Deus, & rerum uniuersitas, si hominis natura integra esset, ita uoluntatis idem esset obiectum, & inter appetenda & amanda, summum esset Deus, ut testatur Lex Diuina, Diligas Deum ex toto corde.

Ad hoc obiectum amandum & fruendum con diti sumus, eoq; uocasset nos in mentibus (ut dixi) noticia Dei fulgens, hunc archetypum imago expe tiuisset, hunc fontem quæsiuisset natura inde orta. Perspicuum igitur fuisset Deum esse homini finem bonorum, nec extitissent Philosophorum certami- na, de fine bonorum, & tot ambages, ac labyrinthi opinio-

opinionum. Expetiuisset igitur humanus animus Deum, ut summum bonum, deinde res bonas cæteras eo ordine, quem Deus tradidit, uirtutem, uitam, uitæ commoda propter Deum, agnouisset se Deo seruire in usu legitimo harum rerum, & Deum autorem celebrasset.

At nunc in hac infirmitate humanæ naturæ, ille ordo conturbatus est, ac penè similis est homo illi monstro, quod componit Plato in nono de Republica ex tribus, ex homine, leone, & scylla, significans in homine esse rationem, deinde motus cordis, postea appetitiones cibi, potus, libidines. Difficile est igitur genus obiectorum constituere, nec mirum est, dissimiles fuisse Philosophorum opiniones. Proderit tamen hoc obiectũ considerare, ut fontes Philosophicarum disputationum animaduerti possint, & discrimen philosophiæ ac doctrinæ Euangelij fiat illustrius. Primum autem repudio opinionem recentium quorundam, qui negant bonum esse obiectum uoluntatis in appetendo, & cõtendunt uoluntatem, uerè & sine simulatione uelle posse malum, nulla ratione boni. Habeo eruditas causas, cur hoc somnium reijciam. Etsi est aliqua uoluntatis libertas, tamen sic ordinata est, ut uelit bonum, hoc siquis non admittit, euertet totam rationem finium.

An Voluntas, possit velle malum?

Nec

Nec magis causa erit, cur uoluntas acquiescat in Deo, quam in tauro Phalaridis. Verum omitto confutationem, ac breuiter constituo obiectū mouens uoluntatem in hac infirmitate, & in ijs, qui non gubernantur luce Euangelij. His igitur, ut Catoni aut Ciceroni, obiectum est uoluntatis, in appetendo bonum finitum, quatenus ratio aut sensus decernit, id esse bonum humanæ naturæ aut societati, rursus in fugiendo, malum contrarium illi bono, obiectum erit. Hinc potest iudicari, quousq; humanæ appetitiones, sine Spiritu sancto progrediantur. Nam illius boni species sunt, honestum ciuile, bona utilia, uita, & uitæ commoda, item iucundum, ut uoluptates, quas aut sensus aut ratio expetit, intra hanc bonorum regionem uersantur appetitiones. Vt doctrinam expetimus, est enim quædam mentis perfectio, & natura ad agnitionem rerum ducimur, prælucentibus notitijs innatis. Expetunt aliqui uirtutem, etiam si fructu carendum est, ut Scipio, Fabius. Expetimus gloriam, est enim res pulchra præstantia uirtutis, & hanc tribui nobis uolumus, seu uerè, seu falso. Sunt enim homines natura superbi, καὶ φιλαρχικοί. Deinde expetimus uitam, uitæ commoda & uoluptates, ultra hæc non progreditur Cato. Non amat Deum, quia etsi statuit esse

esse Deum, tamen dubitat, utrum curet, exaudiat, & adiuuet nos, somniat ociosum esse, nec bonum esse generi humano, certe in ærumnis nõ amat, ubi si quid ei tribuit, arbitratur se ab eo puniri, nec uero punientem aut affligentem amat. Hinc multæ sunt in Poetis dubitationes de prouidentia, & reprehensiones. Vt illud apud Virgilium,

Famamq; fouemus inanem.

Est igitur humana uoluntas auersa à Deo. Quare Paulus inquit, Qui secundum carnem sunt, carnalia sapiunt, uidelicet quæ recensui. Cato amat uirtutem, sed non propter Deum, non statuit se à Deo respici, nec diligit Deum. Hic gradus obseruandus est, ut discrimen consideretur Philosophiæ & Euangelij. Possent autem hæc copiosissime explicari, sed satis iam sit semina harum disputationum monstrasse. Discedamus igitur iam à scholis Philosophorum, & sciamus nobis uocatis ad Euangelij agnitionem obiectum esse uoluntatis, bonum infinitum, & cætera bona suo ordine appetenda. Vocamur enim ad instaurationem Naturæ, & proponitur nobis Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, qui testatur Deũ nõ esse ociosum, sed uere nos curare, recipere in gratiã, exaudire, liberare. Cum sic agnoscimus Deum, incipimus eum amare, in eo

acquie

acquiescere, ab eo bona expectare, ei obedire, et in recte factis ipsum intuemur, uirtutem eo amplectimur, ut ipsi obtẽperemus, ac ab ipso gubernari nos petimus. Nec sumus Stoici, amare licet & uitam, uitæ commoda, coniugium, politicam societatem, & uoluptates ab ipso ordinatas atq; concessas. Et quidem in his beneficijs agnoscimus eius ordinationem ac præsentiam, iudicamus hæc esse bona, sed inferiora Deo, nec anteponenda esse uoluntati Dei. Esaias amat uitam, regni tranquillitatem, coniugem & liberos, & iam annos amplius sexaginta concionatus erat, nequis imperitia eum audaciorem fuisse putet, & tamen pluris facit mandatum Dei, quàm uitam suam, iussus reprehendere regũ scelera. Hæc exempla nobis obiectorum gradus satis ostendunt. Sed unde oritur tanta morum atq; actionum confusio? Dauid rapit alienam coniugem, tametsi uideat, ac intelligat facti turpitudinẽ. Hoc ita fit, aliud obiectum mouet cor, aliud proponitur uoluntati. Ratio monstrat uoluntati turpitudinem. Sed cor incensum est amore, qui ut est uiolentus, rapit secum uoluntatem, ne obtemperet recto iudicio. Nam uoluntas, etsi est aliquo modo libera, & repugnare ac impedire scelus posset, tamen admodum infirma est. Nunc igitur qualis sit libertas, dicendum est.

De

De Libero arbitrio.

Magna est disputationum perplexitas de hac quæstione, sed res dijudicari facile potest, si ordine consideretur, quid agatur. Dupliciter solet detrahi libertas humanæ uoluntati. Aut enim in uniuersum tollitur contingentia omnium euentuum, non tantum humanorum, sed etiam reliquorum, ut Stoici defendebant fatalem necessitatem. Aut non defenditur illa Stoica necessitas, sed tantum monstratur infirmitas humanarum uirium, quæ non possunt sine motu Spiritus sancti concipere uerum timorem Dei, ueram fiduciam, ac dilectionem, non possunt præstare ueram constantiam & patientiam in morte & magnis agonibus, deniq; non possunt præstare integram obedientiam legi Dei. Cum igitur duæ sint quæstiones, altera de Stoica necessitate, altera de infirmitate uirium humanarum, breuissime de priore respondeo. Existimo prodesse adolescentibus honestas & minime perplexas opiniones. Simpliciter sentiendum est, Deum non esse autorem peccati, sed peccatum ortum esse à libera uoluntate diaboli & hominis, & scelerate facta hominum contingenter & libere ab ipsorum uoluntate oriri. Quia Psalmus inquit, Non Deus uolens impietatẽ tu es. Et Christus ait, Diabolum mendacij patrem esse,

Respondet de prima questione stoica.

esse, & ex proprio loqui mendaciũ. His testimonijs contenti simus, nec quæramus prolixiorem disputationem. Cum autem constitutum est, Deum non esse autorem peccati, sequitur contingentiam concedendam esse. Quia enim Deus nec uult, nec approbat peccatum, perspicuum est, id non ab eius uoluntate oriri, sed diaboli & hominum uoluntatem se libere à Deo auertisse. Est autem libertas, fons & causa contingentiæ. Estq; hic attente considerandum, Diuinitus dissimiles modos agendi additos esse creaturis, ut aliæ agant naturaliter, nec suspendant actionem, ut ignis non potest non calefacere, homines uerò libere agant, aut non agant. Hi diuersi modi agendi, Diuinitus ita in natura conditi sunt, etiãsi à nobis satis explicari non possunt, sicut nec creationem intelligere possumus. Cæterum differunt euentus. Alij oriuntur uere à Deo uolente & agente, ut euentus promissionum Diuinarum, liberatio populi in mari rubro, Christi aduentus, postremum iudicium, hæc sciamus non esse mutabilia, quia sic decreta sunt. De alijs contingentibus, de quibus nullum extat Diuinum decretum aliter sentiendum est, nec præuidere contingentia, mutat eorum naturam. Et cum scelera prorsus non oriantur à uoluntate Dei, cum præuidet ea Deus, non uult, sed per-

mittit, ac metas constituit, quousq; permissurus sit, id uulgo uocant determinare hæc contingentia. Præuidet grassaturum esse Pharaonem in Israelitas, & constituit metam, quousq; hunc furorem toleraturus sit, sicut hanc ipsam determinationẽ. Prophetæ multis uenustis figuris significant, ut Regi Assyrio dicitur, Ponam hamum in ore tuo, & reducam te, & cætera. Citatur ex Euripide sententia grauissima & digna memoria, εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί. Quare Stoicam ἀνάγκην remoueamus, quæ multas absurdas opiniones parit. Vt Seruulus Zenonis, iniuste se plecti aiebat, quia fato coactus esset peccare. Nec de sceleribus illud Poetæ dicendum est, Fati ista culpa est, Nemo fit fato nocens. Reliquas de hac quæstione spinosas disputationes hic omitto. Alterã partem uideamus, quæ non de prouidentia loquitur, sed iubet aspici uires nostras, domum nos deducit, ut nos ipsos intueamur. Quæramus, ut Socrates monebat, ὅπλων ἡμῖν μεγάλων ἀγαθόν τε καὶ κακόν τε τέτυκται. Vt baiuli uires suas præmetiri solent, ita hic de nostris uiribus disputamus, quas intelligere in omni uita atq; actione necesse est. Satis adparet hominis naturam non posse legi Dei integram obedientiam præstare, aut sine uitio esse, ideo fatendum est impeditam esse libertatem.

De altera parte mentis.

libertatem. Et de his tantis rebus concionatur Paulus, quum queritur naturam hominis captiuam esse peccato. Sed reliqua est tamen in hominibus etiam non renatis aliqua libertas, ut discrimen sit inter pecudes & homines. Nam detrahere libertatem homini in actionibus ciuilibus, est pecudem ex homine facere. Tenendum est igitur discrimen uerum & utile. Voluntas humana, quod attinet ad actiones ciuiles elicitas & imperatas, est libera, idest uoluntas humana, potest uelle, aut non uelle honesta ciuilia, & imperare membris externas actiones honestas aut turpes, ita potest uelle mercari aut non mercari, equitare aut non equitare. Ac in imperatis actionibus magis cõspicitur libertas, in elicitis obscurior est, sed tamen esse aliquam in actionibus ciuilibus fatendum est. Scipio imperat membris, ne sponsam alterius attingant. Est & in uoluntate motus, quo aliquo modo uult illud honestum, siue propter hominum de se opinionem, siue propter ipsum decus uirtutis. Sed hic motus non intuetur Deum, nec regitur fide aut timore Dei. Quod autem talis libertas in actionibus ciuilibus adsit hominibus etiam non renatis, tenenda sunt aliqua firma & perspicua testimonia. Paulus testatur, esse aliquam iustitiam carnis, hoc est, quã præstare possunt etiã non

renati. Constat igitur aliquam esse libertatem, quia opera legis non possunt eligi sine aliquo delectu & libertate aliqua. Item leges magistratuum prorsus essent inutiles, si obtemperare homines non possent. Fatendum est igitur, aliquam esse libertatem. Hæc scire utile est, ut conemur præstare disciplinã, quæ aliquo modo in nostra potestate est, & propter quatuor grauissimas causas præstanda est, uidelicet propter mandatum Dei, item ut pœnæ uitentur, quas Deus minatur uiolantibus disciplinam, item ut paci communis societatis seruiamus. Postremo, quia est pædagogia, ut Paulus inquit, in Christũ, idest dum frenum laxamus prauis cupiditatibus, dum scientes alimus uitia, & nos contaminamus sceleribus, excutitur Spiritus sanctus. Hæ non sunt leues causæ, propter quas disciplina magni facienda est, quæ cum sit aliquo modo in nostra potestate, Deus uult nos diligentiam & contentionem adhibere, ut hæc officia præstemus. Et quidem hæc diligentia in renatis, & Christum uera fide agnoscentibus, placet Deo. Hæc sunt perspicua & plana, ac prosunt moribus & pietati recte intellecta. Cæterum hæc ipsa libertas, sæpe uincitur infirmitate naturæ nostræ. Scipio abstinuit à captiua, innumeri alij uicti sunt libidine. Sæpe diabolus impellit homines etiam præ-

stantes

ſtantes ad tetra flagitia, ut in Dauide flammas aluit, & excitauit, cum exarſiſſet amore coniugis alterius, ideo paucißimi homines præſtant diſciplinam. Quanta fuit in Philoſophis turpitudo? Qui quidem ipſi mirati ſunt, unde hæc eſſet in hominibus imbecillitas, quam cum uiderent in multis tantam eſſe, uix ut coherceri aut flecti ad moderationem poſſent, dubitare cœperunt, utrum doctrina ad uirtutem aſſuefieri homines poßint. Et infirmitas hominum per ſeſe magna eſt, facile ut uincant adfectus rationem. Et diabolus iritare affectus ſolet obiectis occaſionibus, & auertens animos bonis cogitationibus, & offundens nocituras opiniones, ut cor impellat. Inter hæc impedimenta manet tamen, ut dixi, aliqua libertas, ut claudus aliquo modo incedere poteſt. Dauid imperare poterat membris, ne attingerent alterius coniugem. Nunc de alio genere actionum interiorum dicam, quæ Deum intuentur. Voluntas humana ſine Spiritu ſancto non poteſt efficere uerum timorem Dei, ueram fiduciam ac dilectionem Dei, ueram patientiam, & conſtantiam in magnis periculis, & ſimiles ſpirituales motus, multo minus poteſt præſtare perfectam obedientiam legi Dei. Teſtimonia nota ſunt, nam Paulus inquit, Qui ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt Filij Dei.

Libertas in actionibus ad mihi dijungendas ſpectantibus.

Et Christus ait, Sine me nihil potestis facere. Cum Ioseph repugnaret uoluntati coniugis heri sui, ac regeretur timore Dei & fide, concurrebant hæ causæ, uerbum Dei, Spiritus sanctus, & uoluntas Ioseph. Inchoandum est enim à uerbo Dei. Mens colligebat multa Dei mandata, cogitabat non solum de adulterio, sed etiam de scandalo, quantum mali futurum esset, si ipse, qui Aegyptias superstitiões reprehendebat, qui ueram doctrinã de Deo profitebatur, polluisset se tanto scelere. Cogitabat & illud, quia Diuinitus ad magni muneris functionem uocatus erat, non esse offendendũ Deum, ne auxilio Diuino destitueretur. Hanc lucem in mẽte Spiritus sanctus per uerbum Dei accendebat, mouebat & uoluntatem, ut obtemperaret mandato Dei, incẽdebat timorem Dei, & uoluntas adiuta assentiebatur Spiritui sancto, cohercebat externa membra, non admittebat illecebras. Ita in hoc genere actionum concurrunt uerbum Dei, Spiritus sanctus & uoluntas assentiens, potest enim repugnare, ut constat. Non igitur tollit libertatẽ Spiritus sanctus, sed potius emendat. Et dictum illud ualet, ὁ δὲ ἕλκων τὸν βολόμενον ἕλκει. Poterat repugnare uoluntas in Ioseph, & excutere Spiritum sanctum, sed reuocat se, & obsequitur Spiritui sancto. Hæc de causis spiritualium

Transeo.

lium actionum tenere prodest, ut fidei exercitia discamus. Mens cogitet mandatum Dei, & promissiones, fide petat auxiliũ à Christo, quẽ scit uere præstare promissa, & uenisse, ut destruat opera diaboli. Hac fide erecta uoluntas & adiuta à Spiritu sancto repugnat uitijs, & cohercet externa membra, ne ruant contra rectum iudicium. In hoc certamine nequaquam est ociosa uoluntas, & tamen nouit se non suis uiribus uincere, sed Christi, à quo & petit auxilium & uere adiuuatur. Huic igitur tribuit uictoriæ gloriam, cum sciat eum uenisse, uti destruat opera diaboli, ut Ecclesia Christum excipit ingredientem Hierosolyma, gerens palmas & oleam, hoc est gerens signa uictoriæ, & illi palmas, hoc est gloriam uictoriæ, offerẽs, & agnoscens se per eum uincere. Ex hac nostra partitione satis intelligi arbitror, quatenus pateat libertas, quæ habet, ut dixi, suas metas, nec ita amplificanda est, ut obruatur doctrina Christiana. Hæret enim in natura hominum infirmitas, quã uocat Paulus Concupiscentiã, quæ non est leue malũ, ut multa testimonia ostẽdunt. Propter hãc Deus subiecit genus humanũ morti, et tot horribilibus calamitatibus, quarũ magnitudinẽ cogitatione assequi nemo potest, proinde non existimemus leue aliquod incommodũ esse, ut homines ebrij

De Concupiscentia.

uoluptatibus cogitant. Deinde unde omnibus temporibus, tantum est ingentium scelerum, errores de Deo, idolomaniæ, contemptus Dei manifestus, ambitiones, odia, libidines, auaricia, mendacia, cædes, si non est ingens imbecillitas humani generis? Tot sunt euidentissima testimonia impressa naturæ, quæ testentur esse Deum, & punire peccata. Et tamen hæret in animis caligo, nec testimonijs Diuinitus propositis, nec pœnis, nec uerbo Dei mouentur homines, dubitant, an Deus sit puniturus, an sit immortalitas. Quid, quod propter has tenebras homines subiecti sunt etiam tyrannidi diaboli, qui & sceleribus & calamitatibus implicat homines. Hæc considerari necesse est, ut infirmitate nostra agnita, quæramus Seruatorem Dominũ nostrum Iesum Christum. Interpretabor ergo uocabulum concupiscentiæ, quod sæpe in his disputationibus de motibus uoluntatis occurrit.

Quid significat Concupiscentia?

Suprà dixi tres esse appetentes potentias, naturalem, comitantem sensus, & uoluntatem. Hæc uetus & utilis partitio est, quam & Aristoteles in tertio de Anima repetit, & distinxi duarũ organa, os uentriculi, & cor. Vt autem intellectus in hac infirmitate alligatus est interioribus sensibus, ita cor ra-

pit

pit ſecum uoluntatem, ut ijſdem motibus cieantur. Etſi uoluntas præter hunc motum, habet aliam actionem intemperantẽ externis membris, & quamuis interdum aliqua ex parte repugnat cordi, ut ſi amans cogitet infamiam, & ſe aliquantulum reuocet, aut iratus uolens moderetur impetum, tamen non prorſus diſſentit à corde. Iam quæri ſolet, ad quam partem concupiſcentia pertineat, uulgò reſpondent eſſe appetitum ſenſus comitantem, in hac deſcriptione multa deſiderantur.

Primum enim, cum concupiſcentia in his ecclesiaſticis diſputationibus propriè uitium ſignificet, diſcerni debet à ſubſtantia, hoc eſt à Dei opificio. Nam concupiſcentia, labem ſignificat non ortam à Deo.

Deinde ſunt & in appetitu ſenſitiuo σοφρονὰ Diuinitus inſitæ humano pectori, quæ diſcernẽdæ ſunt ab appetitionibus, ſimpliciter et per ſe uitioſis. σοφρονὰ.

Præterea extenuant concupiſcentiam, qui tantum putant eſſe errantes appetitiones cibi, potus, libidinũ, cum longe maiora mala complectatur. Certum eſt, mentem dubitare de Deo, uacare metu & fiducia Dei. Sicut Pſalmus ait, Omnis homo mendax, ideſt non rectè ſentiens de Deo. Item Paulus inquit, Omnes carent gloria Dei, ideſt, non habent

lucem, qua uere agnoſcant Deum, ſunt ſine timore Dei, non ardent fide & dilectione Dei. Hinc oriuntur aliæ peſtes, Anima ſeſe amat, & admiratur ſuam ſapientiam, fingit opiniones de Deo, & uarie ludit, & hoc ludo delectatur, fremit aduerſus iudicium Dei in ærumnis. Hæc ſunt ingentia mala, quorum turpitudo non ſatis cerni poteſt. Horum malorum agnitio pijs incutit horribiles pauores. Ideo exclamat Paulus, Miſer ego homo, & cætera. Et hi morbi, quos recenſui, proprie pertinent ad ſuperiorem potẽtiam, mentem & uoluntatem. Quare concupiſcentia, non tantum transferenda eſt ad appetitiones ſenſuum, ut loquuntur aliqui. Id ſatis teſtatur hæc ſententia, Omnis homo mendax. Item, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Hæc dubitatio de Deo, non proprie ad ſenſum pertinet, ſed ad mentem & uoluntatem. Et has uires Scriptura appellat Cor, quia cordis motus cum uoluntate coniunctus eſt. Si enim natura eſſet integra, in mente luceret noticia uera Dei, cui recte obtemperare ntuoluntas & motus cordis, lætitia & dolor in corde conſentirent, cum uera Dei noticia, ſed illa luce obſcurata, uoluntas & cor habent motus auerſos à Deo, & uarie errantes. Voluntas cum ſit ſine metu, & fiducia Dei, ſeſe amat, & quærit ſibi præſidia ſuo

conſilio

consilio sine Deo, confidit sua diligẽtia, delectatur sua sapientia, ludit opinionibus de Deo, amat gloriã, metuit humana plus quàm Deum. His motibus respondent in corde læticia & dolor, ac uicissim rapiunt secum uolũtatem, appetitiones, quæ sensui attribuntur, uidelicet cum cor amat uoluptates sensuum prohibitas, cum odit alios contra legem Dei, uoluntas unà rapitur. Ita & Christus loquitur, Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, mendacia, blasphemiæ. Hic satis appa ret, nomine cordis significari mentem, uoluntatem & cor. Nam alere Epicureas opiniones de Deo, aut alias impias imaginationes, & his delectari, hæc primum ad mentẽ ac uoluntatẽ pertinent, his respõdet in corde lætitia. Quare cordis appellatiõe præcipue uires significãtur, quæ sunt mens, uoluntas & cor.

Cum igitur in Ecclesia usitate Concupiscentia significet totum morbum nobiscum nascentem, sic poterit simpliciſsime definiri. Concupiscentia, est ἀταξίαι in omnibus uiribus hominis, contra legem Dei, hoc est, significat defectus & impetus in omnibus uiribus, contra legem Dei, uidelicet ignorationem Dei, seu dubitationem de Deo. Debebamus enim recte agnoscere Deum. Deinde has tenebras comitãtur cætera mala, uoluntas est sine metu, sine fiducia

Vera Concupiscentiæ definitio.

fiducia, sine dilectione Dei, ut dictum est. Ac ingens stupor est imaginari, hos defectus leue malum esse. Sicut monachi insulsissimè extenuant eam, quam uocant carentiam iusticiæ originalis. Nam uoluntas auersa à Deo, ualde iam infirma & distorta est, sese amat, Deum non amat, quare in rebus asperis recusat obedire Deo, & fremit aduersus Deum. Nec leue scelus est, admiratio nostræ sapiẽtiæ, qua fit, ut ludant homines infinitis erroribus de Deo, nec assentiantur Verbo Dei, nec frenari mentes Verbo Dei patiantur. Deinde cor æstuat uarijs adfectibus inordinatis, amore, odio, & amor uoluptatum conturbat ordinem naturalium appetitionum, scilicet cibi, potus, generationis.

Refhomlis monachos

Est ergo illa ἀταξία, per se & simpliciter peccatum, sic per se peccata sunt, motus prohibiti in lege Dei, qui quidem ab illa prauitate oriuntur. Hinc arbitror & iudicari posse, quid proprie concupiscentiam uocet Ecclesia, cum de morbo naturæ loquitur, & aliquo modo conspici, quàm misere deformata sit hæc præstans humani generis natura. In mente tenebræ sunt, ut si aliqua Apellis tabula, undiq; luto consperſa esset. Voluntas & cor, ne illis quidem noticijs, quæ adhuc reliquæ sunt, obtemperant. Hanc tantam infirmitatẽ agnoscere debemus

bemus, ut beneficia Christi magnifaciamus, & cogitemus, quãta uis sit amoris Diuini erga nos, quòd Filium nobis donauit, ut per eum restitueret humanum genus, & ut interea in tanta infirmitate crederemus, nos tantum propter ipsum iustos pronũciari.

Cæterum dixi in hominibus esse σοφρὰς, ut amorem parentum erga liberos, misericordiam, nemesin Heroicam, hi adfectus sunt Diuinitus insiti naturæ hominum, et in natura integra essent res bonæ, in hac infirmitate sunt auersi motus à Deo, & contaminantur à concupiscentia. Appetitio uoluptatum inordinata, conturbat & ordinem naturalium appetitionum, ut cibi, potus, generationis. Ita fiunt in uitiosa natura & σοφραὶ, & naturales appetitiones, peccata per accidens, sed pijs condonãtur, in quibus etiam fiunt aliqua ex parte puriores.

Facile est igitur explicare argumentum, de quo aduersus Iulianum prolixe disputat Augustinus, an opus generationis, sit opus concupiscentiæ, constat enim, id Diuinitus hominum naturæ attributum esse, nec esse opus concupiscentiæ per se, sed creaturam Dei. Sed fit per accidens opus concupiscentiæ, idest accedit quædam ἀτραξία, quæ tamen pijs condonatur, reuerenter utentibus Diuino munere iuxta legem Dei.

Discernit

Discernit appetitiones in renatis & Paulus, inquiens, Delector lege Dei secundum interiorem hominem. Item mẽte seruio legi Dei, carne lege peccati. Idest, cum illuxit mentibus ex Euangelio uera de Deo notitia, Spiritus sanctus lucem quandam in intellectu inchoat, ut iam Deum intueamur, excitat & pios motus in uoluntate & corde, etsi nondum prorsus depulsa est caligo ex intellectu, aut infirmitas ex uoluntate & corde. Nam illa inchoatio, de qua Paulus loquitur, nequaquam est in impijs, & non renatis. Hi enim non delectantur lege Dei, non repugnant dubitationi de Deo, non possunt dicere se mente legi Dei seruire.

De Accidentibus mentis & uoluntatis.

In parte intelligente tria insunt, notitiæ naturales, actiones, & habitus, ac uno communi nomine hæc tria appellantur noticiæ, uel naturales, uel subitæ, uel habituales. Sunt autem gradus actionum, ut suprà dixi, simplicium agnitio, connexio, diuisio, iudicium, ratiocinatio, adsensus. Admirandi motus sunt, & describi non satis possunt, non enim cernuntur oculis, sed similitudine quadam, quales sint, existimetur. Vt architectus apud se imaginem & idæam ædificij pingit, ita generaliter in his motibus

mens

mens intuens aliquid, fingit apud ſe imagines, quæ ſunt ipſi actus intelligendi. Ex his actionibus oriuntur habitus, ideſt agilitates, quibus celeriter & recte exercet id, quod didicit. Niſi quis mauult in mente habitus, quaſi lumen quoddam eſſe. Hi habitus uocantur, ſcientia, ars, prudentia, fides, opinio. Scientia, eſt noticia, in qua demonſtratio cogit nos aſſentiri dicto. Opinio, eſt noticia, in qua non ſatis aſſentimur alicui dicto, ſed mouemur probabili ratione, magis ut in unam partem inclinemus, quàm in aliam. Fides, eſt noticia, qua aſſentimur alicui dicto, ſine dubitatione, ſeu teſtimonijs, ſeu autoritate uicti. Vt credimus teſtimonijs Hiſtoricorũ, Pompeiũ à Cæſare uictum eſſe in pugna Pharſalica. In Prophetico & Apoſtolico ſermone, Fides ſignificat nõ ſolum adſentiri hiſtorijs, ſed etiam promiſsionibus Diuinis. Et huic aſſenſui reſpondet in uoluntate fiducia, qua acquieſcit uoluntas in promiſsionibus Diuinis. Vt acquieuit animus Gedeonis, cum ei promiſſa eſſet uictoria. Ideo in deſcriptione fidei dicitur, Fides eſt expectatio rerum ſperandarum, ideſt fiducia, quæ nititur promiſsione. Cætera uocabula habituum declarantur in ſexto Ethicorum. Hæc enim tantum eo recenſui, ut adoleſcẽtes diſcant diſcernere actiones, & habitus partis cognoſcentis

Habitus

Habitus in mente quãſi lumen quoddã ſens.

Scientia.

Opinio.

Fides.

& uo

& uoluntatis, iam hic cogitent ex hac partitione extrui omnes disciplinas. Noticiæ naturales aliæ alias artes pariunt, aliæ enim uocãtur θεωρητικαὶ, quæ gubernant cognitionem, unde oriuntur Arithmetica, Geometria, & plæræque aliæ. Nonnullæ uocantur πρακτικαὶ, quæ gubernant actiones, unde leges de moribus, & gubernatione ciuili oriuntur. Hæc monuisse satis est, ut studiosi considerent, ab animæ agnitione initia disciplinarum plurimarum oriri.

Theoretica.

Practica.

In uoluntate, seu parte appetente, sunt etiam tria, inclinationes innatæ, quarum aliquæ sunt σωφρονικαὶ, ut dixi, ad ciuilia honesta, aliæ multæ sunt uitiosæ, quia uoluntas est auersa à Deo. Deinde sunt in uolũtate actiones & habitus. Actiones sunt, uelle, nolle, suspendere actionem, imperare alijs potentijs. Frequentes actiones similes pariunt habitus, id est quasdam agilitates seu impetus, quibus facilius & constantius eadem appetit, aut fugit uoluntas. Hi habitus uocantur proprie uirtutes aut uitia. Horum descriptiones, partitiones & discrimina petantur ex doctrina de moribus, quam quidem oriri ex his fontibus adolescentes meminerint. Hic enim monstratis Animæ partibus, ostenduntur actionum causæ. Hinc iudicandum est, quæ sint actiones conue-

Inclinationes in parte appetente. 1.

Actiones 2.

Habitus 3

Virtutes & Vitia.

nientes

nientes naturæ hominis, quæ non sint, & unde gubernentur. Adfectus, πάθη & πάθη, aut sunt actiones, ut irasci, timere, aut sunt habitus durabiles, ut amor, odium, misericordia, & similes. Supra autem descripsi adfectus, & dixi cordis motibus simul trahi uoluntatem, & adfectus non tãtum in appetitu sensuum, ut uocant, collocandos esse, sed etiã in superiore potentia appetente.

DE IMMORTALITATE Animæ.

FILIVS Dei perspicue nos docuit de uita perpetua, post hanc uitam agenda, ac testatus est omnibus mortuis restituenda esse corpora, piosq; qui Euangelio obtemperauerunt, in perpetua lætitia uicturos esse, fruentes Dei consuetudine, at hostes Dei subituros esse horribiles & æternos cruciatus, hanc sententiam infigamus animis, nec excuti nobis ullis præstigijs sinamus. Ac tota uita intueatur illud uerum iudicium, quod post mortem subituri sumus omnes, ac demus operam, ut ad illum iudicem ac uindicem adferamus mentes reuerenter de Deo sentientes, & Euangelio obedientes, hæc discimus ex cœlestibus oraculis, non ex Philosophorum disputationibus. Sed tamen si natura hominis mansisset integra, fulsisset in nobis quædã illustris

noticia de perpetua uita, uidisset mens se ad agnitionem Dei conditam esse, & futurum aliquando, ut frueretur perfecta eius noticia. Nunc autem in natura corrupta uitio originis, etsi non ita fulget illa insita noticia de perpetua uita, tamen manet quoddam eius uestigium, quod cum Epicurei quadam Cyclopica immanitate obruere conantur, manifeste cum ipsa natura hominis pugnant. Nec enim leue est hoc argumentum, etsi in ratione natum est, impossibile est, optimos quosq; tãtum ad perniciem ac miseriam nasci. Constat autem, optimos plærunq; durissime adfligi, sæpissime etiam à tyrannis, & à sceleratis alijs interfici. Necesse est igitur, restare aliquẽ portum, in quo boni acquiescant. Etsi fortassis ridet hanc rationem Epicurus, tamen bona mens intelligit, non esse contẽnendam hanc diuinationem. Magnitudo calamitatum huius uitæ, profecto non est leue testimonium, præsertim apud bonos, hanc præstantem naturam hominum, non esse conditam tantum ad has miserias, ac mihi ipsi sæpe in magnis ærumnis, hæc ipsa Philosophia non leuiter animum erexit. Idem argumentum explicari potest copiosius. Ratio naturaliter intelligit esse Deum, ac Deo parendum esse, animaduertit ob hanc causam Diuinitus nobis inditum esse discrimen honestorũ ac turpium.

pium. Hæc adfirmo uera esse & nota naturali iudicio, etiamsi deridemur ab Epicuri thiasotis, & si hi quidem rident Sardonium risum. Porrò quum constet Deo obediendum esse, necesse est obedientiam non esse inutilem, esset autem inutilis, si non restaret iudicium. Videmus enim bonos exerceri ingentibus calamitatibus, ac sæpe à sceleratis crudeliter interfici. Necesse est igitur restare aliam uitam, in qua bonis bene erit, & scelerati pœnas daturi sunt. Hac cogitatione, interfecto Abel, pater mœrorem leuabat, uiderat in sacrificio filium Deo curæ esse, quare statuebat eum, cum in nece nõ adiutus esset, habiturum alium portum, sciebat enim Deum non negligere eos, quos amat, ac probat, talibus cogitationibus & nostros animos confirmemus, & colligamus cætera testimonia. Quia enim notitiæ naturales sunt subobscuræ, Deus subinde ædidit illustria testimonia de uita perpetua.

In prima concione post interfectum Abel, statim Deus testatur se aliquando facturum esse iudicium, & sumpturum pœnas de sceleratis, & daturum bonis præmia. Si benefeceris, inquit, recipias, at si male feceris, peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur. Magnæ res breui dicto inuolutæ sunt, significat enim differri pœnas. Ideo inquit fore, ut

quieſcat tantiſper peccatum, donec patefiat, eaq; mora confirmat ſecuritatem & contemptum Dei in animis impiorum. Hanc flagitioſam ſecuritatem ſequuturam in toto mũdo deſcribit hac uoce, quum ait, cubare peccatum. Etſi autem alijs alij uerecundiores ſunt, tamen in uniuerſum uidemus omnes homines blandiri ſuis uitijs & erratis. Neroni & ſimilibus ne dulcius quidem quidquam eſt, quàm turpitudine & crudelitate cæteros mortales longe uincere. Deplorat igitur, & accuſat hæc prima concio, hanc ἀνθελληνοίκω totius generis humani. Et addit oraculum de iudicio, Fore ut reueletur peccatum, hæc comminatio ad omnes pertinet. Neronis flagitia incipit Deus patefacere & punire, quum eum rapit ad ſupplicium. At non uidemus hic omnium ſcelera puniri, credamus uoci Diuinæ. Si hic non punitur Tiberius, aut Epicurus, neceſſe eſt reſtare aliam uitam, in qua ſcelerati pœnas dabunt.

Poſtea Enoch uiuus, & corpore integro tradu Ctus eſt in cœlum, ut ſignificaretur ibi reſtare aliud melius uitæ genus. Nec dubium eſt Enoch & cæteros, quorum mentes Diuina luce illuſtratæ erant, hanc ſententiam de uita perpetua diligenter inculcaſſe hominibus. Et extat particula concionum Enoch in Epiſtola Iudæ, de uenturo iudicio, congruens

ens cum prima concione, quam ſuprà recitaui. Verba hæc ſunt, ἰδοὺ ἦλθε λύειν γὰρ ἁγίους μυριάσιν αὐτοῦ ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐλέγξαι πάντας οὓς ἀσεβεῖς ποιοῦσι πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν. Poſtea Elias & Eliſeus excitarunt mortuos. Et Elias ſpectantibus alijs, inter flammeos comites uiuus, & integro corpore in cœlum abductus eſt.

Deinde multo illuſtriora teſtimonia exhibita ſunt, cum Chriſtus multos reuocauit in uitã, cumq; ipſe interfectus reuixit recepto ſuo corpore, ac reuixit unà cœtus Patrum ac Prophetarum, ut comitarentur ducem ſuum, & unà fruerentur Dei conſuetudine. Itaq; cum Deus perſpicua teſtimonia de uita perpetua ſæpe propoſuerit, celebrata eſt hæc ſententia bonorum ſermonibus, & hæſit apud homines ubiq; terrarum hæc perſuaſio, tum quia naturaliter ita iudicant homines, tum quia celebrata eſt res ſermonibus bonorum.

Ethnici etiam ſpectris mouebantur, ut Cicero, Plutarchus, & alij ſcribunt. Plutarchus etiam oracula citat, ait oraculum reſpondiſſe cuidam Coraci Naxio, οὐχ ὅσιόν ἐστι, τὴν ψυχὴν καταγνῶναι θάνατῳ. Sed nos omiſſis ſpectris & phanaticis oraculis, petamus teſtimonia à ueris exemplis

Prophetarum, & à sententijs, quas scimus Diuinitus esse traditas Prophetis, ac deinde confirmatas, non tantum dictis Christi, sed exemplo eius & cæterorum, qui unà reuixerunt. Ac profecto mirum est, cum naturaliter insit mentibus quædam diuinatio de perpetua uita, cum hæc sententia Diuinitus multis dictis & exemplis confirmata sit, tamen stuporem inesse tantum in animis hominum, ut non satis adsentiantur, non præparent se ad iudicium futurum, non expauescant cogitatione æternarum pœnarum. Quare bonæ mentes se excitent intuentes in illa perspicua testimonia Enoch, Eliæ, Christi & comitum eius, qui unà reuixerunt, & ita uitam instituant, ne tanquam hostes Dei, post hanc uitam in æternos cruciatus abijciantur.

Sed peculiaris est quæstio, an animæ hominum sint spiritus separabiles, extinctis corporibus superstites? Id ita esse confirmant hæ sententiæ, Matthæi decimo Christus diserte inquit, Corpus occidunt, animam uerò occidere non possunt. Ad latronem inquit, Hodie eris mecum in paradiso. Si exhalans anima dissiparetur, certè non uersaretur unà cum Christo, est igitur spiritus superstes. Et cum sit spiritus, non est ociosus. Ac paradisus significat uitam beatam, quæ est noua uita, luce, sapientia, iustitia, ac

cia, ac lætitia cumulata. Et hanc uocem omnes pij ad se pertinere existimẽt, hunc enim doctorem unà pendentem in cruce proponit nobis Filius Dei, qui, cum Apostoli consternati conticuissent, unus incipit fungi Apostolico munere, concionatur de sublimi, nec enim id spectaculum ἄσημον esse putemus. Duo ibi latrones adiuncti sunt Filio Dei, qui significant totum genus humanum, destinatum esse morti propter uitia. Et cum Filius Dei morte sua placarit Deum, pars generis humani contemnit hoc beneficiũ, ac insuper Filium Dei odit, ac furenter contumelia adficit. Intueantur ergo hoc spectaculum tyranni, hostes Euangelij, & horum satellites, ac se ipsos in hac furca pendere iam cogitent, cui affixus est latro, qui maledicit Filio Dei. Sed pars est hominum, qui beneficium Filij Dei accipiunt. Ac hi quidem agnoscunt se pœnam meritos esse, ut alter latro, sed tamen confugiunt ad Filium Dei, per hunc sciunt se liberari à peccato & morte. Vt hic latro petit liberationem à peccato, & ab æterna morte, agnoscit hunc, à quo petit opem, quanquam morientem, tamen autorem esse uitæ. Audit igitur concionem de uita futura, Hodie mecum eris in paradiso, Hac uoce intelligit deleri sua peccata, & sibi donari uitam perpetuam. Et quanquam hic pendet

laceratus ac ſemiuiuus, tamen Filio Dei ueros honores & gratos cultus tribuit. Quum conticuiſſet tota Eccleſia, quum Apoſtoli dilapſi eſſent, hic concionatur hunc ſocium ſupplicij regnaturum eſſe, ac daturum hominibus uitam perpetuam. Inuocat eum tanquam Dominum, per quem placatus ſit Deus, et autorem uitæ. Addit & alium cultum maximè neceſſarium in Eccleſia, defendit gloriam Filij Dei aduerſus maledicum latronem. Admonet igitur pios hæc imago de multis rebus, nam & pij omnes ſeipſos in hac furca pendere exiſtiment. Sumus obnoxij morti & omnibus calamitatibus propter peccata noſtra, nec liberari aliter poſſumus, niſi per hunc Filium Dei, hunc fide inuocemus, doceamus alios de eius beneficijs, propugnemus eius gloriam aduerſus maledicos. Hos cultus, quamuis ſemiuiui ac lacerati, præſtemus, ut ſingulis & ipſe dicat, Hodie eris mecum in paradiſo. Tantæ res quum in illo colloquio agantur, & ſignificentur, infigamus hoc dictum animis, & autoritatem eius grauiſſimam ducamus. Quod quidem ſatis perſpicuè teſtatur, animam hominis eſſe ſpiritum ſeparabilem ac ſuperſtitem, quum inquit, illum hodie unà futurũ eſſe. Non enim unà conuerſari poſſet, ſi anima eſſet tantum λεπτόν, aut halitus diſſipatus, nec in paradiſo eſſet,

ſet, ſed in aerem diſſipatus, ſi talis halitus eſſet. Mat thæi decimoſeptimo, Moſes colloquitur cum Chri ſto in monte, clare autem ſcriptum eſt in Deutero- nomio, Moſen mortuum & ſepultum eſſe. Ergo col loquitur cum Chriſto Anima, à corpore ſeparata. Paulus inquit, Cupio diſſolui, et eſſe cum Chriſto. Et ad Corinthios, Dum in corpore commoramur, peregre abſumus à Domino. Confidimus autem peregre abituros nos eſſe, & commoraturos cum Domino. Et Petrus ait, Chriſti mortui ſpiritũ, con cionatum eſſe ſpiritibus in carcere, ergo uere ſentit animas eſſe ſpiritus ſeparabiles. Etſi autem hiſtoria, de qua Petrus loquitur, non ſatis explicata eſt, ta- men uerba perſpicua ſunt. Diſputat Auguſtinus fortaſsis tunc liberatos eſſe aliquos ex Ethnicis, qui non fuerunt Epicurei, ſed reuerenter de Deo ſenſe runt. Sed hæc arcana non ſcrutemur. Apud Lucam recitatur hiſtoria de Lazaro in ſinu Abrahæ, in qua etſi figurate nominantur ſitis, digiti, lingua, ta- men ſumma narrationis haud dubie hiſtorica eſt. Nec illud alienum eſt ab hoc loco, Deus eſt Deus uiuorum. Quare cum ſe nominet Deum Abrahæ, ſuperſtes eſt anima, & uiuit. Teneãt igitur pij hanc ſententiam, ſe moriẽtes rectà ad Dei, Chriſti, An- gelorum, & cæterorum beatorum conſuetudinem

traduci, qua quum nihil optabilius cogitari possit, cur inuiti hinc auellimur? Econtra impij rectà ad diabolos & ad supplicium abijciuntur, sicut Lucas inquit de diuite impio. Prodest primum quæri testimonia cœlestia, & de Resurrectione, & de Animæ natura. Porrò de Resurrectione sunt luculentæ conciones plurimæ in Prophetis & Euãgelio, quas semper in conspectu habere pij debent.

Nunc redeo ad Philosophorum disputationes, quorum siqui restare aliam uitam existimauerunt, arbitrati sunt animas esse ortas à cœlesti natura, & discedentes postea uagari sine corporibus. Plato excellentes & heroicas animas, non nimium pollutas contagio corporum, arbitratur tanquam puriores sursum euolare, cæteras ignauas & uoluptatibus corporum contaminatas, humi uagari circa sepulchra, eáq; esse spectra iudicat. Ac in Phædone duo argumenta recenset, & de immortalitate, & de natura Animæ. Horum prius est,

Quæ non sunt nata ex elementis, non adficiuntur corporum corruptione aut interitu,
Anima non est orta ex elementis,
Ergo non extinguitur propter corporis interitum.

Minorem confirmat, Impossibile est in natura elementari

elementari oriri notitias, & quidem uniuersales, & de rebus non corporeis, de Deo, de numeris, de ordine, de discrimine honestorum & turpium, At has notitias tenẽt animæ hominum, etiam non acceptas doctrina, Ergo necesse est eas non ab elemẽtari, sed ab aliqua præstantiori ac perpetua Natura oriri. Profectò moueor hoc argumento, nec facile labefactari posse iudico. Quare digni odio sunt Epicurei, qui hæc præsagia, & non leuia argumenta de immortalitate aspernantur. Ipse quidem Plato hoc argumento ita mouetur, ut sentiat animas non oriri ab elementis, ut dicat sibi hanc demonstrationem uideri sufficientem, nisi gloriari odiosum esset, καὶ ἐὰν μὴ ἐπαχθὲς ὄῃ εἰπεῖν, πάνυ ἱκανῶς ἀπδεδεῖχθαι. Iam collige & cæteras animæ actiones, ratiocinationem, & inuentionem artium & multarum arcanarum rerum, quæ omnes significant eam agiliorem esse, quàm sit elementaris natura. Nec insita esset nobis de Deo notitia, nisi à Deo orta esset. Id argumentum de Dei agnitione ualde fulsisset, si non accessissent tenebræ post delictum Adæ. Vidisset enim Natura integra mentem, esse imaginem Dei, & futurum, ut archetypi perfecta notitia frueremur. Nunc in hac calamitosa natura multum ualet alterum argumẽtum, quod suprà recitaui

caui, Oportere portum aliquem esse, in quo acquiescant boni. Nam & prouidentiam esse non dubium est, quum certum sit esse Deum. Et impossibile est optimam generis humani partem, tantum ad perniciem conditam esse. Est bonæ mentis, has admonitiones, quas ratio proponit de immortalitate, non aspernari, & nonnihil uel ad excuscitandas uel ad confirmandas honestas opiniones conducunt, sed tamen addenda sunt testimonia cœlestia. Estq; periucunda collatio bonis, iuuat uidere hæc præsagia in natura, miramur & studium illorum, qui ea quæ fuerunt, postremo cum uidemus ea non satis explicata esse, sed sæpe incurrere aliquas nubeculas, agnoscimus humanam imbecillitatem, & fit dulcior doctrina cœlestis, quæ hæc arcana certis testimonijs, uidelicet resuscitatione mortuorum patefecit. Quid Aristoteles senserit, ambigitur, sed non puto suffragia Philosophorum colligenda esse potius, quàm argumenta. Platonem eo citaui, ut rationes essent notæ adolescentibus. Cæterum existimo plerosque omnes moderatis ingenijs præditos, arcano quodam Naturæ iudicio magis sensisse, animas extincto corpore superstites esse, & hac spe excitatos ad uirtutem, & ad res honestas gerendas. Quare si testimonia colligere uellemus, multa ex omni

anti-

antiquitate congeri possent. Quàm honesta est Cyri oratio apud Xenophontem, ubi ante mortem disputat de anima? Et ex pauore conscientiæ in sceleratis ratiocinatur, impendere pœnas improbis post mortem, at eos qui honeste uixerunt, accepturos esse diligentiæ suæ ac honestorum certaminum præmia. Verum ut redeam ad Aristotelem, etsi in his libris, qui extant, non satis perspicue dicit, quid sentiat, nec integre tractet hanc causam, tamen & ipsum apparet in hanc sententiam inclinare, quum dicat mentem extrinsecus accedere, & Diuinũ quid dam esse. Hæc enim sunt eius uerba, in secundo de Generatione animantium, λείπεται δὲ, τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Et in secũdo de Anima, satis ingenue discernit mentem humanam, ab anima sentiente, & uegetatiua. Et aliam quandam eius naturam, ac separabilem esse fatetur, περὶ δὲ τοῦ νοῦ οὐδέπω φανερὸν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτον μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. Sed ut antè dixi, non suffragatores, sed argumenta citare uolui, quorum cogitatio studiosis ad eruditionem, ac ad uirtutem prodesset. Precor autem Deum toto pectore, quum animas nostras ita condiderit, ut in eis luceret

ret impressa ipsius imago, quumq; ad eam restituendam donarit nobis suum Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, ut Spiritu sancto has ipsas imagines in nobis renouet, ut archetypum agnoscamus, & recte celebremus. Oro etiam, ut Iuuentutis studia gubernet, & prouehat, ut Ecclesiæ prodesse possint, & illustrare gloriam Domini nostri Iesu Christi,

Amen.

FINIS.

MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS DE ANIMA

LIBER VNVS.

Cassiodori ad Lectorem Barbasculum Epigramma.

Sum de te meritus bene, tu uerò male de me,
Nam laceras nomen corripis atque meum.
Sermonis Latij si me dignabere in albo,
Fac mediam extendas, Cassiodorus ero.

MAGNI AVRELII CASSIODORI VITA.

CASSIODORVS, si Chronicis libris fides habetur, Iustiniani Cæsaris tempora attigit. Boetio abstrusarum literarũ scientissimo, quem quosdam sanctum Seuerinũ nuncupare accepimus, synchronus, idest coæuus, & contemporaneus. Primum Consul, mox Senator, postremò spretis rebus omnibus Monasticam uitam complexus est. De regenda republica, Senatorem adhuc agẽtem non parũ multa literis mandasse ferunt, & monachum subinde Psalterij sententias eleganti oratione ac stylo ædidisse. Sed Cancellarium Regis Theodorici, prius quàm seculo renunciaret, extitisse Helinandus est auctor. Et ipse monachus, temporum quoq; Scriptor, cuius Principis quum pleraque literis Latinis obiret negocia, Epistolarum libros eruditione multa scatentes, dictione suauiloqua doctus Orator reliquit. Hic est Cassiodorus, qui putauit omnem rheto-

ricæ

ricæ ſplendorem eloquentiæ à Diuinis ſumpſiſſe ſcripturis exordium, quod & Gratianus trigeſimaſeptima Diſtinctione recitando commemorat. Poſteritatem inſuper præſenti Libello de Animæ ratione, uelut auctario locupletauit, quem Theoſophus non defugiet, quòd eius rei nobiliſsimæ, quæ nos inhabitat, ueros fontes, æquè puluinaribus aulæ cœleſtis cognitionem profitetur. Orator, Oratoriq; finitimus Poeta non negliget, quòd orationis eſt filo & elegantia incomparabile opuſculum. Philoſophus denique non dedignabitur, qui hactenus de Animæ ueritate uerbis nudis, nuda, lubricaq; argumentatione commiſit, conflixit, concertauitq;, nunc nunc rei ueritatem, uelut ſole illuceſcente, contemplaturus.

ELENCHVS CAPITVM.

Quid Amici requisiuerint.	Caput I
Quid eis responsum sit.	II
Quare Anima dicatur.	III
De Definitione Animæ.	IIII
De Qualitate Animæ.	V
Animam non habere formam.	VI
De Virtutibus eius moralibus.	VII
De Virtutibus eius naturalibus.	VIII
De Origine Animæ.	IX
De Sede Animæ.	X
De Positione corporis.	XI
De Cognoscendis malis hominibus.	XII
De Cognoscẽdis bonis hominibus.	XIII
Quid agant Animæ post hanc uitã.	XIIII
De Futuro seculo.	XV
De Deo.	XVI
Recapitulatio.	XVII
Oratio.	XVIII

Magni

MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS DE ANIMA LIBER.

Quid Amici requisierint. Cap. 1

QVVM iam susceptí operis optato fine gauderem, meq; duodecim uoluminibus iactatum quietus portus exciperet, ubi etsi non laudatus, certè liberatus aduèneram, amicorum me suaue collegium, in salum rursus cogitationis expreßit, postulans ut aliqua, quæ tam in libris sacris, quàm in secularibus abstrusa compereram, de Animæ substantia, uel de eius uirtutibus aperirem, cui datum est, * tam ingentium rerum secreta reſecare? Addens nimis ineptũ esse, si eam per quam plura cognoscimus, quasi à nobis alienam ignorare patiamur, dum ad omnia sit utile nosse, qua sapimus. Nulla enim peregrina res est, de sensu proprio loqui, quando sibi Natura interrogata respondet, nec longè tendit, ut se inuenire præualeat. Nobiscũ semper est ipsa, quam quærimus, adest, tractat, loquitur, & (si fas est) inter ista nescitur. Proinde nota

* dixi.

esse debet, quæ sibi præsto est, quia tunc magis antè se ponitur, quum subtilius de ipsa tractatur. Nam dum à sapientibus præceptum sit, ut cognoscamus nosmetipsos, † quemadmodũ sustineri potest, si nos habemus incognitos? Cupimus enim nosse Planetarum cœlo contrarios cursus, signorum consentaneum lapsum, sunt enim ex eis alia manẽtia, motúq; carentia, alia uerò, quæ mobili perrotatione semper uertuntur, nec ullis temporibus conquiescunt. Hæc ut mundani doctores exquirere tentauerunt, harmonicis delectationibus inæstimabili modulatione uoluuntur, quorum tinnitus atq; concentus aduenitus, efficit dulcisonum melos. Desideramus & altitudinem comprehendere ætheris, mensuram telluris, nubigenas pluuias, seu grandinis procellas, tremorem stabilium terrarum, naturam spirantium uentorum, profunditatem inconstantis maris, potestates uenientium herbarum, quatuor elemẽtorum per omne corpus dissociatas complexiones. Et uerẽdum est, ipsam sese scire non posse, cui superne datum est tanta discutere? Non enim aliquid contentione quærimus, sed res profundissimas modestissimè nosse desideramus. Discamus ergo primum, quare anima dicatur, deinde qualis sit eius definitio, tertio quæ sit eius qualitas substãtialis, quarto si formam aliquam

quomodo

habere

habere credenda sit. Quinto, quas formas habeat morales, quas Græci Aretas uocant, ad decus eius et gloriam contributas. Sexto quæ illi sint uirtutes naturales, ad substantiam scilicet corporis continendam. Septimo de origine animæ disseratur. Octauo cum sit per omnia membra diffusa, ubi potius insidere credenda est. Nono de corporis ipsius forma & compositione noscamus. Decimo quas proprietates habeat anima peccatorum, per competẽtia nobis signa declaretur. Vndecimo qua noscantur discretione iustorum, quatinus quos oculis istis uidere non possumus, per indicia probabilia colligamus. Duodecimo in ratione, quam uerè uere sapiens credit, quid de singulis fieri sentiatur, maximè desideramus agnoscere, quatinus fragilia corda mortaliũ, ad Diuinitus promissa desideria concitentur. Hæc nobis præstante Deo, ordine custodito respondeatur, ut & nos facilè possimus imbui, & tu gloriam debeas inuenire Doctoris.

Quid eis responsum sit. Cap. II

Dixi propositiones has non præceptis Regũ, quæ nuper agebantur, sed profundis & remotis dialogis conuenire, qui non tam istas aures corporeas, sed interioris hominis intentum atq; purissimum quærere probantur auditum. Nec ideo facile

cilè posse ipsa dici, quia per eam innumera nouimus explicari. Oculus enim qui usq; ad sydera tendit, se uidere non prævalet, & palatus noster, cum diuersa gustu sentiat, cuius ipse sit saporis, ignorat. Nares & fragrantium corporum uarios odores attrahunt, sed quid oleant ipsæ, non sentiunt. Cerebrum deniq; nostrum, licet sensum membris reliquis tradat, ipsum tamen, sensum legitur non habere. Deinde qualia fatigatus possim disserere, qui iam ad laboris terminum auida mente properarem. Postremo tam suaues amici imponitis iterum cogitare, quod à cogendo dici, absoluta cognoscitis ratione constare, præsertim * hæc res à multis disputata, sed penè inexplicabilis uidetur esse derelicta. Sed cum his ac talibus ingenia illorum multis allegationibus superare nequiuerim, nec mihi concedere meum uelle decreuissent, victus petij, ut me saltem diebus aliquot sustinerent, nec præcipitanter quærerent, quòd plenum difficultatibus imperarent. Quo circa illud mihi Protei accidit, qui quod uoluntate non eligebat pandere, constrictus uinculis cogebatur absoluere. Hoc tamen inde tolerabile uisum est, quia de tali re urgebar dicere, quæ si Deo fauente ueraciter exprimatur, & audientem meritò recreat, & sensum benè persuadentis illuminat. Quapropter

quum

antequam

antequam rem ingrediar expeditam, oportet prius nominum similitudines, quasi ramos obuiantes abscindere, ne semitam disputationis nostræ, uocabulorum consonantium sylua, umbrosis imaginibus uideatur intexere.

Quare Anima dicatur. Cap. III

ANima igitur hominis propriè dicitur, non etiam pecudum, quia illorum uita in sanguine noscitur constituta. Hæc uerò quoniam immortalis est, anima rectè appellatur, quasi ἀνάιμη, id est sine sanguine, uel à sanguine lõge discreta, quando & post mortem corporis, perfectam eius constat esse substantiam, sicut in subsequentibus suo loco declaratur. Alij uerò appellatam animam dicũt eo, quòd animet substantiam corporis sui, atq; uiuificet. Animus uerò dicitur ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id est à uento, quod uelocissima cogitatio eius, ad similitudinẽ uenti, motu celeri peruagatur, fit autẽ ex appetitu animæ, pro desiderij eius qualitate cõmotus. Mẽs aũt dicitur ἀπὸ τῆς μήνης, idest à luna, quæ licet uaria uicissitudine cõmutetur, quadã se tamen in id, qd' fuit, perfecta nouitate restituit. Modo enim tribulationibus attenuata quasi, pbatur obscura, modò iterum in uigorẽ naturalẽ læticia cõmeãte, reparatur. Spiritus itaq; triplici modo dicitur. Appellatur enim

ueraciter & proprie ſpiritus nullius indigens, ipſe uero à creaturis omnibus indigetur, inſpirans quod uult, & diſpenſans omnia prout uult, complens uniuerſa, totus in toto, immobilis loco, & uolubilitate æternus, cunctaq;, quæ ſumma ſunt, ſingulariter potens. Vocamus & ſpiritum, ſubſtantiam tenuem, nobisq; inuiſibilem, creatum immortalem, quantum illi utiliter datum eſt, uolentem. Tertio ſpiritum dicimus per totum corpus emiſſum atque receptum, per quem uita mortalium flatu neceſſario continetur, nec aliquando ocium capiens, iugi mobilitate reparatur. Atq; ideo ſciendum eſt, animum & mentem, proprie animam non uocari, ſed quia res iſtæ in anima excellunt, interdum per licentiam ſic dicuntur. Nec pro anima utiq; ſpiritus diſtincte ponitur, quia hoc illi nomen eſt commune cum cæteris, ideſt Angelis, poteſtatibus aereis, & quæcunq; ſpiritu continentur. Nec iſte ſpiritus ueraciter poteſt dici anima, qui aeris alternatione reſoluitur, quando cum pecoribus illi res iſta communis eſt. Reſtat, ut ſegregatim atq; ſignificanter anima hominis dicatur ſpiritualis ſubſtãtia, quæ nullatenus ſanguinis effuſione conſumitur. Nunc de ipſius animæ ſubſtantia liberius diſſeramus, quando eam à ſimilitudine nominum neceſſaria ſeparatione diſcreuimus. Quapro-

pter

propter in primis prægnantem rerum diffinitionem cautißima deliberatione formemus, ut conſequentia, quæ inde potuerint naſci, fide genitoris ſui facillime uideantur agnoſci.

De Diffinitione animæ. Cap. IIII

MAgiſtri ſecularium literarũ aiunt, Animam eſſe ſubſtantiam ſimplicem, ſpeciem naturalem, diſtantem à materia corporis ſui, organum membrorum, & uirtutem uitæ habentem. Anima autem hominis eſt, ut ueracium doctorum conſentit auctoritas, à Deo creata, ſpiritalis propriáq; ſubſtantia, ſui corporis uiuificatrix, rationabilis quidem & immortalis, ſed in bonum malumq; conuertibilis. æditum eſt quaſi parturiale ouum, ubi uita futuræ auis, pennarumq; grata uarietas cõtinetur. Nunc aperiatur in partes, quia hominum conſuetudo eſt facilius diſcere, quæ diuiſa poſſunt euidentius eluce re. A Deo fieri uel factas animas prudentium nullus ignorat, quãdo omne quod exiſtit, aut Creator eſt, aut creatura. Creatrix ergo, nulla creata poteſt eſſe ſubſtãtia, quoniam ut ipſa ſubſiſtat, indiget Deo, & dare non poteſt alteri ſubſiſtentiam, quam tantum, ut haberet, accepit. Supereſt, ut eam ueriſſime à Diuinitate cõditam eſſe fateamur, quæ ſola poteſt creare mortalia & immortalia. Euidenter enim legi

tur in Salomone, ut reuertatur puluis in terram, ſicut & ſpiritus reuertatur ad eum, qui dedit eum. Et alibi, Omnem flatum ego feci. Hanc proinde ſpiritalem ſubſtantiam, probabilis & abſoluta ratio confitetur. Quia dum omnia corporalia tribus nouerimus lineis contineri, longitudine, latitudine, profunditate, nec tale probatur in anima reperiri, deinde quòd corpori ſociata, quamuis ipſius mole prægrauetur, opiniones rerum ſollicita curioſitate perpendit, cœleſtia profunde cogitat, naturalia ſubtili indagatione ueſtigat, & de ipſo quoq; Conditore ſuo arduа noſſe deſiderat. Quòd ſi eſſet corporalis, cogitationibus ſuis ſpiritualia nec cerneret utiq;, nec uideret. Ceſſet ergo de eius corporalitate ſuſpicio, quando & definitionem corporis à ſe omnibus modis reddidit alienã, & tales cauſas exquirit, ad quas ſolus ſublimis ſpiritus peruenire contendit. Hinc eſt, quod & Scripturis ſanctis iuſtiſſimè commonetur, omnia mundi iſtius uiſualia contemnere, quoniam ipſa incorporea eſt, ut meritò ad ſpiritualia tendat, quibus ſe ſimilem cognoſcit eſſe formatam, propria eſt utiq; illi ſubſtantia, quando nullus ſpiritus alter carnem ſuſcipit, ut eius paſſionibus aut condoleat, aut lætetur. Illud autẽ, quod diximus ſui corporis minificatrix, quia mox, ut data fuerit, ineffabili con

li conditione diligit, carcerem ſuum amat, propter quod libera eſſe nõ poteſt. Doloribus eius uehemen ter afficitur, formidat interitũ, quæ non poteſt mori, & ſic eſt ad corporis ſui caſus trepida, ut ipſam magis ſuſtinere credas extrema, quæ nõ poteſt defi cere pet naturam. Saluberrima quoq; carnis tẽperatione perfruitur, oculorũ ſpeculatione depaſcitur, ſonoris delectatur auditibus, ſuauiſsimis iucundatur odoribus, neceſſaria guſtus epulatione delinitur, & licet his rebus nullatenus ipſa ueſcatur, ſubductis tamen talibus grauiſsimo mœrore cõficitur, deſiderãs non ſibi naturaliter accommoda, ſed adiunctis arti profutura. Hinc nonnunquã ſubripiunt uitia contra ria rationi, quando anima dilecto corpori indulgen tius renitendo, noſcitur locũ præbere peccato. Vita ergo corporis, ſuſceptæ animæ præſentia eſt, mors autem, eius probatur abſceſſus. Sic diem dicimus lu ſtrante ſole, qui cum diſceſſerit, nox uocatur. Viuit ergo corpus animæ præſidio, et ex ipſa probatur ac cipere, unde ſe præualet cõmouere. Sed quomodo et hoc quoq;, ad uitæ genus, de quo loquimur, noſcitur pertinere? Sciendũ eſt, cũ ſe partibus corporis ille ui gor ignitus infuderit, materiãq; carnalẽ ſpiritus uita lis afflauerit, ſi qd̃ fortaſſe uulnus acceperit, ſtatim cõdolet, quia ubiq; ſubſtãtialiter inſerta eſt. Quod ſi

uirtus

uirtus eius tantũ calorq; uegetaret, inciſum digitum non poterat condolere. Sicut nec ſol probatur quicquam ſentire, ſi eius radios ſecare tentaueris. Tota ergo eſt in partibus ſuis, nec alibi minor, alibi maior eſt, ſed alicubi intentius, alicubi remiſſius, ubi tamen uitali intentione porrigitur, colligit ſe in unum, atq; copulat. Membra ſua non ſinit defluere uel contabeſcere, quæ uitali uigore cuſtodit, alimenta competentia ubiq; diſpergit, congruẽtiam in eis modumq; conſeruans. Mirum præterea uidetur, rem incorpoream membris ſolidiſſimis colligatam, & ſic diſtantes naturas in unam conuenientiam fuiſſe perductas, ut nec anima poſſit ſe ſegregare, cum uelit, nec retinere, cum iuſſionem Creatoris agnouerit. Clauſa illi ſunt uniuerſa, cum præcipitur inſidere, aperta reddũtur omnia, cum iubetur exire, nam ſi acerbus dolor uulneris infligatur, ſine auctoris imperio non amittitur, ſicut nec ſine ipſius munere cuſtoditur. Hinc eſt quod frequenter grauiter uulneratos uidemus euadere, & rurſus leuibus occiſionibus interire. Rationem uerò homini ineſſe quis dubitat, quando Diuina tractat, humana ſapit, artibus docetur egregijs, diſciplinis eruditur eximijs, & hinc cætera animalia decenter excellit, quod cum ratione decora componit? Rationem uerò dico, animi probabilem

lem

lem motum, qui per ea, quæ conceduntur, atq; nota sunt, ad aliquod ignotum ducit, perueniens ad ueritatis arcanum. Hæc coniecturis atq; argumentis ad illud properare cupit, quod in rerum natura esse cognoscit. Ipsa enim, uera & pura & certa ratio est dicenda, quæ ab omni imagine falsitatis redditur aliena. Datum est ergo illi cogitationes suas quodammodo apprehendere, & per obsequium linguæ uolubili mutatione disserere. In corpore posita anima, quàm multa uidet, non à se egrediens, quàm diuersa circumspicit. Vbique quasi distenditur, & animæ fieri discessio non probatur, mouetur, erigitur, fluctuari cognoscitur, & in seipsa tanquam in magno currens spacio peruagatur. Hæc non exit ad causas, sed tractatibus suis sibi repræsentat, quod sua cogitatione respiciat, modo quod oculis uidit carnalibus, modo quod phantastica imaginatione concepit. Cogitat planè, singulatim, sicut & loquitur per ordinem. Sensus nihil perficit, quum se diuersitate confundit. Quia Diuinitatis est proprium, multa disponere, & omnia simul modulis competentibus explicare. Rationis itaque dotata largitate, quot bona munere Diuinitatis inuenit? Literarum formas reperit, diuersarum artium utilitates defensibili muro cinxit, uarij generis amictus eiecit, meliores fructus

ctus per industriam exegit, terras transcurrit, abyssos allato nauigio, uastos montes in usum uiantium perforauit, portus ad utilitatem nauigantium lunari dispositione concluſit, ornauit pulcherrima fabricarum dispositione tellurem. Quis iam de eius ratione dubitet, quãdo ab Auctore ſuo illuminata, facit arte conſpici, quod debeat ſub omni celebritate laudari? Conuenit nunc de eius immortalitate diſſerere. Immortales animas Auctores ſecularium literarũ multifariè probauerunt dicentes, Si omne quod uiuificat aliud, in ſemetipſo uiuit, Anima autem quoniam uiuificat corpus, in ſemetipſa uiuit, utiq; immortalis eſt. Dicunt &, Omnia immortalia ſimplicia ſunt, anima autem nõ eſt harmonica, neq; conſtat ex pluribus, ſed ſimplex natura eſt, anima ergo immortalis eſt. Iterumq; proponunt, Quicquid à contrarietate originali non corrumpitur, immortale iugiter perſeuerat. Anima enim, quoniam ſimplex atq; pura eſt, ſine dubio immortalis eſt. Adijciunt quoq;, Si omne rationale, quod ſeipſum mouet, immortale eſt, anima autẽ rationalis ſeipſam mouet, igitur immortalis eſt. Nos autem immortales eſſe animas facile ueridicis lectionibus approbamus. Nam quũ ad imaginem & ſimilitudinem Auctoris ſui legimus effectas, quis audeat contra ſanctam auctoritatem mortales

tales dicere? ut impudenter potius asseratur, eas à Creatoris sui similitudine discrepare. Nam †quemadmodum poterat esse imago aut similitudo Dei, si Animæ hominum mortis termino clauderentur? Ille enim ineffabiliter semper uiuens, ineffabiliter semper manens, perennitatem ipse custodiens, qui omnia continet, omnia disponit, potens est, sine dubitatione immortalis immortalia facere, & pro suo modulo uitæ competentiam dare. Dicit aliquis, Quomodo sum similis Deo, quum immortalia minimè creare ualeam? Cui sic per aliquam comparationem respondendum esse iudicamus, nunquam pictura, quæ nobis est similis, potest imitari, quæ facimus. Imago enim potest aliquam habere similitudinem, cæterum hoc non potest implere, quod Veritas. Nam & hinc immortalem debemus agnoscere, quòd appetit de æternitate cogitare, desiderat enim post corporis mortem relinquere sui nominis famam, cupit sine fine laudari. Et bona conscientia plus est de futuris attonita, ne à posteris maculetur relata. Hinc est, quod inter sublimiores constat auctores, quia quicquid dignitate rationis erigitur, mortis iniuria non prematur. Adde, quòd Veritas absolutè profitetur malis iuge supplicium, bonis perpetua gaudia se daturam, ut non sit fas cum

† quomodo

hæsita

hæsitatione recipi, quod dignatur omnipotentis Diuinitas polliceri. Verum hanc immortalitatem animæ non talem debemus aduertere, quæ nullam recipiat passionem. Est enim mutabilitati obnoxia, & mœroribus peruia, sed tamẽ inter quæuis tædia uel anxietates, continuationis beneficio perseuerat. Singulariter autem immortalis Deus est, singulariter iustus, singulariter potens, singulariter bonus, singulariter sanctus, quoniam licet ista uel his similia, hominibus uel Angelis inesse dicantur, nulla tamen ad eius altitudines reuerẽdæ potestatis attingunt. Omnes enim arduæ uirtutes, in summitate illa plenissimæ atque perfectissimæ sunt, quæ creaturis uniuersis ipsius largitate pro suo modulo conceduntur. Nunc sciendum est, hæc immortalis anima quemadmodum degere sentiatur. Viuit in se, post huius seculi amissionem, non reflante spiritu, sicut corpus, sed æquali mobilitate, quæ illi attributa est, pura, subtilis, cita, æterna. Videt, audit, tangit, ac reliquis sensibus efficacius ualet, non iam ex partibus suis hæc intelligens, sed omnia spiritualiter ex toto cognoscens. Alioquin absurdum est putare, minus posse liberam, quàm mole brutissimi corporis ingrauatam. Talia enim intelligere posse non dubium est, et Angelos, & potestates aereas, uel cætera, quæ sublimi atq;

mi atque immortali ſubſtantia conſtare noſcuntur. Reliquum eſt, ut nunc obnoxiam mobilitati, currenti ordine doceamus, atque utinam etiam ambiguum, & non facile probaremus, in qua parte frequenter occurrimus. Quis autem dubitet, modo nos gaudio eſſe ſubleuatos, modo mœrore deiectos, modo pietate mites, modo indignatione terribiles, nunc ad uirtutes animos erigere, nunc iterum ad uitia declinare? Alia tenaciter adſumimus, alia obliuione reſpuimus. Quod nunc placet, pòſt diſplicet. Bonorum etiam ſermonibus ædificamur, malorum colloquutione deſtruimur. Et quantum proficimus cum rectis, tanto deteriores nouimus eſſe cum peßimis. Nam ſi nos unus rigor, unum propoſitum contineret, nec boni ex malis, nec beati ex improbis, mutabilitatis beneficio redderemur. Sed ut cauſa uarietatis huius euidentius poßit agnoſci, recordemur (ut dictum eſt) prudentiam non eſſe nobis immutabilem contributam. Et ideo ſapimus, quum Diuina illuminatione bene gerimus. Atque iterum deſipimus, quum delictis caligantibus obcæcamur. Affectio enim, quæ uenit, & recedit, ſemper incerta eſt. Solus omnipotens Deus eſt, cui hoc eſt eſſe, quod ſapere, hoc eſt poſſe, quod uiuere, hoc uelle, quod facere, & merito, quando uniuerſa, quæ uere bona

sunt, non ad illum ueniunt, sed ab ipso procedunt. Quapropter hæc animæ, quam diximus, origo, non intelligenda est pars Dei, ut quidam dementius irreligiosa uoluntate putauerunt, quia conuertibilis est, neq; Angelorum, quia carni sociabilis est, neq; ex aere, neq; ex aqua, neq; ex terra, neque ex eis quæ mutua complexione iunguntur, sed simplex & propria quædam natura, & ab alijs spiritibus discreta substantia, quam longè subtiliorem aere & lucidiorem debemus aduertere, quando istum uulgariter intuemur, illam uerò † conditionem carnis aspicere Conditione *non ualemus. Hanc speciem naturalis mobilitas semper exagitat, ad cogitationes suas communiter explicandas. Hinc est, quod per quietem remißi, dum materia nobis fuerit, solitæ cogitationis abstracta, nec intenti ad quotidianas fuerimus solĕniter actiones, res uarias nunc falsis, nunc ueris inspectionibus somniamus. Parum est, quod sopitis sensibus uolatica imaginatione deludimur, dum frequẽter etiam uigilantes à nostra contemplatione traducimur. Sæpe enim cum nos in oratione magna intentione dirigimus, ludo, nescio quo, inspiratis subitò cogitationibus amouemur, & ita prouenit, ut menti, nescio quid, aduersum suggeratur, quod dispositum non habemus. Constat ergo, animam in hoc mundo instabili*

ſtabili & uariabili uoluntate conuerti, bonarumq; rerum eſſe amiſsibilem ac receptibilem, nec uno ſemper uoluntatis ſuæ rigore ſubſiſtere, ſed etiam contra diſpoſitum ſuum multiplici ſe conuerſione mutare. Nec de illis ſumus, qui dicunt recolere magis animas, quàm diſcere uſuales artes, & reliquas diſciplinas, cum & ad interrogata ſint paratæ, ubi potuerint intellectu perueniente contingere, & noua ſic audiant, quaſi nihil ex eis antè didiciſſent. Ecce grauida definitio illa iam facta eſt, ecce in lucem, ni fallor, quæ fuerũt clauſa, proruperunt. Non eſt quicquam de propoſita complexione derelictum, cuius talis eſt diſciplina, ut id quod intendit, ita explicet, atque determinet, ut neque minus neque amplius aliquid dixiſſe uideatur. Nunc ad ſubſtantialem eius qualitatem ſollicitis ſenſibus accedamus, quam interrogationis ueſtræ tertium locum tenere memoramini.

De Qualitate Animæ
Caput V.

QValitatem itaque ſubſtantiæ huius, Auctores igneam eſſem dixerunt propterea, quod mobili ſemper ardore uegetetur, & iuncta corpori ſuo membra calore uiuificet. Denique quod cuncta cœleſtia flammeo referũt uigore conſtare, non iſto

fumeo consumptibili & temporali, sed ex tranquillo nutritore atque immortali. Hoc neque minuitur, neque crescit, sed in susceptæ originis dignitate iugiter perseuerat, quod ideo finiri nequit, quia nulla, ut corpus aliquod, elementorum diuersitate concretum est. Vnum enim atq; simplex habere nescit aduersum, & ideo semper manet, quoniam in essentia sua non habet litem. Sicut immortalia cuncta creata dicunt, quibus spiritualis est concessa substantia. Nos autem lumen esse potius non improbè dixerimus, propter imaginem Dei, quam inter conditiones rerum, quãtum illi pro modulo suo necessarium fuit, decenter accepisse memoratur. Ipse enim Deus omnipotens solus habet immortalitatem, & lumen habitat inaccessibile, quod super omnes claritates uel admirationes sanitas mentis intelligit. Sed imago aliquam habet similitudinem, cæterum hæc lumen non potest habere, quod ueritas. Illud autem quod ineffabile ueremur arcanum, quod ubique totum, & inuisibiliter præsens est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, una essentia & indiscreta maiestas, splendor super omnes fulgores, gloria super omne præconium, quod mundissima mens, & Deo dedita potest quidem ex aliqua parte sentire, sed idò
quomodo nec̀ non ualet explicare. Nam †quemadmodum fas
est

eſt ſufficienter de illo dici, qui creaturæ ſenſu non poteſt comprehendi? Egrediamur licet pietate nimia modum animæ noſtræ, & immenſa religione ſuper noſmetipſos alta cogitatione ſileamus. Tranſeamus etiam poteſtates cœleſtium creaturarũ, profundéq; tractemus, quid ſit, qui tam magna, una iuſſione, uno momento fecerit. Tamen quicquid miramur, amplius eſt, quicquid ſentimus, excelſius, dum ad illam imperſpicabilem maieſtatem mens humana non penetrat. Vna erga ratio potentiæ huius eſt, uenerari, quod inueſtigabilis eſt, non diffinitiuè quærere, qualis quantusq; ſit. His itaq; rebus edocti, lumen aliquod ſubſtantiale animas habere, haud improbe uidemur aduertere. Quando in Euangelio legitur, Lumen, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Deinde quod in cogitatione poſiti, neſcio quid, tenue, uolubile, clarum nobis eſſe ſentimus, quod reſpicit ſine ſole, quod uidet ſine extraneo lumine. Nam ſi ipſum in ſe lucidum non eſſet, rerum tantam conſpicientiam non haberet. Tenebroſis iſta non data ſunt, omnia cæca torpeſcunt. Iſtius enim tam uiolenta ſunt lumina, ut etiam intueantur abſentia. Quæ tamen tunc multo clariores, atq; immutabiles efficiuntur, quum à Dei gratia bonis actibus non recedunt. Earum enim ſpe-

culam uirtute multa atq; ardua, quæ in arcano Naturæ recondita ſunt, inſpici & compræhendi, uſu ipſo certißimũ eſt. Nunc inſpiciamus, utrũ formas habere credantur, quas incorporeas eſſe diximus.

Animam non habere formam. Cap. VI

PRius ſcire conuenit diffinitione Maiorum formæ ipſius ueraciſſimam complexionem. Formam uero dico, quæ aliquod ſpacium, linea lineis ue cõcludit, & ſic facile datur intelligi, ſi eam poſſunt animæ ſuſcipere, quas ſpirituali certum eſt uigore ſubſiſtere. Nam cum omnis forma aut in ſuperficie ſit, aut in corpore, ſuperficies non niſi in corpore, corpus uero ſolidum atq; palpabile, ab his autem rebus animam manifeſtè conſtat exceptam. Reſiduum eſt, ut formas animæ nullatenus habere putandæ ſint, ſed Diuinæ figuratæ, atque incorporales in ſua qualitate permaneant. Nec illud moueat, quod Apoſtolus de Chriſto Domino dicit, qui quum in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, & cætera. Ibi enim naturam uult intelligi, cæterum incorporeus Deus, qui ubique totus, atq; incompræhenſibilis eſt, quam potuit habere formam? Illud autem, quod in Euangelio legitur, Poſt huius lucis occaſum, Abrahæ ſinibus egentem Lazarum fuiſſe ſuſceptum, diuitem uero flammis adurentibus æſtuantem

æstuantẽ guttam postulasse, unde eius temperaretur incendiũ, ideo intelligitur positũ, ut humani generis rerũ ruinosa præsumptio, quid formidare debuisset, agnosceret. Cæterũ nec ille lingua locutus est, quã constat esse corporeã, nec ille digitos habuit, unde cadẽtibus guttis incendiũ diuitis tẽperare potuisset, nam & reliqua in hunc modũ suscipienda sunt, quæ lectione simili continẽtur. Parum est enim, quod de creatura ista memorantur, ad consuetudinẽ humani generis instruendã. Ipsum quoq; Auctorẽ impaßibilem, immutabilẽ, perenniter uno modo manentẽ, furere legimus, frequenter dormitare audiuimus, non quod talia Domino poßint conuenire, sed ut res alii quæ ex humana cõsuetudine facilius competẽtiusq; noscãtur. Sic animas nobis informes formas legimus frequẽter accipere. Solet etiã aliquos permouere, si anima non habeat quantitatẽ, dum eam cõstet intra corpus hominis cõtineri. Sed si diffinitionẽ ueracissimam quãtitatis reuocemus in medium, quæ res singulas breuiter semper absoluit, facile nobis probata ueritas eluceſcit. Sic enim Arithmetici eam compendiosa ueritate describunt, Omnis quãtitas aut de cõtinuatis cõstat, ut arbor, homo, & mons, aut de diiũctis, ut chorus, populus, uel aceruus, et his similia. Sed cũ anima neq; de continuatis, neq; de disiunctis

sit, quia corpus non est, clarum est, eam quãtitatem penitus non habere, sed ubicunque est, nec formam recipit, nec habere nobis dicenda est aliquam quantitatem. Creatori tamen circumstantias earum & quantitates patere posse credendum est, quia omnia sub mensura, numero & pondere creauit, & ipsi soli sunt nota uere, qui fecit ea. Qui mira potentia ipsas quoq; cogitationes nostras, quasi res uisibiles intuetur, qui innocentis sanguinẽ audit clamantem, ad postremum qui nouit omnia, & antequàm fiant. Tempus est, uenire ad uirtutes morales. quæ sunt ambiendæ diuitiæ, & reuera precios⁹ census animarum, quas Græci Aretas uocant, quibus contra immundiciam corporalem, suam nititur bona conscientia uindicare puritatem.

De Virtutibus eius moralibus. Ca. VII

aduersus

PRimum † aduersa praua uel iniqua, iusticiæ munimen obiectum est, cuius ut Veteres diffinire uoluerunt, talis noscitur esse complexio. Iusticia, est habitus animi, pro communi utilitate seruatus, suam cuique tribuens dignitatem. Contra confusa & incerta, prudentia utiliter adhibetur. Prudentia uero, est rerum bonarum & malarum uera scientia. Contra aduersa uel prospera, remedialis opponitur fortitudo. Fortitudo autem, considerata

pericu

periculorum ſuſceptio eſt, & laborum firma perpeſsio. Contra delectationes igitur illicitas & uoluptates feruidas, moderatrix nobis temperantia ſuffragatur. Temperantia quippe eſt, aduerſus libidinem, atq; alios non rectos animi impetus, firma & moderata dominatio. His igitur munitionibus Diuina opitulatione conceſsis, uelut quadruplici thorace circumdata in hoc mundo mortifero, ſalus animæ cuſtoditur. Nec poteſt à uitijs adiri, quæ tanta meruit tuitione uallari. Sed hoc uirtutum quadripertitum decus, trina (ut ita dixerim) parte completur. Prima eſt contemplatio, quæ aciem noſtræ mentis extendit, ad res ſubtiliſsimas intuendas. Secunda iudicialis, quæ diſcretione boni maliq;, rationabili æſtimatione pertractat. Tertia memoria, quum res inſpectæ atq; deliberatæ, in animi penetralibus fida cõmendatione reponuntur, ut quaſi in quodam conceptaculo ſuſcipiamus, quæ frequenti meditatione conuehimus. Veſtiaria noſtra quum fuerint plena, nihil cupiunt. Hæc theſaurorum non grauatur onere ratu, ſed quum multa condiderit, ſciendi deſiderio plus requirit. Tetigimus ſupradictas partes, quaſi harmoniam trichordem. Tali numero delectatur anima gaudere, ipſo noſcitur Diuinitas. Solent commouere aliqui ſubtiliſsimas quæſtiones dicentes, Si

Diuinitas perfectas & rationabiles animas creat, cur appoſito ſenſu uiuunt infantes, aut iuuenes inue niũtur excordes? Sed quis non intendat animas par uulorũ imbecillitate corporis, nec officia ſenſuum, nec miniſteria poſſe explicare membrorum? Vt ſi ignem anguſto naſe concludas, altum, ut illius moris eſt, nequit appetere, quia eum arctiſsimum obſtaculum conſtat operire. Tunc enim unicuiq; rei facultas ſua uidetur ſuppetere, cum illi nihil contrarium prævalet impedire. Sic ſtultis iuuenibus obuiat, quod aut imparilitate partium, aut craſsitudine humorum materni uteri uitio ſuſcepto, anima inepta nimis habitatione deprimitur, et uim ſuã exercere non prævalet, incõueniẽtis domicilij ſede præpedita. Quod ſtultis accidere hodie quoq; cõſpicimus, quos Græci Moriones uocant, nam ut de uſu aliquo quæ dicamus euentu, quàm multis morbis accedentibus, aut onerato cerebro, aut præcordiorũ ſtupore confuſi, acumen ſolitæ ſapiẽtiæ perdiderunt? Quanti etiam momentanea læſione mutati ſunt? Nam & ipſe, qui celeberrimè ſapiens habetur, copioſe branchoreſertus, quàm facile in crapulam dilapſus obtũditur, ut uirum illum prudentiſsimè diſſerentem, difficile uel uiuum credas, quem ſe nec mouere poſſe conſpicias. Vnum tamen certiſsimè ſcio, ſapientes nimis felicisſimos

liciſſimos fieri, qui miſericordia Domini à talibus aduerſitatibus redduntur alieni. Fortè ſunt & aliæ cauſæ, quæ rationabili animæ, ad motus proprios explicandos aduerſum ire uideantur. Cæterum animæ nec creſcunt cum paruulis, nec fatuis aliæ uaria diſcretione tribuuntur, ſed ſicut immortalitatem iugiter ſumunt, ita & rationabiles eſſe generaliter ſentiuntur. Paruulis enim ratio creſcit longa meditatione, non anima. Nunc ad reliqua currente ordine tranſeamus.

De Virtutibus eius naturalibus. Cap. VIII.

VIrtutes animæ naturales quinquepertitas Veteres eſſe uoluerunt. Primam eſſe in utraque parte ſenſibilem, quæ nobis tribuit intelligentiæ ſenſum, per quam omnia incorporalia uaria imaginatione ſentimus. Facit etiam corporales uigere ſenſus, ideſt uiſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum, quo dura & mollia, lenia aſperaq; ſentimus. Secundam imperatiuã, quæ iubet organis corporalibus motus diuerſos, quos implere decreuerit, hoc eſt transferri de loco ad locum, uoces ædere, membra curuare. Hæc exẽpli cauſa poſuimus, ut in his ſimilia dixiſſe uideamur. Tertiã principalem, cum omni

actu remoti, in ocium reponimur, & corporalibus sensibus quietis, profundius aliquid firmiusq; tractamus. Hinc est, quod ætate maturi melius sapere iudicantur, quia senescentibus membris, & corporalibus sensibus mollitis, proxima parte in consilium transeunt. Vbi dum mens amplius occupatur, robustior uirtute adunationis efficitur. Sed iterum desipiunt, quum nimia debilitate deponuntur, quoniam datum est animabus ad tempus suorum sequi corporum necessitates. Quartam uitalem, idest calorem animi naturalem, qui nobis propter suum feruorem moderandum, auras æthereas hauriendo atque reddendo, uitam tribuit & salutem. Quintam delectationem, hoc est appetitum boni maliq;, quam sub iucunditate animus concupiscit. Ecce iterum quadripartita subdiuisione ad sustẽtationem corporis explicandam, pars ista refunditur. Prima est attractiua, rapiens de naturali, quod sibi necessarium sentit. Secunda retentoria, assumpta retinens, donec ex his utilis decoctio procuretur. Tertia translatiua, quæ accepta in aliud conuertit, atq; transponit. Quarta expellatiua, quæ ut natura fiat libera, sic nocitura depellit. Soluimus, ut datũ est, quasi alium modum, inclinauimus uelut sextum, ut difficultatis cacumine deplanato, inoffense ad reliqua gradiamur.

mur. Nunc ad originem animæ, quoniam difficultatibus plena est, cautissimè ueniamus.

De Animæ origine. Cap. IX

LEgimus in conditione rerum mox de limo terræ corpus effectum, & statim Dominum insufflasse, factumq; esse Adam in animam uiuentem. Insufflauit enim, dictum est ad exprimendam operis dignitatem, ut agnosceretur aliquid eximium, quod eius ore prolatum est. Cæterum hoc significat insufflatio eius, quod mandatum & iussio. Nam insufflare † quemadmodũ potest, qui neq; spiritum resoluit, neq; buccas habet, quæ constat esse corporea? Hoc nonnulli sequuti dixerunt, mox semen humanum, ut coagulatum fuerit in uitalem substantiam, illico creatas animas corporibus dare discretas atq; perfectas. Medendi autem artifices quadragesimo die humanum & mortale pecus animam dicunt accipere, quum se in utero matris cœperit commouere. Opinione quoq; fertur aliquorum, quod Creator ille potentissimus, sicut de corpore nostro semen carnis educit, ita & animæ qualitate animã nouam posse generari, quatenus originalis illius peccati, quod catholica confitetur Ecclesia, per traducem delicti rea possit ostendi, nisi dono fuerit baptismatis absoluta. Nam † quemadmodum infans, qui pec-

quomodo

quomodo

candi non habet uotum, reus debeat ullatenus inueniri, nisi aliqua ratione in ipsa origine animarum culpa uideatur esse transfusa? Vnde Pater Augustinus religiosissima dubitatione laudandus, nihil temerè dicit esse firmandum, sed in ipsius esse secreto, sicut & alia multa sunt, quæ nosse non potest nostra mediocritas. Hoc autem ueraciter fixeq; credendum est, & Deum animas creare, & occulta quadam ratione uicissim illis imputare, quod primi hominis peccato teneantur obnoxiæ. Melius est enim in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam assumere fortassis audaciam, quum dicit Apostolus, Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Et iterũ, Ex parte scimus, & ex parte prophetamus. Sed quoniam in hunc locum tenor nos disputationis adduxit, ut animas reas per traducem peccati generaliter esse †deberemus, conuenit animam Christi in medium deducere, ne quis calumniosa intentione peruersus, simili eam putet cõditione constrictam: audiamus ergo originem eius, sanctæ Mariæ semper Virgini digno præcone fuisse prophetizatam. Ait angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi, propterea, quod nascetur ex te sanctum, uocabitur Filius Dei. Quis rogo in hac maiestate nascendi aut

† diceremus

di aut originalis peccati credat esse culpam, aut prophanam aliquam carnis suspicetur offensam? Absq; peccato sine dubio uenit, qui erat omnium peccata soluturus. Conceptus mystico in spiramine, natus ex Virgine, nihil de Adam traxit, qui ut malũ Adæ uinceretur, aduenit. Funis ille longissimus, quo nos ligabamur, abruptus est, torrẽs qui nos rapiebat, ibi siccatus est. Iura sua mors perdidit, dum cõditio nostra uitam Redemptoris accepit. Nam primus homo posteris transmisit exitium, ueniens Christus Dominus credentibus cõtulit regna cœlorũ. Per istum enim reparat Anima statum, quæ per illum perdiderat meritum. Natus in gloria, conuersatus sine macula, quid potuit de illo trahere, quem contraria uenit actione destruere? Sanctæ origini uita sancta respondit. Qui sine peccato est genitus, nulla est mundi labe superatus, suscepit uerum hominem natura, non uicijs. Respuit, quod protoplastus deliquit, & assumpsit hominem purissimum, quem creauit, non peccatum suscipiens, sed carnem peccati sine aliqua iniuria pollutionis assumens. Suauis quidem nimium mihi facta digressio est, dum suspiciones improbas amouere cõtendo. Sed dum ad aliud tendimus hinc, dicere multa non possumus. Restat nunc, ut in ordinem & propositum persequentes, de sede animæ dicere debeamus.

De

De Sede Animæ. Cap. X

QVidam ſedem Animæ, quamuis ſit corpore toto diffuſa, in corde eſſe uoluerunt, dicentes, quòd ibi promptiſſimus ſanguis & uitalis ſpiritus continetur. Inde etiam cogitationes ſiue malas, ſiue bonas exire confirmant, quòd animæ uirtutem operari poſſe, non dubium eſt. Plurimi autem in capite inſidere manifeſtant, ſi fas eſt cum reuerentia tamen dicere, ad ſimilitudinẽ aliquam Diuinitatis, quia licet omnia ineffabili ſubſtantia ſua repleat, Scriptura tamen cœlos inſidere cõfirmat. Dignum enim fuit, ut arcem peteret, quæ ſonuerat cœleſti operatione, ſublimem, & tali loco præ cæteris uerſari, unde reliqua membra debuiſſent competenti regimine gubernari. Nam & ipſa figura capitis ſphæroides pulcherrima eſt, in qua ſibi immortalis atque rationalis anima dignam faceret manſionem. Certe corporalia uideamus. Ignis iſte mortalis ſemper tendit ad ſummum, & quod habet ſubtiliſſimam naturam, ad ſuperiora ſine dubitatione feſtinat. Sunt & alia huius credulitatis indicia, nam quum medendi peritiſſimi teſtam capitis humani grauiſſima percuſſione confractam, in ſoliditatem priſtinam reuocare cõtendunt, membranam, qua teneritudo cerebri communitur, quum à ſanguine & à fece detergere cupiunt

cupiunt, frequenter attingunt. Quæ ſtatim ut tacta fuerit, in tãtum ſtuporem homo peruenit, ut uel percuſſus alibi grauiter ſentire non poſsit, ſed mox iterum ut ſe manus à cerebri impreſsione ſuſpenderit, ad intellectum conſuetudinarium redit, uocem ſenſumq; recipiẽs, quod de ſe ipſo iam agatur, agnoſcit. Quod in alijs utiq; membris non probatur accidere, quamuis in magnorum uulnerum foueis excauentur. Additur etiam, quod & ſano corpori ad hanc rem pertinẽtia non minima ſigna perueniunt. Nam cum fuerit aliquis nimia indignatione inflammatus, animumq; ſuum æſtu cogitationis accenderit, non fluctu uiſcerum, non pectoris commotione uexatur, ſed ſtatim capitis dolore percutitur, ut illic uideatur anima fatigationis ſigna reliquiſſe, ubi magna uiſa eſt uirtute contendere. Ibi etiam fieri abſolutè ſentimus animæ noſtræ quoſdã fluctus, quoſ- *
dam per pectus grandiores, ut antè oculos noſtros ueniant, quæ abſentia nullus ignorat. Tendimus quidem uigorem animi in diuerſas partes, multasq; regiones. Et phantaſtica imaginatione ad capitis noſtri iudicium perducitur, quod per diuerſas mundi partes cognoſcitur exquiſitum. Deniq; oculos noſtros defigimus omnino cogitantes, aurium ſenſus obſtruitur, guſtus ceſſat, nares uacant, lingua non

habet uocem, & multis modis per talia ſigna cognò ſcitur, animam in ſuis quodammodo cubiculis occupatam. Hæc ergo, ut putatur, in ædito conſtituta, quaſi pro tribunali ſedens, appetitorum ſuorum noſcitur eſſe moderatrix, boni maliq; iudex, ambigua diſcernens, noxia reſpuens, cum tamen ei gratia Diuinitatis infulſerit. Fuit quidē in primo homine beatitudo naturalis, arbitrij liberi, potens, & inuiolata ſententia. Sed infœlici tranſgreßione deceptus, diabolica fraude perdens, quod poſteris traditurus acceperat, ad nos tranſmittere non potuit, quod amiſit. Inde propagatus interitus, inde humani generis nutrita defectio, inde ignorantia rationi contraria, inde noxiæ curæ, inde pœnitenda conſilia. Inde obſcurata cognitio, turpe deſiderium, iuſticiæ neglectus. Inde mille criminū lapſus, & plura nobis cum pecoribus communia, quæ Diuinitas fecit eſſe diſcreta. Prænunciat enim proh dolor nobis ſolis diſceßio, ſerenitatis aduētum, futuras tempeſtates uentorum commotione dignoſcimus, uenturam ſeculis ubertatem temporum ratione colligimus, læticiam nobis interdum gnari animi præſagitione permittimus. Sed quid tale ignorare potuiſſet anima, ſi eius fuiſſet dignitas cuſtodita? Depreſſa eſt iuſte ad ignorantiam, quæ ſcire uoluit contumaciter uetita. Modo enim

do enim signis aut coniecturis sapit aliqua, quæ sine labore potuit nosse uniuersa. Illud tamen sancta conuersatiõe purgata, Diuinitatis auxilio recepit, quod insidijs decipiẽtis illuminata uidet à Creatore, quæ fuscata non potest à semetipsa cognoscere. Narrata sunt de anima, quanta probantur esse concessa. Sed conuenit, ut & de eius templo dicamus, quoniam illa imago Dei non patitur, ut corpori deformi coniuncta esse uideatur.

De Positione corporis. Cap. XI.

PRocerum animal, & in effigiem pulcherrimè speculationis erectum, ad res supernas & rationabiles intuendas, cuius harmoniaca dispositio ingentia nobis sacramenta declarat. In primis caput nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cœlestis sphæræ rotundæ concauitatis formatum est, ut senarium illum perfectissimũ numerum sedes nostri cerebri, in cuius organo sapimus, contineret. Hinc oculi, quasi sacrorũ testamentorũ pulcherrima duo uolumina collocantur, ad quorũ similitudinem omnia nobis combinata descendunt, ut aures, nares, labra, brachia latera, crura, tibiæ, pedes. In hac enim mystica dualitate compago totius corporis continetur, & sicut illa testamenta ad unũ respiciunt, unum sapiunt, ita hæc officia in unam se

conuenientiam operationemq; coniungunt. Sed licet hæc parilitas pulcherrima se distributione consociet, & alterutrum sibi mutentur ornatus. Sunt enim singularia in medio constituta, ne in unam partem præiudicialiter uergentia, alteram competenti decore nudarẽt, nasus, os, guttur, pectus, umbilicus, & genitalium uirga descendens. Quæ laudabilia et honorabilia monstrantur, quando in medio locata consistunt. Capiti autem nostro, qui sensus capit uniuersos, rectè ceruix, quasi quædam columna supponitur, docens nos religionem sanctam in unam fidei consistere ualidissimam firmitatẽ. Lingua quoq; uocis nostræ decens plectrum, data est, ad sermonum nostrorum conuenientiam temperandam, ut nos articulata uerba ab animalium cõfusione distinguerent. Nec illud uideatur incassum, quod uni gutturi duæ seruiunt digestiones, scilicet ut omnis intellectus prudentis animæ, quasi cibus acceptus, & rationis calore decoctus, per gemina testamẽtorum itinera, cõpetentibus tractatibus explicetur. Et quoniã neq; cornu neq; dente neq; fuga, sicut animalia, corporis humana forma se præualet uindicare, robustus illi thorax brachiaq; concessa sunt, ut illa tam iniuriã manu defenderet, & obiectu pectoris, quasi quodam clypeo uindicaret. Genitalia uerò nostra, in ma-

in magnum mysterium quis dubitet attributa? Vnde præstante Deo, hominis reparatio fœcunda procedit, unde mortales nesciunt habere defectum, quando personis pereuntibus, genus noscitur posse seruare continuum. Decorum membrum, si non fuisset turpi libidine sordidatũ. Quid enim illo precioſius esset, si inde humanum genus sine culpa descenderet? Sic omnia præconialia creata sunt, si peccatis polluentibus non redderentur obscœna. Hoc autem corpus animatum quinq; sensibus administratur, ac regitur, qui licet sint communes cum beluis, à nobis tamen rationabili iudicio melius distinguuntur, atq; complentur. Primus eorum uisus est, † quia aere illuminato colores respicit corporales, & in eis suas proprietates agnoscit. Aspectus enim est, ut Veteres definire maluerunt, uis animæ spiritualis, egrediens per oculi pupillam, res non adeo longinquas attingẽs, sed ad quos potuerit peruenire dijudicans, illud uidens, ad quod destinatur, ut uideat. Nam si de interioribus suis oculi uiderẽt, etiam seipsos sine dubitatione conspicerent, hoc etiam Pater sensit Augustinus. Secundus auditus est, qui concauis ac cocleatis auribus sonos accipit, aeris uerberationes concrepantes ratione dijudicans, quid sit auditum. Tertius odoratus est, qui diuersos odores assumens,

† quia

uim redolentium corporum, quasi quodam inuisibili fumo naribus susceptо, competenti aspiratione perpendit. Quartus est gustus, quo multarum rerum saporem palati dijudicatione cognoscimus. Quintus est tactus, qui etiam communis membris communiter noscitur attributus, elegantior in manibus nobis est, quæ singulariter datæ sunt ad multas cogitationes nostras communiter explicandas. Altera enim per illas euenit firmiorq; memoria, nam quod obliuisci possumus, istis scribentibus sine labore retinemus. Hæc sunt diuersarum artium opifices, & penè totius nostræ operationis effectus. Nam quid prodesset sensum aliqua facienda concipere, si hæc laboriosa manus non probaretur implere? Nec illud arbitror prætereundum, quod pedes nostri manusq; denaria digitorum quantitate formantur, ut cursus uitæ nostræ atq; operatio, sacramenta cœlestis Decalogi continent, ne præter legem Domini aut cogi
quomodo tare aliquid aut agere deberemus. Facies ipsa† quem admodum prudentiæ suæ patefecit indicia? In effigiem nostram exeunt occultæ cogitationes, & ex parte cognoscitur, qualis intus animus uoluntasq; uersetur. Vultus siquidem noster, qui à uoluntate nominatur, speculum quoddam est animæ suæ, & quod substantialiter non cernitur, per eius habitum

euiden-

euidentissime declaratur. Quanta possint de eius membris reliquis dici? Cur triginta duobus dentibus gingiuarum nostrarum ordo clauatus sit? Quare cerui∗ nostra septem modis, spina uiginti tribus spondylis colligitur, costæ uiginti quatuor radijs pro uisscerum defensione flectantur, ne teneritudo illa intraneorum, importuna facillimè læderetur iniuria? Nerui quàm congrua dispersione corpus omne contineant? Quomodo uenæ nutribili sanguine competenter irrigent membra? Quemadmodum ossa medullata nos corroborent? Cur unguibus nostris commune sit iugiter crescere cum capillis, quàm decorè, quàm utiliter carnes nostras uestiat, ut nec humor internus turpiter defluat, nec pulchritudo coloris subducta uenustate dispereat. Sed cum membra singula diuersa corpori præbere uideantur officia, aliudq; nobis sublimè, aliud mediocrè, aliud sit in ultimo constitutum, in tantam complexionis gratiam conuenerunt, ut omnia sint necessaria, omnia probentur accommoda, sicut Apostolus ait, quum Ecclesiam de studio charitatis adunaret. Non potest dicere oculus manui, non es mihi necessaria, aut iterum caput pedibus, non desidero operam uestram. Sed multo magis, quæ uidentur membra corporis

infirmiora esse, necessaria sunt, & quæ putamus ignobiliora esse, corporis honorem abundantiorem circumdamus. Deus enim ita tẽperauit corpus, itaq; distribuit, ut membra se mutuis adiutorijs indigerent. Sed hoc propter nimiam prolixitatem, in summam dictum abundè sufficiat, nullum corporale animal in tantam mysteriorum significationem fuisse formatum. Debuit enim consilio summo fieri, quod uidebatur rationabili animæ esse coniungendum. O summi Opificis creatura mirabilis, quæ sic humani corporis liniamenta disposuit, ut si non primi hominis essent peccatis grauantibus onerata, magnis muneribus nõ fuissent exuta. Qualia enim meruit tunc libera habere, quæ nunc tot bona noscitur retinere damnata? Verum ista caro, quamuis diuersis uicijs appetatur, multisq; uulneribus lacerata subiaceat, ipsa tamen est, quæ cœleste psalterium canit, quæ gloriosos Martyres facit, quæ Conditorem suum uisitata promeruit, quæ ipsam quoq; uitalẽ crucem sancti Redemptoris accepit. Merito iam spiritualis futura creditur, quando & hic mortalis tanto munere perfuncta gloriatur. Sic enim ista magna quidem natura, sed originali delicto peccatis quotidianis obnoxia, ieiunijs, eleemosynis, assiduisq; orationibus Diuina se suffragatione cõponit. Sic emundatis sordibus

dibus peccatorum, lucidam præparat mentem, ut ſuum ſuſcipere mereatur Auctorem, fidei templũ, quæ ſe criminibus non cõceſsit hoſpitio. Credo Diuina miſeratione prouiſum, ut corpus ſubderet animæ, animam ſibi, totumq; ſalutariter ad Deum reſpiceret Creatorem. Peractis ijs, quæ dicẽda fuerunt, congruum uidetur de animarũ ſignis indicijsq; diſſerere, quia licet earum ſubſtantia una eſſe uideatur, longè tamen diſparibus qualitatibus ſegregatur. Ac primum dicam, quemadmodum malorum hominum conſuetudo moresq; declarentur, quatenus quos interius uidere non poſſumus, quibuſdam indicijs extrinſecus approbemus.

De Cognoſcendis malis hominibus. Cap. XII

OMnes igitur animæ ſine recta fide deterrimæ ſunt, ut Philoſophorum, qui non Creatoris legem, ſed humanũ potius ſequuntur errorem. Et quamuis doctores uideãtur eſſe moralium, & ſe diſciplinarum cultibus nitantur abſtergere, ſuperſtitionis tamen ærugines non declinant. Qualis enim clementia eſt, illum colere & credere, qui ſibi non prævalet ſubuenire? Nihil enim cuiquam prodeſt, uitaſſe noxias cupiditates, eneruatam non amaſſe luxuriam, deceptricem fugiſſe fallaciam, alienum ſe à

terrenis uicijs effeciſſe, quia uanus eſt labor & incaſſum, qui remuneratorem omnium ſibi reddit infenſum. Cuius enim præceptis obediet, qui Latorẽ legis ignorat? Graditur ſine uia, reſpicit ſine lumine, cogitat ſine ſapore, currit ueloci greſſu, non reperit, ad quod peruenire diſponit. Hi poſſunt ad præſens florere, ſed fructum non probantur inferre, quia gratia eorum non in radice uiguit, ſed in foliorum ſe tantum oſtentatione iactauit. Nam & illi in eadem parte ſunt, qui & ſi rectè credunt, fœdis tamen ſceleribus polluuntur, quoniam cum ſe grauibus peccatis connectunt, à Creatore diſſoluunt. Tunc immortalis anima fuit mortua, tenebris ſuis incipit amare, quod pereat, incipit odiſſe, quod uiuit, uirtutes odit, uicia ſemper affectat, illamentabili obſcuritate fuſcata, rationem mundiſſimam nõ habet, quia in gurgite ſe peruerſitatis immerſit. Mox ab antiquo hoſte capta, ad uicia præceps agitur, & per corporis illecebras ſumit de eius obnoxietate uictorias. Eſt enim ægra, & peccati ſemper anxia, ipſa ſe condemnans, quam nullus accuſat, ut merito mors uitalis, ac uita mortalis talibus proueniſſe dicatur. Hanc ſi miſerator ille reſpexit, oculumq; mẽtis corporeis exceſſibus obcæcatũ fuerit illuminare dignatus, ad beatricẽ plenitudinẽ trahit, euadendi donat effe-

nat effectũ, quæ pereundi primitus uidebatur hausisse desiderium. Tunc fœlicior, cum fleuerit, tunc celsior, cũ se prostrauerit, lachrymis reparat, quod gaudendo perdiderat. Et quæ ad hostem uoluptatibus inuitata peruenit, ad salutarem Dominũ prosperrimè cõtristata festinat. Sed quamuis eas non sit fas hominibus intueri, tamen euidentibus indicijs suas qualitates aperiũt, ut & illas possimus aduertere, de quibus aliquid non probamus audisse. Malis nubilus uultus est, in qualibet gratia corporali mœsti, etiam cum lætãtur, agunt, unde paulo post pœniteãt. Desserunt ubi pectus uoluptates suæ, subitò in tristiciam redeunt. Oculi interdum supra q̃ necesse est, commouentur, iterumq; cogitantes infixi sunt, incertiuagi, fluctuantes, ad omnia trepidi, de cunctorũ uoluntate suspẽsi, curis anxij, suspicionibus inquieti. Aliena de se iudicia sollicite perscrutantur, quia dementer propria perdiderunt. Quærendo uitam, calamitatem infernæ mortis incurrunt, & dum lucem temporalem auide cupiũt, tenebras perpetuæ noctis acquirunt. Relationes suas inexplicatas sæpe derelinquunt, saltu quodam ad aliud transferuntur. Quum nihil agant, semper eos æstimes occupatos. Formidolose uiuunt, etiã cum nullius insecutione uexantur. Pœna illis est conscietia sua, et à se omnia sustinẽt,

cum

cum ab alijs grauia nulla patiantur. Quorum & ipſe odor acerbus eſt, niſi cum ſuauiſſimis inhalationibus ſuperſtites condiuntur. Neceſſe eſt enim, ut odore delectetur peregrino, qui offenditur proprio. Veniamus ad ſanctæ Trinitatis fideles animas, quæ prædicaturam retinent Apoſtolicam diſciplinam, & in glorioſiſſimam uoluntatem conſtantes, reuera ſimilitudinem ſupernæ ſeruare probãtur imaginis.

De Cognoſcendis bonis hominibus. Cap. XIII.

SAnctarum igitur animarum & in iſta communi uita magna iam uirtus eſt. Nam carnem expugnatricem humani generis, per quietem debellant, victrices ſui ſunt, dum ſtudentes conſtantiæ, uiuo corpori mortem delectantur infigere. Væ autem carni, quæ hic ſuperata non fuerit, nam quæ in hac conuerſatione uincitur, illic ſine dubio coronatur. Vir deniq; fixus, purus, innocuus, omnes laudat, ſe ſemper accuſat, & cũ placeat uniuerſis, ſibi ſoli diſplicet. Nimia enim magnitudo eſt, ſuam intelligere prauitatem, nec prævalet hæc noſſe, niſi tanto cum iam cœperint Diuina pateſcere. Hi † tãtum expeditius ad ſuperna uolant, † quantum ſe oneroſius quanto in humana conuerſatione caſtigant. Imperant corpori, quia famulantur Auctori. Et dum ſe exiguos

cogno-

cognoſcunt, ad culmẽ magnæ perfectionis uadunt. Nullum lædere cupiũt, læſi ſemper ignoſcunt. Charitatem & illis impendunt, qui eos ſcelerato odio perſequuntur. Tales animæ Domino præſtante etiã noxijs ſpiritibus imperant, & illi quos mundus patitur infeſtos, à creatura minore ſuperãtur. Adhuc in corpore carni iubent. Poteſtatibus aeris, † quorum tentationibus non cedunt, eis Diuina uirtute dominantur. Iſtæ enim immortales propriè ſunt dicendæ, quas nulla pœnitudo diſcruciat, nullus mœror affligit, quæ probantur exiſtere inopia, diteſcunt, carceribus lætæ ſunt, & inter hæc iure ſecunda illis obediunt, quia ſemper bonos ſequuntur. Contrà perſecutores fortiore ſemper eriguntur audacia, quando finis lucis, illis principium eſt bonorum. Et in æterna beatitudine recipiũt, quod in temporali conuerſatione geſſerunt. Si ſanctorum animæ adhuc in iſto ſeculo commorantes, dum longa ſint habitationis contrarietate diſtractæ, tamen bonis Angelis uidẽtur eſſe conciues, & ex magna parte conſortes. Moyſes enim per maria terrenum iter aperuit, aquarum domicilia ſiccis pedibus tranſmeauit, & tam magni fluctus, quaſi latere utroq; conſtructi in ſpeciem rupis, peregrina ſoliditate rigueruntMeruit Helias, ne pluueret, obtinuit etiam, ut ſe

† quorum

deſideratus

desideratus imber effunderet. Et unus homo beatis supplicationibus egit, quod generalitas cum suspenderetur, impetrare non meruit. Istis enim qui se cœlesti conuersatione mundificant, uirtus superna miseratione conceditur, quam homo propter originale uicium habere non potest. Cum creati per mundum transeuntes, maiestate semper defixi sunt, quibus tamen assidue præstantur magnalia, ut penè iure desinant esse miracula. Helisæus discipuli sui oculos cœlestem militiã non uidentes aperuit, exercitus hostium cæcitate percussit. Ademerunt nonnulli flammis incendia, uitalem calorem frigidis cadaueribus reddiderunt, leones feroces ad sepeliendum corpus conuenire fecerunt. Et in uicem ratis hominem legimus uexisse crocodilos. Liquorem conuerterunt in duritiam silicum, latices iusserunt manare de siccitate saxorum. Illæsis uestibus prunas accepimus fuisse portatas, ambulare claudum. Solem præceperunt stare celerrimum, humano uerbo facta est Naturæ diuersitas. Et in tantam gratiam sunt recepti, ut & potuisse ipsis potuisset famulari, quo seruire mundus † potuisset, mirabatur. Quid iam de imperio uocis dicamus, quando & uestis eorum tacta, effectum sospitatis attribuit, & Apostolici umbra corporis, periculum mortis excluſit? Sic abundantia meritorum

& per

& per illud uidebatur ſanare, quod conſtat ſubſtantiam non habere. Talis anima abſolutè ſentitur, etiam * eius exiſtentia non uidetur. Hilaris illi ſemper cum uultus eſt & quietus, macie ualidus, pallore decoratus, lachrymis aſſiduus, lætus promiſſis, barba reuerendus, nullo cultu mundiſſimus. Sic per iuſticiam mentis, de rebus contrarijs redduntur homines pulchriores. Oculi læti & honeſti. Blandus ſermo & ueriloquus, bonorum pectorum penetrabilis, cupiens amorem Dei omnibus ſuadere, quo plenus eſt. Vox ipſa mediocris, nec debilis uicino ſilentio, nec robuſto clamore dilatata, aſperitate non frangitur. Accedentibus gaudijs non mouetur, moribus uultuq; unus eſt, templum ſanctum, domiciliũ uirtutum. Cuius ora ſe nequeũt immutare, dum ſemper probãtur ſtudere conſtantiæ. Gradus quoq; ipſius nec tardos cõſpicit, nec ueloces. Nullum propter ſemetipſum uidet, nulli propter alterum parcit. Suaſor recti, ſine arrogantia docens, cum humilitate liber, cum charitate diſtrictus, ut tam graue ſit illum deſerere, quàm inuitum eſt ab ipſa quoq; uita diſcedere. Amator ſalutiferi ſecreti ubi nulla libidine ſauciatur, contentione nulla ſuccenditur, ſuperbia non inflatur. Inuidiam non habet, Fratrum nulli loquitur, quod pœniteat, nil audit abſurdum.

Multa

multa turba uiciorum ſine certamine uincitur, quando ſolitudo gratia ſuffragatur. Tunicam poſtremo ſuam, quamuis more cutis una ſit, ſuauiſſimis implet odoribus, fragrat, quod diuitis Indiæ pigmẽta non tranſcendunt. Agnoſcitur in illis humanum corpus habere aromata ſua, ſcilicet dum nulla crapulatione diſtentum, nidores non exudat acerrimos. Facilè eſt aduertere, quem ſuperna potentia dignatur inuiſere. Nam & ipſe quoque animus noſter mox gaudet ad talem, & non admonitus intelligit, quem cœleſti inſpiratione cognoſcit. Verum hæc in ſexu ualidiore non adeo miranda ſunt. Quis autem digne ſufficiat Virginum ac Viduarum maximas explicare uirtutes, quæ ſic ad præcepta Dei amore ſancto rapiuntur, ut & magnæ patiẽtiæ ſe uigore diſcrutient, & ad martyrij coronam uicta carnis infirmitate perueniant? Locuti ſumus multa de anima, diximus etiam de corpore noſtro, quæ uiſa ſunt, tendamus nunc acies mentis in futuras retributiones. Conuenit enim, ut poſtquã ſe creatura cognouit, ad Creatorem ſuum pura mente feſtinet.

Quid agant Animæ poſt hanc uitam. Cap. XIIII.

QVæretis forſitan, poſt hoc ſeculum animæ noſtræ quid agant, qualesq; permaneant.

Reſponde-

Respondemus, ut diuersa lectione collegimus, Mors est animæ corporisq; facta resolutio, uitæ huius absentia, carnis desideria uel necessitates prorsus ignorans. Nam cum fuerimus hac luce imperio Creatoris exuti, simul corporis appetitiones & imbecillitates amittimus. Non enim ulterius labore frãgimur, non cibo reficimur, non ieiunij diutu nitate quassamur, sed in animæ nostræ natura iugiter perseuerãtes, nihil boni maliq; faciemus, sed usq; ad tempus iudicij aut de præteritorum actuum prauitate mœremus, aut de operationis nostræ probitate lætamur. Tunc autem recipiemus factorum omnium plenissimum fructum, quando uoce Domini aut repudiati fuerimus, aut ad regnum perennitatis admissi. Hanc igitur mortem in ista uita penè quietus somnus imitatur, quando seculi istius desideria ambitumq; deponit, & quicquid agitur, tranquillus animus sopore mentis ignorat.

De Futuro seculo. Cap. XV.

NAm dum corpora sexu suo die creationis, in illa celeritate, qua sunt omnia creata, receperint, quæ erit calamitas miseris in æternum cruciari, nunquamq; deficere? Ita enim perpetuæ pœnæ tradentur, ut infaustè semper existere comprobentur, dolor sine fine, pœna sine requie, afflictio sine

ſpe, malum incommutabile. Sic enim uarietas uiciosa punitur, ut eius damnatio nullatenus immutetur. Miſerrimi omnium & perdendo quod diligunt, & iugiter patiendo quod nolunt. Aeuum ſine dulci uita, mors ſine remediali fine, ciuitas ſine lætitia, patria exoſa, amara domicilia, cœtus triſtium, turba lugentium. Et quod ſuprà omnes deterius eſt, illos ibi ſecum torqueri poſſe cognoſcunt, quos decepti Numina crediderunt. In ipſo tamẽ ſupplicio pro meritorum qualitate diuerſitas eſt. Nam & diſtans beatitudo bonos continet, & impios diſpar pœna conſtringit. Aetas planè omnibus una atq; perfecta fu-

quomodo tura eſt. Nam † quemadmodum ibi erit minor, ubi non creſcitur? Aut quare ſenex, ubi non deficitur? Mutabilitates iſtæ ad interitum tendunt. Vnum eſt, quodcunq; perpetuum eſt. Ex hoc igitur quaſi uaſto flumine quoddam uidi thuribulum altercationis exire, ſi iugi pœnæ concedatur æternitas, dum conſumptio uix ſubſtantiam permittat exiſtere, quam nullo ſe tempore permittit reparare. Sed iſtud omnino ſuperfluũ eſt in cauſarũ perennium ratione cogitare. Nam & talis eſſe pœna poteſt, quæ torqueat, non imminuat, & talis ſubſtãtia, quæ ſenſum doloribus augeat, non defectũ mortalitatis incurrat. Ipſa deniq; anima noſtra quantis hic cruciatibus afficitur,

tur, cum tamen ſoluatur? Montes quoq; quàm nimio terrentur incẽdio, & tamen inter flammas ſuas ſtabiles perſeuerant. Salamandra incendio reficitur, et ignis calore reparatur. Vermiculi quidam æſtuantibus nutriuntur. Siccis dat uictum, quod alijs minatur interitum. Quod ſi inter has mortales materias talia nos extra corroborant, quid de illa æternitate credendum eſt, ubi mortalem non inuenit, quem pœna conſumat? Erit ergo miſeris conflagratio inextricabilis æterna. Bonorũ autem dona quis dubitet eſſe perpetua, cum ſe cognoſcunt læticiam percipere, et ulterius triſticiam nõ timere, mereri gaudium, quod norunt eſſe continuum? Illic animus ſua proſpera non pauеſcet, ſed exultationem propriam ſemper retinet in æternum cogitata proſperitas. Aduertunt enim beatitudinem ſuam in ſumma eſſe ſecuritate, cum ſe intelligunt iam non poſſe peccare. Nulla ibi quatitur uarietate noſtra ſecuritas, fixa mens nõ nutat, non fluctuat, nõ mouetur, & in tãta pacis ſtabilitate defigitur, ut nihil præter illã contẽplationem uel quærere uel cogitare patiatur. Sic prouenit ſemper, quod libeat, quãdo nõ erit, quod pœniteat. Vacabimus ibi, ſi tamẽ Creatoris munere cõcedatur, non torpore deſidiæ reſoluti, ſed ad gloriã perfectionis intenti. Senſus noſter cõplebitur puritate mitiſſima,

tranquillum erit omne, quod uolumus. Sine cogitatione ſapiemus, ſine errore ſentiemus. Malum iam nec ab alio capietur, nec extra uoluntatem generabitur. Habebimus hanc eſuriem aſſiduã, quam mens faſtidire non poßit, amando Creatorem, ſemperq; eius gloriam ſuauiter cõtuendo. Non ibi moleſta tædia prægrauabunt, non uarietas imbecilla confundet, quãdo talia ſunt, quibus afficimur, ut nullum in eis finem optare patiamur, quies operoſa, opera quieta, animi indefecta unitas. Tunc enim Diuinæ ſapientiæ agnitione complemur, nec rerũ ueracißimus intellectus diſciplinis oneroſis imbuitur, ſed in elaborato mentis lumine declaratur. Ibi numerus quantus eſt, notus efficitur, ibi linearum diſcretio abſolutè conſpicitur. Ibi conuenientia Muſicæ patet, ibi aſtrorum motus uiſuali cognitione certißimus eſt, ibi ueritas ſuperna uidendo nota eſt. Dei †ſapientia cõtuebimur, qua maieſtate ſingula quæq; diſponat. Ibi uidebimus, quàm irritè ab hæreticis lacerabatur Eccleſia. Ibi etiam conſpiciemus in ueſtitu deaurato aſtare Reginam à dextris ſponſi & Regis ſui. Ibi cognoſcimus, quãta fuerit ſub ſole uanitas uanitatum. Ibi reuera cernimus, quàm ſalubriter monebamur, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Cui omnia comparata uiliſßima ſunt, qui nunquam

†ſapientiam

aliter

aliter fuit, nunquam aliter erit. Cum quo esse nemo nisi feliciter potest, sine quo esse nemo nisi infeliciter ualet. Sic dum talis agnitio ab anima rationali etiam purgata reuoluitur, inueniri ab ea non potest, quod amplius expectatur. Opinari quidem possumus, spiritualis homo quare causarum delectatione saginetur, sed quid sit ille suauitatis modus (sicut legitur) nec mente potest intelligi, nec sermonibus explicari. Felices habent omnia, quæ uolunt, & nulla aduersitate quatiuntur. Ibi enim caro animaq; æterna pace compositæ, nequeunt inter se sentire contraria. Ibi erũt artus, qui spirituali consensu ornent, non concupiscentia carnali degenerent. Ibi denique cœlesti sobrietate fulgebunt, non autem mundanis cogitationibus ebriæ polluẽtur. Domicilia planè eorum (ut putamus) in supernis erunt, & terras non appetent, † quorum necessarium usum non habent. Quocirca non erit permixta, sicut in hoc mundo habitatio, sed sequestratim ab impijs electi, magna locorũ qualitate & regione diuidentur. Ciuitas cœlestis, mansio secura, patria totum continens, quòd delectet populus sine murmure, incolæ quieti, homines humanarum rerum indigentiam non habentes. Ibi nullum auida molestat esuries, nullum morbida ægritudo consumit, nullus probatur liberam erube-

† quarum

ſcere nuditatem, nec quenquam grauia frigora con
triſtant, non æſtus anhelum corpus exurit, nullus
ſomnos reparatores appetit. Vbi nemo cognoſcitur
eſſe laſſatus, omnia blanda, omnia ſuauia, cuncta
tranquilla. Quando & ipſe mundus noxia depo-
nens, temperiem habebit ſaluberrimam, perpetuis
ſeculis unitatem. Erit etiam illic dies continuata, &
ſerenitas æterna. Sol ibi quidem nulla nube fuſca-
tur, ſed omnia de Auctoris gratia plus lucebunt. Ibi
enim beatis talis ſplendor mentis eſt, & lumen intel
ligentiæ, ut ipſum Creatorem, ſicut in maieſtate
ſua eſt, mereantur conſpicere. Quocirca libris † ui-
rum rationabiliter cõmonemur, quod pars illa emun
data atq; meliorata, Diuino munere ueraciter ſpecu
letur Auctorem, quæ eius nihilominus portat imagi
nem. Inde denique uidebimus, unde credimus. Et ex
parte illud ſummum, eximium, ſingulare contempla
bimur, unde utiq; meliores ſumus. Globus iſte ſolis
quum hic ſerenus infulſerit, † quemadmodum ani-
mi noſtri ſenſa † permulcent? Lumen quoq; terre-
num quanta nos implet gratia, quum uidetur? Aſpe-
cti flores gratiſſima nos iucunditate reficiunt. Ter-
ram uiridem, mare cæruleum, aeris puritatem, ſtel-
las micãtes eximijs delectationibus nunc intuemur.
Quod ſi magnã præſtant dulcedinem, cum ad obtu

iũrorum

quomodo permulcet

tus

tus nostros puenerint res creatæ, quid illa maiestas tũc uisa conferre creditur, cũ nihil simile reperitur?

De Deo. Cap. XVI.

TVnc perfectè cognoscimus, quomodo saluta riter credimus. Nec enim aliter animaduerte re merebimur, nisi nunc, quæ uera sunt, fateamur: hoc est coæternam, incommutabilem, distinctam personis, & inseparabilem Trinitatem, replentem omnia simul substantiali uirtute sua. Vnum triplex, trinumq; simplicabile, parilitas in omnipotentia, æqualitas in charitate, unitas in natura, hæc excellenter & singulariter simul iudicat iusticia sua, simul parcit pietate sua, simul cooperatur uirtute sua. Potestas incomprehensibilis, beatitudo mirabilis, ex qua beantur, quæcũq; beata sunt: uiuificantur, quæcunq; uiuentia sunt: continentur, quæcunq; substant, cuncta librans, simul cuncta discernẽs. Quæ ideo in iudicãdo non labitur, quoniã in cognoscẽdo non fallitur. Cum non appareat, præsens bonis est: & quum nusquam desit, absens malis est. Immobilis, quia ubiq; totus est. Incessabilis, quia uoluntates suas semper operatur. De toto se audit, de toto uidet, non ex aliqua parte, tanquam de membro respiciens: sed omnia undiq; ita, ut sunt, pscrutabili uirtute cognoscens. Dicitur etiam odorari, gustare, ambulare, sed

hæc propter intelligentiã noſtram humana conſue-
tudine facere perhibetur, dum inenarrabili poten-
perficiat tia maieſtatis ſuæ longè aliter cuncta †perficiet. Vir
tus ſancta, uniuerſa creans atque diſponens, regnat
maieſtate propria & gloria ſempiterna. Incompræ-
henſibilis, inæſtimabilis, & æterna potentia cœlos
mirabili ſuſpenſione conſolidat, terras ſuper inane
defigit, dat fontibus curſum, mari terminum ponit.
Serenus coruſcat, pius fulminat, ima ſummáq; ſapi-
entiæ ſuæ lege moderatur, ſcilicet quia in guberna
tione ipſius conſiſtunt omnia, non in ſuo poſſe dere
licta. Iraſcitur blandus, iudicat tranquillus, & ſine
mutabilitate eius præuenit, quod delinquentium rea
tus exciperet. Rerum humanarum ualde miſerator,
conuerſis ſtatim parcens, peccãtes expectando re-
corrigens. Et cum pati nihil poßit contrarium, ma-
gna tolerantia ſuſtentat aduerſum, quantulumcunq;
eſt. Quod hic de illa ineffabilitate ſentimus, ibi ple-
nè cognoſcimus. Quàm ſubiecta ſunt in conſpectu
eius gloriæ, quæ miramur? Cui præbet miniſterium
Angelica magnitudo, charißimo famulãtur excelſi
principatus obſequio, innumerabiles poteſtates fide
liter & conſtanter obediunt, cuius ſemper indiget
quæuis excellẽtia ſummitatis. Quid iam de eius ſin
gulari potentia conijciamus, quando nec illud modò

compræ

compræhẽdere ſufficimus, quod ei parere poſſe mi nimè dubitamus? Tunc liberati intelligimus, cui dementes reſiſtere tentabamus, ad quam † magnifica magnificè
prouocati, quibus uidebamus ſordibus occupari, illud in æternum ſufficere uidere, quod nos in æternum promittit ueritas intueri? Illic conuincitur omnis prauitas quæſtionum. Illic male credita ueritatis ipſius facies operatur. Sine fine regnum, ſine nocte lux, ſine nitijs corpus, ſine moribus uita. Et cum omnia dirigantur ad æternum ſolum, ibi morietur exitium. Magnum, ex his † perfui, ſed multo melius, perfrui
quod inde probatur exiri. Vincunt uota, qui uocantur ad præmia. Tunc uerè cognoſcunt, quàm felici ter creati ſint, qui ad tam magna peruenerũt. O incompræhẽſibiles maieſtates & pietates. Nam inter † operas rerum, quibus mundi ambitus Opificis lau opera
de completur, nihil † egregius probatur exiſtere, magis egre
quàm ſubſtantiæ ſpirituales, quæ Creatorem ſuum gium
pura noſcuntur mente cogitare. Reliqua enim facta ſunt ad intelligentium delectationem, hæc autem ad ſuam beatitudinem, quæ ueneratur Auctorem. Tempus eſt, ut quæſtionum uarietate dimiſſa, dictorum copioſiſſimam denſitatem, in quibuſdam manipulis colligamus, ut fideli calculo numerata, horreis memoriæ compendioſa breuitate condantur.

Recapitulatio. Cap. XVII.

PRimò igitur ut retineatis auditores prudentiſſimi, propriè dici hominis animam, etymologiæ ipſius conſonatione docuimus, ſequeſtrantes ab ea uocabula, quæ nominum ſimilitudine audientes confundere potuerunt. Secundo diffinitionem ſubſtantiæ huius cum ſuis expoſitionibus, ut datum conuenit, abſoluimus. Tertio de ſubſtãtiali eius qualitate decurſum eſt. Quarto monſtrauimus quemadmodum anima formam habere non poſſit. Quinto uirtutes morales relatæ ſunt, quæ contrà uicia huius ſeculi, uelut quædam arma fortiter opponuntur. Sexto de uirtutibus animæ naturalibus non pauca poſita ſunt. Septimo, de origine eius. Octauo, ſedem ipſius iudiciumque deſcripſimus. Nono, de corporis noſtri poſitione tractatum eſt. Decimo, anima infidelis cum ſuis ſignis, prout conceſſum uidetur, oſtenſa eſt. Vndecimo, lucidam mentem & plenam Diuinitatis, pro captu noſtræ poſſibilitatis attigimus. Duodecimo, de ſpe futuri ſeculi nonnulla Domino largiente memorata ſunt, ut quam immortalem credimus, perennes diſtributiones habere nihilominus ſentiamus. Clauſimus itaque noſtrum munuſculum numero duodenario, qui cœlos ſignorum diuerſitate decorauit,

qui

qui annum menſtruali uenuſtate compoſuit, qui uen tos principales terrenæ indigentiæ prouida diſpoſi tione conceſsit, qui diei noctisq; ſpacia horarũ con grua quantitate diuiſit, ut meritò & animæ dilucidationi hæc ſupputatio adhiberetur, quæ tantarum rerum naturalium diſpoſitionibus conſecrantur. Reſtat nunc ſapientiſsimi uiri, qui floretis ingenio, ut mole mundi iſtius ſalutariter tranſsilita, Diuinæ miſericordiæ nosmetipſos uelociter offeramus, per quam leuiſsimè illuminatur cogitantis obtutus. Intel ligamus eum, diligamus illum, & tunc animas no-ſtras uerè cognoſcimus, ſi de illius largitate ſapia-mus. Ipſe enim Magiſter potens atq; perfectus eſt, qui & uera dicat Animæ noſtræ, & quæ dixerit, eam faciat illuminata mente conſpicere. In ſchola ſiquidem Chriſti cor indocile non poteſt inueniri, qui ſe ei tota mentis integritate tradiderit. Nec i-gnorare poteſt, quod quærit: nec amittere, quod pia remuneratione ſuſcepit. Fit ergo magna, precio-ſa, diues anima, quum ſe ex proprio pauperem eſſe cognoſcit: potens, ſi humilitatem ſaluberrimam non declinet: feliciſsima denique, ſi ſeruet in car-ne, quæ in æthere ſuperbi Angeli probantur ami-ſiſſe. Ad te enim sancte Domine, nemo ſe eri-gendo peruenit, ſed potius humiliatus aſcendit.

Cum

Cum altiſſimus ſis, proximior redderis ſupplicatione curuatis, noſtra tibi humilitas accepta eſt. Amas, quod pro te non quæris, deſideras, quo non indiges. Ipſa eſt enim uitæ noſtræ Mater, Germana Charitatis, æſtuantis animæ ſingulare præſidium, contraria debellatrixq; ſuperbiæ, ut ſicut iſta per diabolum origo criminum, ita illa per te noſcitur fons eſſe uirtutum. Hanc tu Domine Chriſte ſic nobilitare uoluiſti, ut eam non ſolum præcipere, ſed etiam ſuſcipere dignareris. Subijſti quippe in aſſumpta hominis natura iudicium, qui iudicaturus es mundum. Cæſus es flagellis, qui exaltas & humilias Reges. Pertuliſti in faciem odioſos conſputus, quem inſatiabiliter uidere cupiunt Angeli. Felle potatus es, qui humanum genus ſic habuiſti dulce, ut rerum Dominus, naturam ſerui dignareris aſſumere. Patiẽter coronam ſpineam ſuſcepiſti, qui comples orbem terrarum diuerſo flore præmiorum. Conditionem ſubijſti mortis, qui uitam † creaturus tribuiſti uniuerſis. creaturis *Tantaq; in ſancta incarnatione humilitas, quãta eſt in Diuinitate incomprehenſibilis maieſtas. Per te enim admirande Domine pœna facta eſt æterna requies, paſſio remediabilis, mors fidelium, ſalutis introitus. Hæc enim perpetuè dat uiuere, quæ ſolebat extinguere, non iniuria, quoniã quæ uitam omnium*

ſuſcepit

ſuſcepit, meritò ius peremptionis amiſit. Data in dedecore, manet in honore. Quondam res quæ pandebat inferos, nunc perducit ad cœlos. Verè omnipotens, qui & ipſas miſerias feciſti potentes. Nullus Regum egentibus tuis par eſt. Nullæ purpuræ piſcatorum tuorum retibus adæquantur, quando illæ in mundanas tempeſtates impellunt, hæc ad littus æternæ ſecuritatis adducunt. Pauper de nobis, diues ex tuo, factus es ſocius mortalitatis noſtræ, ut nos participes redderes æternitatis tuæ. Superbiam, humilitatis aculeum morte proſternis, noſti enim bona facere per iniquos. Conuertis in adiutorium, quod paratum eſt ad nocendum, potentius eſſe dijudicans, læſiones ad utilitatem conuertere, quàm cauſas malorum radicitus amputare. Nam quomodo beneficiorum tuorum cognoſcerentur ſigna, ſi & aduerſæ partis non monſtrarentur indicia?

Oratio. Cap. XVIII.

TV ergo Domine Ieſu Chriſte, qui ſic pro nobis flexus es, ut homo fieri dignareris, non in nobis patiaris perire, quod decreuiſti miſeratus aſſumere. Meritum noſtrum, indulgentia tua eſt. Dona, quod offeram: cuſtodi, quod exigas, ut uelis coronare, quod præſtas. Vince in nobis inuidam poteſtatem, quæ ſic decipit, ut delectet: ſic delectat, ut perimat.

rimat. Hoſtis dulcis, amicus amarus eſt. Noſti enim, quàm feraliter lubricus anguis illabitur ſquamis repentibus, minutatim corpus omne ſollicitat, & ne eius intelligatur aduentus, fixum non habet in præuaricatione ueſtigium. Inuidit proh dolor tam magnis populis, quum duo eſſent, & adhuc temporales perſequitur, quos impio ambitu fecit eſſe mortales. Se intercipit, quo alios decipiat, & nullo fine corrigi meretur, quia de omnium deceptione damnandus eſt. Quapropter non †poßit iniquus, ne conualeſcat interitus, dominatum in nobis non exerceat, qui nũquam præſtitit. Sed uirtus tua nos poßideat, quæ creauit. Doleat periiſſe, quod fecit, dum nos non uiderit perire, quos uoluit. Domine, quia in nobis non eſt, quod remunereris, ſed in te ſemper eſt, quod largiaris, eripe me à me, & conſerua me in te. Impugna, quod feci: & uindica, quod feciſti. Tunc ero meus, quum fuero tuus. Via ſine errore, Veritas ſine ambiguitate, Vita ſine fine. Dona, noxia odiſſe, profutura diligere. In te ponam proſpera, mihi ampliter ſemper aduerſa. Quàm nil ſim ſine te, ſapiam: qualis uerò tecum poßim eſſe, cognoſcam. Intelligã, qui ſum, ut ad illud ualeam peruenire, quod non ſum. Nam ſicut præter te exiſtere non cœpimus, ita & ſine te eſſe proficui non ualemus. Omnia

† poßideat

mia uergunt nihilominus in ruinam, quæ à Maiestatis tuæ pietate fuerunt ſegregata. Te autem amare, ſaluari, formidare, gaudere, inuenire, creuiſſe, amiſiſſe, perire eſt. Tibi denique nobilius eſt ſeruire, quàm mundi regna capeſſere: meritò, quãdo ex ſeruis Filij, ex impijs iuſti, de captiuis reddimur abſoluti. Quapropter contra peccata noſtra, miſericordiæ tuæ munimen inſurgat, quæ nominis ſui teſtimonio miſeris datur, ut trina remunerationis conditione ſentiamus, nobis propiciam Trinitatem. Petimus, quia iubes: pulſamus, quia præcipis: & ſine fine conferre maius, qui ſemper commones, ut rogeris. O altitudo pietatis, ô clementiæ incompræhenſa profunditas, quum nemo poßit aliquid recipere, ſi reſiſtis. Et te precibus noſtris pati poſſe teſtaris, meritò, quando à Iudice petimus, ut ad pœnale iudicium non uocemur. Et per Legislatoris gratiam ſperamus eripi, ne poßimus à promulgata conſtitutione damnari. Tibi ſancte Rex confidenter dicimus, Dimitte peccata, & concede † non debita. Omnis nobis creatura, operis tui bonitatem collaudat. Debemus tibi, quod exiſtimus: obligamur etiã, quod quotidiano munere cõtinemur. Gaudemus et huic quoq; glorioſißimæ Dominæ, quod tua beneficia nõ irritè poſtulamus. Tempera bone Artifex organum corporis noſtri

noſtri, ut harmoniæ mentis poſsit aptari: nec ſic roboretur, ut ſuperbiat: nec ſic langueſcat, ut deficiat. Tu noſti, quæ uerè moderata ſunt nasa, tua ſic reple proſperis, ut capacitas non præbeatur aduerſis. Dominetur ratio, ſeruiat caro, quoniã à te ſolo poteſt effici, ne fragilitate corporis noſtri poſsis offendi. Verùm hæc pro noſtro modulo, non pro rerum ipſarum magnitudine dicta ſufficiant, quando & amplius, quàm expetebatur, ediximus, & alma lumina ueracium literarum breuiter talia cautè q; docuerunt. Illi enim potuerunt de his inoffenſe dicere, qui purificati Diuino munere, probabili ſe meruerunt conuerſatione tractare.

CASSIODORI
de Anima Libri
finis.

IN IOANNIS LO=

DOVICI VIVIS DE ANIMA

Libros Index.

ABstrahentium non esse mentiri 48
Academici 48
A Corpore uenire aliquid ad oculũ tanta celeritate, ut momento temporis uideatur longissima penetrare spacia 4
Actiones 97, 69
Actiones uitæ & sensuum, & cognitionis et intelligentiæ pag. 68
Actionum inter se repugnantia 72
Adiuncta esse diuersa, quũ actiones sint persimiles 59
A Dulcibus qui abhorrent, nec odorum prestantia delectantur 41
Aer auricularis 33
Aer auri congenitus 33
Aer uirga aut scutica intente cæditur 33
Aeris densatio uel disraratio 68
Aeris naturalis indiciũ pag. 33
Aethiopiæ stirpes omnes odoratissimæ pag. 41
Affectiones 5
Affectus seu perturbationes 54
Agens 65
Agentes aliud 80
Album 28
Album & candidũ 28
Alimentum prius coquitur, quàm discernatur 14
Altrix potentia ibi.
Amaracinus, muscus, nardus, 40
Αμφίβια 69
Ανάμνησις 82
Angeli boni & mali 51
Anima 68
Anima brutorum 5
Anima corpori non ali

aër innectitur, quã lux aëri 63
Anima habitare dicitur in corpore 65
Anima in uniuerso corpore est haud aliter, quàm unaquæque effectio in cuncta sua mole 72
Anima, quæ altrix dicitur, ignea est 63
Anima quid 56, 59, 65
Anima quid sit, nihil interest nostra scire, qualis autẽ, & quæ eius opera, permultum 60
Anima rationalis 5
Anima sub nullũ corporis sensum cadit pag. 4
Anima sub sensus nostros non uenit 59
Anima suo corpori uel connexa, uel sicuti quibusdam placet, annexa & adiuncta 62
Anima uegetans 21
Anima uegetatrix 25
Anima unica est in singulis animalibus 75
Animæ altricis duo instrumenta 9
Animæ appositius organum 66
Animæ instrumẽta 64
Animę organa sunt parata uelut artifici 68
Animæ quæ sedes 72
Animæ quod sit præcipuum instrumentum 73
Animæ uegetatiuę partes 13, 25
Animã esse agens præcipuum 65
Anima nihil magis reconditum 5
Animæ quot 71
Animarum genera 70
Animarum opera penitissima 69
Animal nullũ est quod non habeat cor 74
Animalia perfecta 71
Animantis corpus solidum esse oportere pag. 11
Animantis corpus uniuersum, meatibus est quasi perforatũ pag.

pag. 15
Animantis iam pleni & adulti opus, generatio 21
Animantis meta 17
Animãti absoluto nec pauciores debuisse sensus tribui, nec oportuisse plures pag. 42
Animantes recens natæ 11
Animantia perfecta 15
Animata 12
Animata quæ lingua carent 39
Animosum 74
Animus an ex sensuũ nunciatione possit decipi 49
Animi attentio seu aduersio 79
Animi & mentis non minus est in medio cri corpore, quàm in uasto ac enormi pag. 50
Animorũ nostrorũ uita calore quoq; propagatur, nempe charitate Dei. 9
An Species aliquæ à rebus ueniant ad sensoria 44
Antiqui 4
Apis, formica 70
Appetitus 10
Apud Romanos ueteres religio, ignẽ extinguere 17
Aqua pura non dicitur alere, sed eluere 12
Aquæ reductio ad frigiditatem 9
Aquæ ex floribus distillatæ 40
Aquila 29
Aquosa 39
Arabiæ stirpes omnes odoratissimi 41
Araneus, bombyx 70
Argi dulces 82
Arida materia 13
Aristoteles 17,21,34, 42,51,55,85
Aristoteles more suo tectus 4
Aromata 41
Arte mista & confecta pag. 40
Artium corruptarũ Lucubratio 4

Asianorum quidam solis odoribus frugii dicuntur uiuere 12
Asperum & læue 36
Atrum 28
Atrum, nigrum & fuscum 28
Attentio memoriã confirmat 84
Auctrix facultas 16
Auditus 32
Auditus aëreus 43
Auditus disciplinæ est sensus 71
Auditus, sensus disciplinæ nominatur pag. 47
Aues 8
Augens facultas 16
Aures aereæ 64

B

BEatitudo, uelut extrema quædã manus est uniuersæ perfectionis 16
Beatitudinis sempiternæ perfectio 72
Beluæ marinæ maiores, quàm terrestres 18
Beluæ terrestres maiores, quã uolucres 18
Bilioſi 85
Bilioſi ad retinendum sunt aptiores 83
Bilis atra 67
Bili atra laborantes 38
Bilis flaua 67
Bipeda, quadrupeda, apoda 69
Bombus 33
Bonitas 61
Bonitas esse potest, ubi non sit cognitio eius, quod faciendũ est 61
Brutorum animi 63

C

CAeci nati, quas in animo habeant effigies, difficile dictu 79
Cæcis ac surdis Natura dedit acumen tactus, celerem ac firmã memoriam, intelligentię subtilitatem 48
Calor 9,13
Calor fundamentum habet in neruis, & ossibus 20

Calor, instrumentum animę altricis et augescentis 20
Candidissimus & præfulgens color 41
Caro 36
Ceræ sigillum impressum 27
Cerebrum, & in eo spiritus quidã tenuissimi 73
Cerebrum humidũ 83
Ceres tritici inuentrix pag. 23
Chrysippus Stoicus pag. 74
Ciborum fundamentum 11
Cineres 9
Coctrix 14
Cognitio interior 50
Cognitionis genera 26
Color 28
Color secundum uisile 31
Colores 28
Colores, luces tenues pag. 46
Colores tali ingenio, quali est lux 46
Concoctio 13
Conditoris sapiẽtia 24
Concha 70
Conchæ 8
Conchæ & spongię 54
Conchæ multarũ formarum 70
Coniunctio & propinquitas 61
Consideratio 77,82
Conspicilla 31
Continens & asseruãs pag. 25
Conus 30
Cor in medio corpore pag. 73
Cor, primum in corporatione animantis uiuit 73
Cor quod non habeat, nullum animal 74
Cor sine interitu animantis sauciari nõ potest 73
Cor, uitæ fons est 73
Cor, ultimum emoritur 73
Corporalia, spiritaliũ quædam ueluti simulachra 50
Corporis contemperatio naturalis memoriæ

moriæ plurimum confert 84
Corporis naturalis cõ ſtitutio prima, elementa Naturç com plectitur 35
Corpora 35
Cyneas 85
Cyrus 85

D

DAemon 65
De Affectib. ſpeculatio 6
De Anima cognitio 2
De Veritate fidei Chriſtianæ libri 4
Definitio noſtræ coniecturæ 42
Degeneratio ex ſemine non raro proue nit 22
Deus 60,61,65,76,84
Deus animantium corpora in ſpongię modum finxit 17
Deus notitiam quandam corporum in dere uoluit 42
Deus ſolus res è nihilo procreare poteſt 19
Deus tribuit eſculenta & poculẽta ad uim caloris auertẽdam pag. 20
Dei charitas conſummata 72
Dei ſuprema excellentia 60
Διαφανὶς 28
Domini Naturæ beni gnitas 60

E

EBrij & ægroti 85
Echo 34
Echo maior & plenior 34
Echo minor & confuſior 38
Echo ſemper, quod ultimum eſt ſoni, explicatius reciprocat pag. 34
Effectio 59,62
Effectiones 60,61
Effectio omnis, artifex eſt in ſua materia pag. 62
Effectiones ſiue ſpecies uiuentium 61
Elementorum qualitates 67
Elephantus 58

Empe-

Empedocles 58
Εντελέχεια 63
Εντομα 68
Epicurei 48
Epularum notitia 47
Equus 82
Equus poturus, aquã pede turbat 12
Erecta, proiecta, recta, curua 60
Ex corde, tanquam ex caſtello aquę riui 73
Expultrix 25
Ex ſenſilibus uenire aliquid ad ſenſoria, manifeſtiſſimũ 45
Extimatiua facultas 52
Extimatrix 50
Euaporatio calida acerrimum odorem gignit 41

F

FAbulæ 83
Facultates 76
Facultatis altricis multa munia 13
Facultatis genitricis uires particulares 25
Fames 10
Fœmina 23
Fœmina ex inopia naſci uidetur 24
Fœmina frigidior & humidior 24
Fœmina nihil aliud eſt quàm mas imperfectus 24
Fœminæ materia 24
Fœminæ prægnantes pag. 52
Fætor 41
Formatrix 25
Frumenta et uineta naturalia ſunt 23

G

GAlenus Medicus 74
Generatio 20,21
Generatio uaria 22
Generatrix 16
Geometricæ 59
Globus aureus abſque ulla rima operis temiſtitanici 34
Græci 28,34,70,79,82
Gregorius Nyſſenus pag. 68
Guſtatus ſenſoriũ 38
Guſtus 37,42
Guſtus aqueus 64
Guſtui odoratus eſt utilis 46

H

HErba nulla eſt, nulla arbor quę non proprium quendã habeat uirorem 29
Hiſpani, frequčtes moriuntur in inſulis Noui orbis 12
Homo 75
Homo microcoſmus pag. 64
Homo ſupra cœlos etiam aſcẽdit ad Deum ipſum 63
Hominis anima 75
Hominis Diuina origo 63
Homini odoratus hebetiſſimus cõtingit pag. 47
Hominẽ, paruũ quendam mundum appellari 64
Homines ingenioſiſſimi, & bono memoriæ prolixe inſtructi ornatique 86
Homines alij aliorum phantaſiam commouent 52
Homines ampliores in locis humidis, quã in arentibus 18
Homines uoraces & ebrioſi 38
Hortenſius 85
Hortenſius uerborum recordatione dicitur ualuiſſe 84
Humor 9,13
Humor auget corpora pag. 18
Humor immodice auctus 10
Humor, inſtrumentũ paſtus caloris 20

I

IAnus 83
Ignem quoq; uiuentem eſſe exiſtimarunt olim quidã 17
Imaginatio 50,51
Imaginatio admodum colligata cum corpore 52
Imaginatio concitata efficit, quod nulla intelligentia aut ratio poſſent 52
Imaginationem in anteriore cerebro cõſtitui

ſtitui 53
Imaginatiua 50
Immutatrix 25
In Angelo ſpiritalis eſt lux Dei, in ſole autem corporalis 28
In Anima ratiõali munera 78
In Animalibus quiddam uidemus ineſſe, cuius plãtę ſunt expertes 25
In Aqua etiã audiri 33
In Bili atra, multa eſſe cẽſentur nigra, quę non ſunt 31
In Cibis conuenit aliquid eſſe ſolidũ 11
In Coloribus quidam ſunt grati, alij excellentes 41
In Conchis et oſtreis feces deprehẽdere 12
In Digitis extremis acutiſſimus tangẽdi ſenſus 35
In Flãdria Belgica mulierũ locis gignuntur beluę multiformes 22
In Iracundia, ſanguinea uel lutea multa eſſe cenſentur, quę non ſunt 31
In Linguæ radice uerus & certiſſimus ſenſus fit 38
In Lingua extrema acutiſſimus guſtandi ſenſus 38
In Memoria multa habemus nobis incognita 48
In Natura quæ coniunguntur, & colligantur, ea omnia medio quopiã deuinciuntur 62
In Nexus ratiõe ac modo permagnum eſt diſcrimen 62
In Radice tota uis 60
In Senſione inſunt, ſenſorium, ſenſile & medium 49
In Sicilia ferunt triticũ ultro prouenire 23
In Stirpium propagine magna eſt inter genitum et gignens ſimilitudo 25
In uidendo maior celeritas,

sitas, quâm in audiendo 46
Inaudibilia 35
Inchoata 71
Inchoata atque imperfecta 72
Incorporatrix 14
Infans, dum corporatur in utero, nihil ferè distat à stirpe, natus autem à bruto 71
Ingenium à memoria adiuuatur 83
Ingenium necessitatis stimulo expergiscitur 48
Ingenij delassatio ab ipso non est, sed ab instrumentis 81
Ingenia inuersa atque infelicia 83
Ingenia lenta recordationis fide ualēt 85
Inhærentia esse eadem pag. 58
Insecta 68,70
Instrumentum, magnum momentū est ad opus rectè perficiendum, aut secus 68
Instrumenta, sunt qualitates, & conformatio materiæ 62
Instrumentorum ratio pag. 67
Intelligendi functio suprema 58
Intelligentia 75
Intelligētia duplex 77
Intelligētia simplex 78
Intelligentiæ impedimenta 79
Inter sexus differentia parua 24
Iudicium acrius & efficacius 84
Iudicium nihil statuit, quod non sit confectum ratione 77
Iuuenes 83

L

Lignum aridū 9
Linguæ caro 39
Liquores 64
Literarum monumenta 85
Λογικὴ 56
Lux 28
Lux, colorum fons & & parens 46

Lux exterior cũ illa oculorum coniungitur ad notitiam uidendi 29
Lux immodica obruit oculorum uires 29
Lux primum uisile 31
Lux princeps uisile 30
Lux seu lumen 29
Lux spiritalis cum luce mentis coniungitur ad intelligentiã pag. 29
Lucis uel luminis certior modus 29

M

MAenæ 11
Mas 23
Mas calore prę stat 24
Medicorum cura 85
Mel 39
Membrũ nullum est, quo non animalia aliqua careant 74
Membra siue interna, siue externa 64
Memoria 50,75,81
Memoria et recordatio pag. 81
Memoria primum est in quod ætas inuadit 83
Memoria tenacior est in tardo 85
Memoria uaria 84
Memoriæ loco magnũ bonum senibus 84
Memoriæ sedes ac uelut fabrica 82
Memoriæ, sicuti & manus, partes seu uires duæ 83
Memoriæ quæ conducant 85
Memoriam in occipitio constitui 53
Menciæ Principis Zeneticæ cœmeliarchium 34
Mens 58
Mens siue intelligentia 76
Mentis et phantasię certamen 55
Mentis nostræ quantitas, uis, functiones, opera 76
Mentis partes 77
Messis odor 40
Metalla 17
Meticulosa 74

Minerua oleæ inuentrix 23
Mola 22
Moles quæ tanguntur, segnius iritant sensum, quàm uisile, uel audibile 37
Motus 54
Mulieres prægnãtes 38
Mulieres, putri humore abundant ex alimẽtis brassicarum, et ceruisiarum potu pag. 22
Mures ambiguam habent procreationẽ pag. 23
Muscę, culices, formicę, apes, & quæ nec sexum ullũ habẽt, generationem habent spontaneã 23

N

NAres aereæ 64
Narium caruculæ 41
Natantia, ingredičtia, serpentia, uolantia, pag. 69
Nationes 12
Natura 37
Natura cæcis ac surdis dedit acumẽ tactus, celerẽ ac firmã memoriam, intelligentiç subtilitatem pag. 48
Natura quibus sensũ aliquẽ detraxit, dictu incredibile, quã sedula in compensando sit 47
Naturę arcana sunt nobis incomprehensibilia 34
Naturæ corpora 11
Naturæ Principis institutio 24
Naturæ nihil inimicius, quàm popinaria 41
Naturalia 40
Neapoli Italiæ in Mulierũ locis gignuntur beluæ multiformes 22
Necessitatis stimulo in genium expergiscitur 48
Nerui spiritus 36
Noe uini inuentor 23
Non intelligendi duæ sunt

ſunt in totum cauſæ 18
Nutriendi facultas 16
Nutrimentum 10
Nutritio 8

O

Oceani motus pag. 19
Oculus 53
Oculi corporatio aquea eſt, uis autem & efficacitas ignea 43
Oculi facultas 77
Oculi extantes 31
Oculi ignei 64
Oculis hebeti uiſu, maiore opus eſt cono pag. 31
Odor 42
Odores 41
Odoratus non erat admodum neceſſarius in ſcientia rerũ 47
Opificem unũ eſſe 72
Oraculum uetuſtum 3
Organorum diuerſitas 72
Oſtrea, ſpongiæ 77

P

Palpitatio 54
Παλη 54
Patres ſancti 76
Paulus 72
Pectori admouere manum de ſe loquentes 74
Phantaſia 50,51,79
Phantaſia mirifice expedita & libera 51
Phãtaſia, niſi regatur, & cohibeatur à ratione, haud ſecus animum percellit, ac perturbat, quã procella mare 52
Phantaſiam & extimatiuam in medio cerebro conſtitui 53
Philoſophus 57
Philoſophi 9,48
Philoſophi recentes 3
Piper, gariophylli, cinnamomum & aromata 39
Piſces audiunt ſonitus, ſed motum aquę tactu nõ ſentiunt 33
Piſces in mari 11
Pituita, alimentum rapacitatis igneæ 67
Plantæ tota uita introrſum ſpectat 25

Planta-

Plantanimes & planta nimalia 70
Plus Lucis quæ partici pant, facilius in te- nebris cernũtur 29
Plutarchus 17
Potionum genera in- uenta 12
Potus 13
Potus magis extendit corpora, quàm ci- bus 18
Potus Naturæ 13
Potus per se in rationẽ alimenti non uenit pag. 12
Prima philosophia pag. 7,19
Principes peripateticæ scholæ 42
Purdentia usu rerũ col lecta 84
Prunæ, adamantes, py ropi, nix, specula, aurum, argentum, cuprum, orichalcũ, læuigata & polita, cicindellæ 29
Pueri infantes 85
Pupula 30
Purgatrix 14

Q

Quadrupedes 8
Quæ Animan- tes, quos habẽt sensus 46
Qualitates primæ ele- mentares 36
Qualitates primæ seu principes 57
Quintilianus 83
Quod Luce aut colore conuestitum, tertiũ uisile 31

R

Receptaculi pra- uitas 22
Recordatio 82
Recordatio facilior, promptior, diutur- nior 86
Recultus 82
Reminiscẽtia, uocabu- lum scholarũ usu tritum 82
Reminisci 82
Rerum diuisio 7
Rerũ productio à Na- tura facta, imago est mundi à primo conditi 19
Retentrix facultas 14

S

SAccarum & uinũ pag. 39
Saliua 39
Saliuæ humor 38
Sanguis confert ad salutarem irrigationem corporis 67
Sapor 38,39
Sapidissima, contemperata sunt ex calido & humido 30
Saxa in imis terræ 17
Scrupi & lapides in superficie 17
Semen 21
Seneca 83
Senectutis nullum certius signum, quàm memoriam labascere 83
Senes 83,84,85
Sensile 26
Sensilia an aliquid ex se emittant ad sensum 45
Sensilia & germana ura 43
Sensio 26
Sensa exteriora 53
Sensorium 26,33,41
Sensoria 26,45
Sensorium bene affectum 49
Sensus 25,26
Sensus communis 51
Sensus in genere 41
Sensus maior, et humano uicinior in quibusdam, quæ longissimè ab hominis coronatione recesserunt 58
Sensus an falli possint, uetus quæstio 48,49
Sensus non uidentur posse falli, & possunt fallere 48
Sensus quinque 41
Sensuum distinctio 43
Sensuum fons sedesq; in anteriore cerebro 53
Sensuum notitia 48
Sensuum quinq; uires pag. 42
Sentiendi uis omnem corporis & adhærentium uim ac potentiam excedit 58
Sermo eorũ, quæ mente capiuntur, index

pag. 55
Sitis 10
Somnus. pag. 154.
Sonitus in aere 32
Sonus 32,35
Spacium 20
Species an sint 45
Species seu formæ 60
Specula & oculi concaui 21
Specula tumentia 31
Spiritales effẽtiq; phantasiam nostrã possunt agitare 52
Spiritalia ex corporalibus colligi, non mirandum 50
Spiratalia, imagines Dei 50
Spiritus agunt in phantasiam 51
Spongia 70
Spongiæ marinæ 8
Stirpanimantia 8
Stirpes 8,74
Stirpes omnes spontaneam habent originem 23
Stirpes loco affixæ 12
Stoici 48
Stoici molestissima loquacitate 4
Stupa et ligna arefacta pag. 39
Succus alienus 13
Succus corpori congruens 13
Superficies aspera aerẽ diffringit 32
Surculus pro semine pag. 23
Sue nihil esse homini similius intrinsecus 58

T

TActilia 36
Tactile unum 36
Tactus 35
Tactus et gustus, ad essentiã animalis pertinent, nõ item auditus & uisus 37
Tactus gustusq; actiones, breuioribus terminis circũscriptq;, quàm auditus et uisus 37
Tactus, item gustu tributus est omnibus pag. 46
Tactus, non uno aliquo in loco à Natura collocatus est, ut cæteri

cæteri 46
Tactus sensus in homine certissimus 48
Tactus, sensuum primus 43
Tactus terreus 64
Tactus uniuersis animantibus tributus pag. 36
Tactui terreus uigor pag. 42
Tamarix et populus infelices 23
Tamarix & populus nec fructum ferentes nec semen 23
Tangendi sensus unus pag. 36
Terræ natura ac uis pro semine 23
Terrestria, aerea, aquatilia, ambigua 69
Themistocles 85
Themistocles rerum recordatione dicitur ualuisse 84
Theophrastus 42
Thus, cupressus, muscus 41
Τὸν Νοῦν προσίχειν 79
Trinitatis Diuinæ imago 76
Triticei panis recens cocti odor 40

V

Vegetatio 64
Vegetatrix 70
Vergilius 82
Veritas in natura & supra naturam unica est, non duæ 4
Vermes 47
Vermes, apes, formicæ, pag. 68
Verni campi odor 40
Vigor 26
Viri semen 24
Viridis color 41
Visus 27
Visus ad contemplationem datus 71
Visus, Autor atque inuentor fuit omniū ferè disciplinarum & artium 47
Visus, Dux et Magister suus cuiq; domesticus 47
Visus et auditus 48
Visus et tactus magnā habent communionem 48

Visus monstrat faciem ipsam uniuersitatis & Naturæ 47
Visus, postremus sensuum 43
Visus præstantissimus habetur 47
Visus turbatur aere, aqua & uitro 31
Visus sensorium exteri us et interius 29
Vita rationabilis 54
Vita rationabilis, cognoscendo Deo, ac proinde amãdo cõ dita 56
Vita rationalis seu humana summa est inter uitas 8
Vita unaquæque originem habet ex se suam, & metam, in qua sistit 64
Vitarũ seu gradus seu rationes ac formæ quot sint 68
Voluntas 75.77.79
Voluntas ac memoria pag. 75
Ζοώφυτα 8.70

IN PHILIPPI MELANCTHONIS DE ANIMA Commentarium Index.

A

ACtus 391.398
Ad corporũ dissectiones olim Studiosi domestica institutione apud Medicos & Philosophos assuefiebãt pag 423
Adolescẽtia inuitanda ad doctrinam de anima 373
Adulterã gemellos peperisse, quorũ alter similis marito fuerit alter mœcho 421
Aeneæ clypeus 366
Agitatio seu motio, est accidens 400

Ἀκμὴ 422
Alcmena 421
Ἀλλαντοειδὲς 417
Ἀμυτὸς 147
Ἀνατομὴ 423
Ἀνατομὴ integra 422
Anatomiæ ſcientiam, ducẽ nobis eſſe ad Dei cognitionẽ 384
Anatomicę adminiſtrationes 423
Andronicus 395
Andronicus interpretans Ariſtotelẽ 395
Andronius Peripateticus 389
Andronici ingenuitas pag. 395
Andronici ſententiam uicinam eſſe Ariſtotelicæ 395
Anima 390.399.394 et 395.400.401
Anima à poſteriori, di eſt ex actionibus, cognoſcenda eſt 407
Anima an ex atomis pag. 380
Anima an ſit ἐντελέχεια pag. 380
Anima, calor naturalis pag. 386
Anima in plantis & pecudibus 396
Anima monſtrat diuinitatem 385
Anima præſertim ſenſitiua et uegetatiua 390
Anima purpurea 387
Anima quadã diſciplina regenda et excolenda eſt 381
Anima quid 386
Anima rationalis an ex traduce 403
Anima rationalis in cerebro 406
Anima rationalis quæres ſit quęſtio 386
Anima rationalis ſpiritus 405
Anima ſentiens & uegetatiua ex traduce pag. 404
Anima ſignificat ipſam uitã hanc 405
Anima uelut excellens aliqua Appellis tabula cœno conſperſa in corpore iacet pag. 370

Animæ agnitio ad pietatem conducit 371
Animæ ἀταξία 376
Animæ potentiarũ, organorum & actionũ descriptio 406
Animæ substantia etsi nõ satis perspici potest, tamen uiam ad eius agnitionem monstrãt actiones pag. 383
Animam amicitiã esse pag. 387
Animã, esse κρᾶσιν 389
Animã esse spiritus uitales 405
Animã esse spiritus uitales in sanguine 386
Animam, esse σύμφυτον πνεῦμα 389
Animam harmoniam esse 387
Animã id esse, quod naturaliter mouet uiuum corpus 387
Animam rationalẽ totam esse in toto, & qualibet parte totã pag. 405
Animam uideri ψυχικὸν πνεῦμα 389
Animã, uim esse à cœlestibus corporibus defluentem in corpora 387
Animam unã in quolibet animato ponere 407
Animæ 395
Animę diuisibiles 404
Animæ unde oriantur pag. 403
Animarũ organũ spiritus esse 389
Animarũ tres sunt gradus 406
Animas obnoxias esse crudelitati ac furori superbissimi tyranni diaboli 371
Animas rationales Diuinitus creari 403
Animas tres in homine esse 388
Animal 394
Animalis semen 408
Animatum & fœtum nõ simul fieri 402
Antisthenis Apologus pag. 377
Aorta 412

Ἀορτὴ 413
Appetitus cõtrarij 403
Arabes 415
Architectus ipſe monſtrabit naturam animę, et ſimul archetypũ et exẽplar 380
Ariſtophanes 375
Ariſtoteles 380, 384, 387, 388, 390, 391, 393, 394, 395, 396, 397, 398, 399, 400, 402, 404, 406, 409 413, 421, 422
Ariſtotelis cõſiliũ 397
Ariſtotelis definitio pag. 390
Ariſtotelis explicatio pag. 399
Ariſtotelis ſentẽtia 390 394, 395, 396, 400
Ariſtotelis ſententia de formis 399
Ariſtotelis ſentẽtię ſumma 409
Ariſtotelica definitio pag. 401
Ariſtotelica uox 399
Ariſtotelicæ doctrinæ periti homines 398
Arteriæ 413
Arteria magna 412
Arteriæ in corde naſcuntur 414
Ἀρτηριώδης 412
Aſtrorum uis etiam eſt mirabilis 420
Athenæi ſententia uenuſtiſſima 416
Auguſtini dictũ 406

B

Boetius 398
Boetij uerſio 398
Bouis anima 392 et 404
Boni uota faciunt 376
Brachia et crura 414
Βρίγμα 424
Bruta 407
Βρύω 418

C

Calor naturalis tanquam faber pag. 421
Caput 424
Carnis anima in ſanguine 404
Cerebrum 414
Cerebrũ et caput, operis faſtigiũ, et ſedes nobiliſſimarũ functionum 414

Cerebrũ & nucha tantum ex ſemine oriuntur 415
Cerebrum, hepar, uentriculus 409
Cerebrum tantum ex ſemine oritur 414
Chriſtiana doctrina pag. 401
Chriſtus circumit eſurientes et ſitiẽtes 378
Chriſti, et illius auguſti cætus Angelorum, Prophetarũ ac Apoſtolorũ & cætorum piorũ æterna cõſuetudine fruemur 380
Chriſti quęrelis et uoce pauci in republica mouentur 378
Χόριον 410.411
Chorium 411
Cicero 396.398.399. et 400
Cicero à multis reprehenditur 395
Cicero ne actę uertit ἐν πλοκίχιαν Continuatam motionẽ 396
Ciceronis interpretatio 399.400
Ciceronis uerſio 398
Cor 368 (407
Cor eſſe ſedem animæ
Cor membrum calidiſſimum 412
Cor natura carnea 412
Cor, principium eſt uitalis caloris 413
Cor ſedes omnium affectuum ac mirabiliũ motionum 406
Cor uitæ fons 406
Corporis ac præcipue humani tota natura explicanda eſt 383
Corpora ualde debilitantur uenere 409
Corporũ naturas noſſe prodeſt 367
De Anima communis ſententia 401
De Anima diſputationes 383
De anima doctrina puerilis 372
De Anima philoſophiæ pars quid continet 383
De Endelechiæ uocabulo litigatur 395
De Generatione animalium

Chiromantia. 429

Dentes. vide 425.

malium 399.402
De Generationib. 383
De Humani corporis partibus & membris 422
De Medicinarũ ſimplicium uiribus 389
De Motu beliſſima regula 418
De Natura animalium pag. 421
Democritus 380.386
Deus cum tantum adhibuerit artis in fabricando humano corpore, uoluit profecto tam mirũ corpus conſpici 370
Deus incorporeus, intelligens, diſcernẽs honeſta & turpia pag. 384
Deus opificiũ ſuũ cõſiderare nos iuſſit 367
Deus orandus 379
Dei nullum ueſtigium expreſſius, quàm anima 385
Dei ſolius beneficium eſſe artium conſeruationem 369
Διάφραγμα 412
Diſſectiones 423
Dorſi medulla 415

E

Ecclefię decus, eruditio 377
Ecclefiarũ opib. fruuntur homines indocti et Epicurei 378
Εμβρυον 418
Embryum 417
Empedocles 387.417
Ενδιλίχια 391
Endelechia 397
Ενδιλίχια accidentalis pag. 410
Ενδιλίχια duplex 400
Ενίργια 399
ἐντιλίχιαι 395.396.399
Εντιλίχιαι 404
Εντιλιχίς 396
Επινύκοις 421
Epicurei 281
Epicurei deliramenta nos refutaſſe lætabimur 381
Επιφήμη 401
Επιθυμητικὸν 388
Euangelium 410
Euangelio magnũ lumen

men addunt literæ pag. 377
Euryſtheus Herculi labores iniunxit 419
Euryſtheus latè regnauit in Græcia 419
Ex ſanguine quæ proprie oriuntur 415
Ex ſemine ſolo quę oriuntur 415

F

FOemellæ in ſiniſtra matricis parte naſcuntur 420
Fœtus 416
Fœtus diebus quadraginta quinq; uiuere incipit 418
Fœtus dū in aluo eſt, nutritur attrahens ſanguinem per umbilicum 416
Fœtus formatus emittit urinam 417
Fœtus ramos exerit pag. 418
Fœtus ſeptimo menſe mouetur ad exitū 419
Fœtus formatio 409
Fœtus materiam, eſſe iuncta ſemina uiri & mulieris 419
Fœtus tempora uariè diſcernuntur 417
Fœtū plus habere à matre, quā à patre 416
Forma 393

G

GAlenus 384, 387 388, 389, 390, 395 402, 405, 406, 410, 413, 416, 423, 420
Galeni mos 407
Gaza 398
Gemelli ſępius uno cõceptu naſcuntur 421
Generationis, nutritionis, alterationum in corpore humano cauſæ 383
Geneſis 401
Gignere aliud ſimile, naturaliſſimum eſt in iuuenibus 404
γονὴ 417
Græci 396, 410
Græcus uerſus 377
Græca cõſuetudo 417
Græca lingua 396
Grauidis meſtrua fluere deſinunt 416

Gregorius Nyſſenus frater Baſilij Cæſarienſis 371

H

HEbræi 405
ἡγεμονικὸν 377, 383
ἡγεμονικῷ ſprcto, ruunt cæterę uires 376
Hepar 388
Hepar, eſſe propemodum coagulatũ ſanguinem 411
Hepar et cor 417
Hepatis, cordis et cerebri delineatio 417
Hepatis formatio 411
Heraclitus 387
Hercules ex Ioue 421
Herodotus 376
Hippocrates 387, 409, 416, 418, 420
Hippocratis dogmata pag. 388, 389
Homerus 419
Homo 407
Homo creſcit in longitudinẽ ad annos uſq; ter ſeptenos, tũ deinde ad plenitudinẽ pag. 422
Homo totus 408 (401
Hominis anima 388
Hominis anima, an una ſit tantum 402
Hominis anima ſemper producitur 387
Hominis animæ quot ſunt potentiæ 406
Hominis incrementa pag. 422
Hominis natura magnam ſcientiæ uariętatẽ & copiam complectitur 383
Hominis oculi 405
Hominis potentiarũ et diuerſarum actionũ diſtributio 386
Hominis prima initia pag. 421
Homini bene inſtituto quã iucundũ à Natura ſpectaculũ 384
Homini turpe eſt, prorſus ignorare ſui corporis ædificiũ 423
Hominem quaſi paruum quendã mundum eſſe 385
Hominem, quinquennio dimidium con

ſequi futuræ proce ritatis 422
Homines ineruditi pag. 406
Homines ingenioſi & eruditi 391
Hominũ ſuperfætatio nem rarã eſſe 421
Horatij uerſus 397
Humani corporis ana tomia 409
Humor eſt materia 421
Humores 422

I

IAcobus Milichius pag. 373
Ἰατροί 423
In Brutis uegetatiua et ſentiens 406
In Docẽdo prodeſt, ini tio craſſiora quædã tradere & magis cõ ſpicua 423
In Eccleſia paulo aliter quędã dicẽdę ſunt, quàm dicuntur ab Ariſtotele 374
In Gubernatoribus parricidium eſt ec- cleſiæ, nõ adiuuare ſtudia literarũ 378
In Homine an diſtin- ctæ ſint animę 402
In Homine animas plures eſſe ſubordi natas 407
In Homine reipſa di- ſtinctas eſſe animas pag. 402
In Homine tres eſſe a- nimas, nõ abſurdũ erit dicere 402
In Homine uegetati- ua, ſentiens et ratio nalis 407
In Homine unam tan- tũ animã eſſe 402
In Homines doctos, pi os et recte ſentiẽtes exercetur immanis ſæuitia in omnibus regnis 379
In Imperijs ἀταξία 376
In Matribus cur uehe- mẽtior amor ſit er- ga natos, quàm in patribus 416
In Natis maximã uim amoris erga matres eſſe 416
In Plantis radices ſunt uelut os 408

In plantis tantum est uegetatiua 406
In Potentũ odio literæ sunt ubiq; 378
In Religionis explicatione maximè opus est tenere discrimina uirium animæ 370
In Scholis magna & in epta cõtentio 407
In Scholis sententię receptæ, et usitata docendi forma 374
In Scholis usitatum tradere quasdã descriptiones animæ 369
Infans 413
Infans ex auo non habet egectiones 417
Infans postremis mensibus incipit mingere per uirgam 417
Infantis uires genuina migratio affligit 420
Ioachimus Camerarius uir optimus 375
Iphiclus et Hercules gemelli 421
Iphiclus ex Marito 421
Isenacensis copia 374
Iuuentutis studia nouis scriptis arcenda esse 373
Κεφαλὴ 424
Κεφυφὴ 424
Κοτυλολόνυς 410

L

LAc esse mẽstruis cognatum 416
Latini 398
Libelli Scholastici 306
Literæ sacrę 401
Literæ sunt in odio potentum ubiq; 378
Loci utiliores 406
Λοιγισμὸν 288
Lucerna pedibus meis uerbum tuum, Oraculum 374
Lucianus 399

M

MAcedones 413
Maris et Fœminæ semina coniungi 415
Mares nascuntur magis in dextra parte matricis 420
Mares nono mense æduntur, Fœmellæ uero decimo 418

Masculi citius absoluuntur, quàm fœmellæ 417
Masculi cur nascantur, præcipua causa est, calor seminis maior 420
Materiam moueri post criticũ tempus, non prodest 420
Matrix 409,410,416
Matrix duos habet sinus 420
Matrix tota appetit semen 411
Medici 395,423
Medicorum ars 384
Medulla 415
Membra cætera 418
Membra præcipua & grandiora 423
Mẽbra spermatica 415
Membra spermatica & caro 415
Membrorũ certorũ imbecillitas ita in Parentibus propagatur in prolem, ut similitudo 409
Membrorũ discrimina nosse aliquo modo, quanta utilitas 370
Mens, imago Dei 384
Mens sola Diuina 402
Mens sola extrinsecus accedit 402
Mensis septimus, criticus est 419
Mensis septimus quare sit criticus, astrologicam aliquã rationem esse 420
Mensis octauus Saturno tribuitur, nascẽtibus inimicus 420
Menstruis lac cognatũ esse 416
Μεσεντέριον 412
Miseriç nostrç agnitio, ferocientibus animis frenum iniicit pag. 371
Monstrorũ causæ 421
Moses 404
Mosis dictum 405
Motus dies 418
Mulier an concurrat actiue ad procreationem fœtus 409
Mulieris semen humidius ac frigidius 410
Mulieri non tribuit semen

men Aristoteles 409
Multitudo quæ & ipsa tyrannus 376
Natura spiritualis 404
Naturæ nostrę contemplatio 408
Naturę nulla pars splẽdidiorem orationẽ suppeditat, quàm animæ partes atq; actiones 375
Naturam aliqua mente regi 384
Nerui 414
Nerui in cerebro nascuntur 414
Nucha 415

O

Occas 402
Oculus 394
Officij artẽ nec sine liberis describi, nec sine doctrina agnosci 370
Optici duo 414
Organum quid 407
Organorum et potentiarum ratio 422
Orificia acetabulis polypi similia 410
οὐραχὸς 411,417

P

Παλαιοὶ 425
Panniculus ex exteriore seminum parte, ac præcipue muliebri 410
Parentes primi 372
Parentes proximi 372
Partes dextræ, propter hepatis uicinitatem calidiores sunt, sinistræ, sunt frigidiores 420
Partium exteriorum et præcipuarum nomina 423
Partium naturæ 422
Partus plorãs uenit in hanc lucem, uelut pręsagiens calamitates huius uitę 419
Partus rite æditur, capite primũ exeunte 419
Partus septimo mense editi uiuere possunt pag. 419
Partus serus 418
Partus ędendi dies 418
Partus æditi sexto mense, aut citius, non uiuunt 419

Par-

Partus octauo menſe, editi, quod mireris, non uiuunt 419
Perfectio interior 399
Phanatici 403
Φιλαλήθης 382
Φίλιππος 382
Philoſophię moralis initia 384
Philoſophi 386.423
Φιλόσοφοι 423
Philoſophi cæteri 394
Phyſice reliqua 394
Phyſices pars 383
Phiſicæ rationes 401
Phyſica 397.398.399
Piorum ſententia 403
Pijs omnibus recepta ſententia 403
Plantæ 404
Plantæ an ſint animalia, an ſentiant 405
Plantæ anima 404
Plantæ ne ſentiant 405
Plantæ nõ ſunt animalia nec ſentiunt 405
Plantę plus accipiunt à terra, quã à colono pag. 416
Plato 402. 405
Platonis dogmata 388
Platonis partitio 388
Plenitudo 422
Plinius 419.422
Plutarchii interpretatio
Poëta 376 (399
Poëtæ 423
Potentum animi 369
Potentiæ quinq; 470
Pſyche in fabulis 373
Pueri 423
Pueris animas inſeri circa XLV. diem 418
Pulmo 413

Q

Quæſtiones multæ 401
Quintilian⁹ 398
Quod Animi mores reſpondeant temperamento corporis 389

R

Ratio ſeminalis pag. 404
Refrigerationes pag. 421
Religionẽ in docendo adhibendum eſſe 381
Resmagna & difficilis pag. 408
Romanæ reipublicę pictura 366
Sanguis menſtruus primum

mũ auget ſemina 419
Sanguinem menſtruũ materiã eſſe fœt⁹ 409
Sanguinem menſtruũ materiẽ eſſe fœtus negat Galenus 410
Sanguinẽ uehiculũ eſſe uitæ 405
Sapientiæ ſtudia 398
Saturno tribuitur octauus menſis, naſcentibus inimicus 420
Scholæ 407
Scholarũ conſuetudo
Scholaſtici 379 (407
Scriptura 403 (403
Scriptores eccleſiaſtici
Semen æſtuans 411
Semen cõſtat plurimũ quidẽ à cerebro, ſed totũ ab omnib⁹ membris deriuari 409
Semen quidã oriri tantum à cerebro putarunt 409
Semen utile alimentũ eſt, & plenum multo uitali ſpiritu 409
Seminis magna pars pag. 414
Semina menſtruo ſanguine augentur 415
Senſitiua & nutritiua in brutis 388
Serpentes 404
Siccitas terminat & durat corpora 421
Similia à ſimilibus procreantur 409
Similitudinis cauſa, uis maior paterni aut materni ſeminis 420
Sinciput 424
Socrates 367
Sophiſmatum præſtigiæ 382
Sophiſtica, qua artes conturbantur 582
Spiritus 401
Spiritus quomodo in loco ſit 405
Stoici 386
Studia ut extinguãtur, de induſtria agitur 379
Syderum boni poſitus in formis uenuſtatẽ, hilaritatẽ, et quaſi lumen efficiunt 429
Syderum fœdi poſitus, inſigniter deformant corpora 420
Temperamenta 422

Themi-

Villa gd Jnst. 526.

INDEX.

Themistius 397
Theologi 385
Theologorum ueterũ cõmentarij de Anima 371
Θωρὰξ 401
Θωρμὸν ἔμφυτον 387
Thorax totus 414
Θυμοειδὲς 388
Tyranni 376

VElcurionis diligentia 374
Vena caua 412, 413
Vena quieta 412
Venę aut arteriæ 414
Venę in hepate nascuntur 414
Venarum & arteriarũ orificia innumera definunt in matricẽ 410
Venosa 410
Venere ualde debilitantur corpora 409
Vera & Deo grata nos defendisse gaudebimus 381
Vertex 424
Veteres 423
Vetustiores non scripsisse ἀνατομὴν 433
Viri & Mulieris iuncta semina, materiam esse fœtus 410
Viri semen calidius et crassius 410
Viri semen se habere actiue 409
Virorum bonorum misera conditio 376
Virorum bonorum uoluntas laudanda 368
Virgilius 387
Virtus naturalis 388
Vis seminalis 404
Visus 394
Vita est continua quædam agitatio 400
Viuis acumen 374
Vmbilicus 411

FINIS.

Basileæ, per Robertum Vuinter, anno M. D. XLIII.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

BSB

BSB

